Digitized by Google

*31. K. 30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCC XXV

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FIL.
ET
THOMAM FRITSCHIUM.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCC XXV.

* 31. K. 30
44

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE HOFBIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXV.

GERARDI NOODT, NOVIOMAGI, JURIS Conſulti & Anteceſſoris, Opera omnia, ab ipſo recognita, aucta, emendata multis in locis, atque in duos Tomos diſtributa.

Lugd. Batav. apud Johannem van der Linden, 1724, fol. Alphab. 14.

PRodierunt tandem in lucem avidis bonorum omnium votis diu expectata Juriſconſulti ſummi Opera omnia. Offert nobis Tomus primus opuſcula, quibus olim jurisprudentiam illuſtravit & quæ jam A. 1713, 4 junctim typis edita fuere. Horum numero in noſtra editione nihil augmenti acceſſit, præter *amicam Reſponſionem ad difficultates a Viro Ampliſſimo Corn. van Bynckershoek Julio Paulo motas.* Tomus ſecundus exhibet Commentarium in Pandectarum libros XXVII, cujus pars prior, in Digeſtorum libros IV priores, A. 1716, 4 prodiit. Habuimus rationem limitiſſimarum harum Autoris lucubrationum, ſuo quarumvis loco & ordine, & inde diligentiæ noſtræ ſola ſupereſt Commentarii pars ultima, in ſecundam, tertiam & quartam Pandectarum periodum. Antequam vero recenſendæ ei manum admoveamus, Lectorem moneamus, neceſſe eſt, intercidiſſe fere egregiam ſpem noſtram, qua per vegetam auctoris ſenectam in integra Digeſta Commentarios ejus expectabamus. Jam enim ea, quibus antea oblectabatur, ſtudia fatigant Virum, haud procul ab octogeſimo ætatis anno conſtitutum. Igitur memor legis naturæ, non amplius meditari EDICTUM PRÆTORIS, ſed in cogitatione vitæ melioris mentem animumque omnem defigere decrevit, ratus,

Sat patriæ Priamoque datum.

Redimus ad Commentarium. Non deſerit Autor viam, qua ſemel laudabiliter incedere cœperat. Repetit jus civile a prima ſua origine, ſollicitus, quid Decemvirorum primo prudentia in legibus XII Tabb. ſanciverit, quid dein jus honorarium immutaverit, quid jurisprudentia antiqua & media adjecerit, quid denique Imperatorum majeſtas & decernendo & reſcribendo innovaverit. Videas & mirere in conferendis fragmentis diligentiam ſingularem, in componendis ſagacitatem eximiam, in emendandis & reſtituendis locis luxatis curioſam Viri felicitatem. Proclive nobis eſſet, hic exhibere emendationum potiſſima exempla, ſed quotusquisque eſt eruditorum, qui tot egregiis experimentis edoctus, non optima quævis ſperet de Autoris ingenio, & inde emendationes in ipſo opere integras evolvere, quam hic truncatas legere malit? Accedit, quod hoc ſtudiorum genus, tanquam difficile, triſte & ſpinoſum, fugiunt & horrent quidam, inprimis e noſtris, qui hinc alia commendatione ad lectionem utiliſſimi operis excitandi ſunt. Cum vero, teſte *Plinio* in *præf. H. N.* maxima pars ſtudiorum amœnitates quærat, age, ponamus operam, ut Autoris exemplo eluceſcat, quantum lucis & amœnitatis arti ſeveræ e lectione veterum Philoſophorum, Hiſtoricorum & Poetarum accedere poſſit. Sed cum imprimis nobis cavendum ſit, ne earum multitudine legentibus faſtidium procreemus, paucas quidem, at eas ſelectas Autoris obſervationes delibare conſtituimus.

T. II p. 156. Quærit ad titulum de *inofficioſo teſtamento*, cur illud a Gajo in l. 12 §. 1 D. *d. bon. poſſ. contr. tabb.* jure factum eſſe dicatur, cum ſit impium atque inhumanum? Reſpondet vero, id ideo fieri, quia hujusmodi ultima voluntas conveniat verbis legis XII Tabb. *uti legaſſit, ita jus eſto*, nec mirum videri debere, addit, dediſſe hanc legem patri exheredandi poteſtatem, cum eadem ei & occidendi dederit. Credidiſſe ſcilicet, diſſerente *Cicerone* pro *Roſcio Amerino* C. 19, Decemviros, *patrem ſanæ mentis non venturum ad exheredandum filium, niſi magnis illius peccatis incenſum, ut naturam ipſam vinceret, ut amorem eum penitus inſitum ejiceret ex animo, ut denique patrem ſe oblivisceretur.* Id ipſum ſignificare *Senecam* d. *Clem.* I, 14, cum ſic ſcribit: *Num quid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exheredat? niſi magnæ & multæ injuriæ patientiam*

ejus

ejus evicerint. Niſi plus eſt, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtilum: multa ante tentat, quibus dubiam indolem & pejore loco jam poſitam revocet; ſimul deplorata eſt, jam ultima experitur. Voluiſſe igitur legem, patris, quod de eo bene ſperaret, eſſe arbitrium exheredandi filii.

Obſervat ad eundem titulum, Papinianum in l. 13 *eod.* aſ- p. 161.
firmare, olim dubitatum fuiſſe, an pater contra filii teſtamentum haberet querelam inofficioſi? ſcilicet in cauſa fuiſſe, quod, ſive ordinem naturæ, ſive ſpem parentum ſpectemus, non ſit in votis, ut parentes liberis, ſed ut liberi parentibus ſint ſuperſtites. Apte in hanc rem Penelopen apud *Ovidium* ſcribere Epiſt. I Heroid.

Di, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Eſſe deinde in corpore inſcriptionum *Gruteri* p. 716 N. 7 inſcriptionem ſequentem huc pertinentem: VLPIA. PAVLINA. MATER. INFELICISSIMA. CONTRA. VOTVM. PIETATIS. POSVIT. Loqui eodem modo *Quintilianum* Decl. 6: *Ille eſt filius noſter, cujus ſpes ipſas amavimus, quem apud omnia templa & ſurdos votis deos ſuperſtitem precati ſumus, a quo ſepeliri optavimus.* Porro hoc votum parentum indicare aliam inſcriptionem veterum apud *Gruterum* p. 669 Inſcr. 4, quæ ita habet: ANTONIVS. SEVERVS. AQVILA. HIC. JACET. SINE. ANIMA. MISERABILI. FATO. QVI. VIXIT. ANNOS. BISSENOS. ET. SEX. MENSES. CVI. VOTA. ERANT. VT. PARENTIBVS. ISTA. PARARET. SED. MORS. IMMATVRA. FECIT. VT. PARENTES. FACERENT. FILIO. CONTRA. ORDINEM. Senecam vero plane liberorum votum, ſuos parentes ſibi ſuperſtites ſperantium, contra bonos mores eſſe, arbitrari. *Non eſt ignotum*, inquit Seneca *Conſolat ad Martiam c.* 1, *qualem te in perſonam tui patris geſſeris, quem non minus quam liberos tuos dilexiſti: excepto eo, quod non optabas ſuperſtitem, nec ſcio an & optaveris. PERMITTIT enim ſibi quædam ET CONTRA BONUM MOREM magna pietas.*

Ad titulum, *de his, qui effuderint vel dejecerint*, apponit pri- 227.
mo Edicti verba, quibus Prætor judicium in duplum dat, contra

Digitized by Google

eum, qui ibi habitaverit, unde in eum locum, quo vulgo iter ſit, dejectum vel effuſum quid fuerit. Affirmat vero Autor noſter, Edictum hoc ea propter inprimis neceſſarium fuiſſe, quod plebs Romana magna ex parte habitaret in cœnaculis, id eſt, in ſuperioribus ædium locis, & quia ex his cœnaculis plurima in viam publicam dejicerentur & effunderentur, vix potuiſſe ſine periculo, qua vulgo iter erat, tranſiri. Id loqui & obſervare Juvenalem 1 Sat. III v. 268.

Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quantum percuſſo pondere ſignent
Et lædant ſilicem, poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas, adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles te prætereunte feneſtræ.
Ergo optes votumque feras miſerabile tecum,
Ut ſint contentæ patulas defundere pelves.

p. 259 Ad caput *de aleatoribus*, cum de Edicti Prætorii capite primo ſermo eſt, quo Prætor *judicium negat contra eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, ſi quis eum verberaverit, damnumve ei dederit*, obſervat Autor, hanc Prætoris ſeveritatem notabilem quidem, attamen non inauditam eſſe jure civili. Nam & alibi fieri, ut aliqui tam viles putentur, ut oporteat eos eſſe infra omnem legum curam. Exemplum eſſe in l. 29 C. ad *legem Juliam de adulteriis*. Eſſe & aliud apud *Valerium Maximum* L. 7 c. 7, ubi loquens de decreto Q. Metelli Prætoris urbani, qui lenoni denegaverit bonorum poſſeſſionem ſecundum Juventii tabulas: *Vir*, inquit, *nobiliſſimus & graviſſimus fori ac lupanaris ſeparandam conditionem exiſtimavit: nec aut factum illius comprobare voluit, qui fortunas ſuas in ſtabulum contaminatum projecerat, aut huic tanquam integro civi jura reddere, qui ſe ab omni honeſto vitæ genere abruperat.* Eodem modo loqui *Quintilianum* Declam. 385: *Quanquam, ut fecerim damnum, merito tibi delata talio eſt; propter quem damna omnes faciunt. Leno eſt publicum malum.*

§ 2. Pergimus ad caput Pandectarum *de jurejurando*. Repetit ejus definitionem Autor ex *Cicerone* lib. 3 d. *Offic.* qui illud *affirmationem*

Digitized by Google

nem religioſam eſſe ait. Subjicit Autor, religionem a Nonio dici *Deorum culturam ac metum.* Inde jusjurandum eſſe affirmationem religioſam, quæ fit cum metu Divini Numinis. Fieri enim jusjurandum ſemper cum execratione ſui, Deo, qui omnia ſcit & omnia valet, adhibito perjurii teſte & vindice. Eſſe inde apud *Ovidium* L. VII Metam. v. 46:

Et dabit ante fidem: cogamque in fœdera teſtes
Eſſe Deos.

Et apud eundem Lib. III v. 457 d. arte am.

Parcite, Cecropides, juranti credere Theſeo;
Quos faciet teſtes, fecit & ante Deos.

In titulo *de condictione ob turpem vel injuſtam cauſam* ait Ulpianus l. 4 § 3: *Quod meretrici datur, repeti non poteſt, ut Labeo & Marcellus ſcribunt. Sed nova ratione, non ea, quod utriusque turpitudo verſatur, ſed ſolius dantis. Illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix, non turpiter accipere, cum ſit meretrix.* Huic illuſtrandæ monet Autor, ſermonem eſſe Ulpiano de meretricibus, artem meretriciam veteri more profeſſis apud ædiles. Hanc artem profiteri turpe habitum fuiſſe: adeo ut in eas, quaſi indignas omni legum cura, deinde impune admitteretur ſtuprum & adulterium. Fuiſſe hujus generis meretricem, de qua Tacitus Lib. II annal. c. 85: *Veſtilia, Prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſum impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant.* Dicere igitur Ulpianum, mulieres turpiter facere, quod ſint meretrices, at non turpiter accipere, cum ſint meretrices: ducto argumento a decoro artis profeſſionisque, quale hoc lenæ apud *Plautum Aſinar.* 1, 3: p. 296

Quid me accuſas, ſi facio officium meum?
Nam neque unquam fictum, neque pictum, neque ſcriptum in poëmatis.
Ubi lena bene agat cum quiquam amante, quæ frugi eſſe vult.

Quæ ultima ſunt verba *SCti Macedoniani*: *ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fænerarent, nullius poſſe filii jam bonum nomen expectata patris morte fieri*, ea ſic explicat Autor. Sufficere Senatui, a fœneratore peccari exemplo, etſi non peccetur conſilio. Hiſce porro verbis, *expectata patris morte*, rem odioſam ac nefariam a Senatu 343.

Digitized by Google

ſignificari. Convenire nempe filii boni & pii officio *Juvenalis* dictum *Sat.* IV, v. 43:

Funus promittere patris
Nec volo, nec poſſum.

De impio contra *Ovidium* Lib I *Metam.* ſcribere:

Ante diem patrios inquirit in annos.

Alterum igitur optare vitam patris, alterum expectare ejus mortem. Demeam apud Terentium Adelph. 5, 4 20 hanc in rem ſic loqui: *Illum ut vivat optant, meam autem mortem expectant ſcilicet.* Eodem alludere *Quintilianum* Lib. IX *Inſtit. Orat.* c. 3: *Cum Proculejus quereretur de filio, quod is mortem ſuam expectaret, & ille dixiſſet ſe vero non expectare, imo, inquit, rogo expectes,* contraria ſcilicet verbi ſignificatione: & *Livium* verbis ſequentibus LXXVIII c. 27: *In caſtris en meis, quantum me opinio feſellit, fama mortis meæ non accepta ſolum ſed etiam expectata eſt.*

p. 428. In l. 56 *Locati conducti* Paulus ſic ſcribit: *Cum domini horreorum inſularumque, diu non apparentibus nec ejus temporis penſiones exſolventibus conductoribus* (petunt ut ſibi liceat) *aperire & ea quæ ibi ſunt deſcribere, a publicis perſonis, quorum intereſt, audiendi ſunt, tempus autem in bujusmodi re biennii debet obſervari.* Notat ad hæc verba inter cetera Autor, *diu* hic a Paulo exponi *per biennium*, cujus etiam mentio fit in l. 54 §. 1 D. h. t. Et in hoc *Martialis* Lib. XII *Epigr. 32*:

O Juliarum dedecus Calendarum!
Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi:
Quas non retentas penſione pro bima
Portabat uxor rufa.

456. Explicat Autor ad caput Pandectarum de *Ædilitio edicto* inter cetera ſequentem edicti verſum: *Si mancipium adverſus ea veniſſet, ſive adverſus quod dictum promiſſumve, cum veniret, fuiſſet, judicium dabo;* & monet cum Ulpiano, venditorem quædam promiſiſſe etſi non præſtaret: veluti ea, quæ ad nudam laudem ſervi pertinent. Sic ſolere venditores: exemplum in mangone, apud *Horatium* lib. II Ep. 2:

Hic &
Candidus & talos a vertice pulcher ad imos.

De

De hujusmodi venditione eſſe illud *Ciceronis* Lib. 3 d. *Offic. Qui proſcribunt villam bonam, ut illi aſſerunt, beneque ædificatam, non exiſtimantur ſefelliſſe, etiamſi illa nec bona, nec ædificata ratione.* Eundemque addere rationem: *ubi* enim *judicium emtoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe?* Ex eodem genere eſſe illud *Lucilii* apud *Gellium* Lib. III N. H. c. 14:

Quidni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius, laudat
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Sub titulo de *probationibus & præſumtionibus* ſollicitus de defini- p. 474.
tione, *qua probatio fides legitima dicitur, quam judici de re controverſa facit is, qui dicit,* rem controverſam rei liquidæ opponit eoque adducit ſequentia *Quintiliani* verba Lib. V *Inſtit. Orat.* c. 12: *In rebus apertis argumentari tam ſit ſtultum quam in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre.* Notat dein, quod res eſt, rem controverſam imprimis eam ſignificari, de qua lis eſt. Pertinere huc ſequentia *Martialis* Lib. VI *Epigr. 19:*

Non de vi, neque de cæde, nec veneno
Sed lis eſt mihi de tribus capellis
Vicini, queror has abeſſe furto,
Hoc judex ſibi poſtulet probari.

Venimus nunc ad titulum *de ritu nuptiarum*, qui harum amœ- 485.
nitatum pleniſſimus eſt. Inquirit primo, quid inter nuptias & matrimonium interſit, & dein nuptiarum definitionem aggreditur, quæ in §. 1 Inſt. *de patr. poteſt.* ſic habet: *Nuptiæ ſive matrimonium ſunt viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.* Obſervat Autor, nemini apud Romanos fas fuiſſe, binas ſimul uxores habere, conjunctionem vero, cujus in definitione mentio, duplicem fuiſſe, aut enim fuiſſe ſolennem & legitimam juris civilis, aut juris gentium ſimpliciter. De priori loqui *Juvenalem* Sat. X v. 333, cum ſic infit:

Dudum ſedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur; & decies ritu centena dabuntur
Antiquo; veniet cum ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta & paucis commiſſa putabas.
Non niſi legitime vult nubere.

Porro

Porro dici nuptias individuam vitæ conſuetudinem, non quod nolit Imperator eas divortio unquam ſolvi ex poſt-facto: ſed quod velit, hoc voto fieri, ne aliter quam morte interrumpantur. Ne deeſſet exemplum, appoſuit hoc *Tibulli* Lib. III eleg. 3:

Sed tecum ut longæ ſociarem gaudia vitæ,
Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu;
Tunc cum præmenſæ defunctus tempora lucis
Nudus Lethea cogerer ire via.

Similiter meretricem, vitæ ſuæ rationem comparantem ei, quæ eſt fœminæ honeſte viventis, apud *Terentium Heauton.* 2, 4 ſic loqui:

Vobis cum uno ſemel ubi ætatem agere decretum'ſt viro,
Cujus mos maxime'ſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant.
Hoc beneficio utrique ab utriſque vero devincimini,
Ut nunquam ulli amori veſtro incidere poſſit calamitas.

Quæ Autor annotat de nuptiis inceſtis, quæ cognatione impediuntur perſonarum contrahentium, itidem digna ſunt, quæ hic referantur. Ait Paulus in l. ult. D. h. t. Inceſtum juris gentium admitti ab eo, qui ex gradu aſcendentium vel deſcendentium uxorem ducit. Veriſimile vero Autori videtur, Juris conſultos veteres exiſtimaſſe, parentum ac liberorum nuptias fieri adverſus pudorem naturalem; ideoque his inceſtum jure gentium admitti. Addit, cauſam, cur huc decurrerint, nullam afferri, nec, ſi ſinceri ſimus judices, tam facilem eſſe demonſtratu, quam paſſim creditur. Adduci plerumque confuſionem nominum & jurium cognationis, qua idem, qui eſt pater, fiat filiæ ſuæ maritus, & liberorum ſuorum non modo pater, ſed etiam frater & avus: ſimiliter, quæ eſt filia, fiat uxor patris & liberorum ſuorum mater, ſoror quoque & avia. Non eſſe inficiandum, illam cauſam improbandæ hujusmodi conjunctionis commendari utilitate tuendæ in familia reverentiæ, ideoque aptam videri ferendæ in Republica legi civili: ſed ad probandam juris naturalis providentiam ſine præjudicio nihil efficere: niſi quis poſſit ſibi perſuadere, illa nominum & jurium confuſione, in quam ſponte conſentiant parentes & liberi, tolli ſocietatem humanæ conjunctionis, ad quam unice reſpiciat jus naturæ & gentium. Sed ei, qui ſic cenſeat, rem reclamare manifeſte, tum

Digitized by Google

tum exemplum Perſarum, id eſt, gentis, ſi quæ alia, egregie cultæ & moratæ: in qua uſitatas hujuſmodi nuptias fuiſſe inter alios memoret *Minucius Felix*, *Servius* ad Virgilium & *Hieronymus*, cujus locum ſequentem adducit ex lib. II adverſ. Jovinian. *Perſæ, Medi, Indi & Æthiopes, regna non modica & Romano regno paria, cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulantur.* Et paulo poſt: *Pervides igitur, quod non ſolum in eſu ſed & in ſepulturis & in connubiis & in omni converſatione unaquaque gens ſuo ritu & proprietatibus victitet, & hoc eam naturæ legem putare quod didicit.* Præter hoc obſervandum eſſe, quod vel *Plato* illas nuptias optime quidem, ſed non alio, quam civitatis inſtituto improbari arbitretur, eo nomine reprehenſus ab *Ariſtotele*. Idem de *Chryſippo* ex *ſecta Stoicorum* tradere *Plutarchum*, ibidemque addere, illum argumentum ſumſiſſe a ceteris animalibus, ab illa conjunctione non abſtinentibus. Monet ſub finem hujus articuli Autor, omnia in utramque partem diſputata a Philoſophis, quos conſuluiſſe poſſunt veteres Juriſconſulti, repræſentaſſe *Ovidium* in cauſa Myrrhæ Lib. X *Metam.*

Tranſit dein ad lineam transverſam, in qua ſimilem, ſed non tantam obſervationem eſſe, ait Juſtinianus, duplici, ut Autori videtur, ratione. Una eſt, ut amicitia illa providentia inter homines latius diffundatur, quod in republica fieri intereſt civilis ſocietatis. Altera ratio eſt, quod inter propinquos more Romano erat jus oſculi, quod facile ſtupris & adulteriis occaſionem dediſſet, ſi potuiſſent inter eos ſperari nuptiæ. Pertinere huc verba Biblidis apud *Ovidium* Lib. IX *Metamorph.*

Dulcia fraterno ſub nomine furta tegemus.
Eſt mihi libertas tecum ſecreta loquendi
Et damus amplexus & jungimus oſcula coram,
Quantum eſt quod deſit?

Sed diutius fere, quam par erat, huic titulo inhæſimus. Transeamus a nuptiis ad divortia. Fingunt interpretes Juris Canonici duplex divortium, unum, quod ſeparet conjugum conſuetudinem, id eſt, ut ajunt, thorum & menſam ſub perpetua ſpe conciliationis. Alterum abrumpit matrimonii vinculum. Notat Autor, hanc diſtinctionem veteribus eſſe incognitam, qui matrimonium p. 521.

Digitized by Google

individua vitæ conſuetudine æſtiment. Addit, hoc adeo verum eſſe, ut lege Papia Poppæa conjuges facto divortio non modo non jubeantur abſtinere a ſecundis nuptiis, verum e contrario cogantur alias contrahere. Eſſe in jure iterati poſt divortium matrimonii exemplum in l. 64 D. d. *don. in vir. & uxor.* Etiam apud *Juvenalem* Sat. 6 v. 146 eſſe:

. . . *Exi ocyus, & propera: ſicco venit altera naſo.*

Similiter *Apulejum* Lib. V *Metamorph.* in fabula de divortio Cupidinis & Pſyches ſcribere: *Tu quidem ob iſtud tam dirum facinus confeſtim thoro meo divorte, tibique res tuas habeto, ego vero ſororem tuam & nomen quo tu cenſeris ajebat, jam mihi confarreatis nuptiis conjugabo, & ſtatim Zephyro præcipit, ultra terminos me domus ejus afflaret.* Accedere huic *Senecam* L. III de *benef.* c. 16, cum *num quid,* ait, *jam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles fœminæ non Conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubuntur repudii,* & quæ ſequuntur. Sunt hujusmodi innumera alia per totum opus diſperſa, ſed temperamus nobis iis colligendis, ne legentium otio abuti videamur.

HISTOIRE DU CONCILE DE PISE.
hoc eſt,
JACOBI LENFANTII HISTORIA CONCILII Piſani, rerumque poſt id geſtarum usque ad Concilium Conſtantienſe. Additæ ſunt imagines æri inciſæ.
Tomi II.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1724, 4.
Alph. 4 pl. 7 Tabb. æn. 16.

EN, Lector, bibliothecam eccleſiaſticam novo eoque prorſus eximio Opere auctam! Cujus enim *Hiſtoriam Conſtantienſis Concilii,* A. 1714 editam, debitisque eodem anno p. 279 a nobis ornatam laudibus, mirifico favore excepit orbis literatus, ejus nunc lætiſſimi videmus *Hiſtoriam Concilii Piſani,* non illius, quod A. 15 11 habitum fuit, ſed ſuperioris, quod in annum 1509 incidit. Statuerat quidem Max. reverendus Autor Baſileenſis hiſtoriam Concilii, quan-

quanta poſſet, diligentia deſcribere. At cum videret, arcte connexum eſſe cum Concilio Conſtantienſi Piſanum illud Concilium, hujus hiſtoriam prius perſequi in animum induxit, & hac occaſione ſumma fide enarrare, quæcunque in Eccleſia geſta ſunt inde ab A. 1378 usque ad A. 1414, quo anno Concilium Conſtantiæ fuit habitum. Nec vero ſolum Piſanum conſeſſum deſcribit Autor, ſed titulo *Hiſtoriæ Concilii Piſani* liberaliter complectitur tum præparationes ad illud Concilium, tum effectus ejus. Eo autem magis ſe commoveri paſſus eſt ad contexendam hanc hiſtoriam, quod nemo Piſani illius Concilii hiſtoriam accurate copioſeque antea deſcripſerat. Cum autem hiſtorici, Concilium aliquod rite ac diligenter ſeparato volumine deſcripturi, ſit, non ſolum bona fide & ἄνευ παθῶν ſcribere, verum etiam omnia, quæ geſta fuerunt, ſatis luculenter exponere; Cl. Autor alienum ab hoc loco judicavit brevitatis ſtudium, adeoque omnia inveſtigavit doctoq; oculo luſtravit monumenta, ex quibus aliquid peti poſſe ſciebat ad cognoſcendam hujus Concilii hiſtoriam, ac in ipſa Præfatione omnes recenſet hunc in finem a ſe conſultos libros, cum recentiorum, tum antiquiorum, de ſingulis addens judicium ſuum ex ipſorum diligenti conſideratione collectum. Eodem conſilio in hac Hiſtoria ſæpe integra exhibet documenta, nec dubitamus, eruditis probatum iri hujus facti apologiam, quam in Præfatione *p. 52* legere licet. Quanquam illud nobis in mentem venit vereri, ne multi, dum authentica monumenta Gallicum in ſermonem translata hic conſpicient, ægrius ferant, Autorem tam doctæ hiſtoriæ patrio ſermone, quam Latino, uti maluiſſe.

Diviſum eſt hoc opus duos in Tomos, quorum prior tres libros complectitur. Ac *primo* quidem *libro* Autor hiſtoriam deſcribit magni illius ſchiſmatis, quo duos Eccleſia habuit Pontifices, & ſatis longo temporis tractu in duas ſectas diviſa manſit. Copioſſime autem & accuratiſſime omnem iſtius ſchiſmatis hiſtoriam deſcribit, ſingulari etiam ſtudio annotans, ubi hiſtorici, maxime σύγχρονοι, diſſentiunt, &, utrius narratio ſit fide dignior, oſtendens. Hoc modo ſtatim initio omnium hiſtoricorum narrationes de Urbani VI electione exhibet, earum diſcrimina commonſtrat, ac denique, quid veriſſimum haberi debeat, exponit. Quam nihil ad hanc hiſtoriam illuſtrandam faciens omittat Autor, vel ex eo diſcimus, quod *Nicolai de*

Clemangis libri *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* potiora argumenta §.59 p. 66 ſqq. lectoribus ſuis repræſentat, ratus ſcilicet, hujusmodi libros utiliſſimos eſſe ad cognoſcendam veram Eccleſiæ illius temporis faciem. Quod reſpiciens, etiam *Lib. III §.78* exhibenda cenſuit, quæ libro Gerſoniano *de auferibilitate Papæ* continentur.

Libro ſecundo reliqua hujus ſchiſmatis enarrat, fortunam Paparum Benedicti XIII, Bonifacii IX, Innocentii VII & Gregorii XII, item Gallorum labores ad tollendum hoc ſchiſma ſuſceptos, nec non Concilia hanc ob cauſam a Gallis habita. Deſcribens *§. 61 ſqq.* Concilium in Gallia A. 1406 habitum, quo nullum in hac gente numeroſius & magnificentius unquam habitum fuiſſe ferunt, exhibet in compendium redactas Orationes in eo habitas a Petro ad Boves, Joanne Parvo, Simone Cramaldio, Guilielmo Fillaſtrio, Petro Alliacenſi, (qui verba faciens ſuper dictum aliquod Pauli Apoſtoli inuſitata civilitate eum appellabat *Monſieur Saint Paul,*) Petro Regis, Petro Plaulio, Theologis ea ætate ſpectatiſſimis. Finit hunc librum ſecundum Declaratio Galliæ Regis A. 1408 facta, qua Gallia ſe profitetur *neutralitati* addictam, & utrumque Papam rejicit tanquam illegitimum.

p. 146.

Libro tertio ipſius Concilii Piſani hiſtoria exhibetur, & ſingulæ ejus Seſſiones recenſentur, adjuncta hiſtoria creati in illo Concilio Papæ Alexandri V. Nec omittitur duorum Conciliabulorum hiſtoria, quorum alterum hoc tempore a Benedicto XIII Perpiniani, alterum a Gregorio XII in Foro Julii fuit habitum. Cum vero Alexander V inter alia Piſis ediderit Programma, quo Ordinibus mendicantibus indulget facultatem quosvis audiendi peccata ſua pie confitentes, eosque a peccatis abſolvendi, eaque res non ſolum ante illud tempus, ſed etiam poſtea controverſiæ fuerit ſubjecta; libuit Autori noſtro totam ejus rei hiſtoriam exhibere *§. 79 ſqq.* Legere etiam hic licet *§. 109 p. 328* epitaphium hujus Papæ tumulo inſcriptum, quod ideo huc transferemus, quod non exhiberi illud integrum obſervavimus. En illud: *Summus Paſtorum* Alexander Quintus, *& omnis ſcripturæ lumen, ſanctiſſimus Ordo Minorum quem dedit, & proprio nomine Petrus, migravit anno Domini MCCCCX.* Præterquam quod comma inter *ſanctiſſimus* & *Ordo* interjectum ejecimus, etiam facile agnovimus tres verſus hexametros,

tros, indeque concludimus, ab Editore unam vocem fuiſſe omiſſam, ac tertium verſum ſic fluere oportere: *Quem dedit, & proprio vocitatus nomine Petrus.* Vox igitur iſta (*vocitatus*) vel ſimilis utique eſt omiſſa.

Librum inter tertium & quartum *p. 330-349* doctiſſimus Autor exhibet communicatas ſecum ex illuſtri bibliotheca Uffenbachiana quatuor libellos manu exaratos, nec antea unquam publicatos. Ac tres quidem in compendium duntaxat redactos exhibet, unum vero, qui tertium locum tenet, totum exhibet, ſed Gallice redditum e Latino ſermone. Exſtat igitur hic (*1*) *Roberti de Franzola*, Doctoris Juris & Advocati Moguntini, Apologia Concilii Piſani, A. 1408 in Comitiis Francofortanis recitata, audiente Ruperto, Rege Romanorum; (2) Reſponſio Concilii Piſani ad Rupertum, Regem Romanorum, iſtud Concilium non probantem; (3) Epiſtola circularis Imperatoris Ruperti ad Epiſcopos Germaniæ, qua ſignificat, ſe, non obſtante Congregatione Piſana, adhærere Gregorio XII, tanquam vero Papæ, & Alexandrum V habere pro Antipapa; (4) Joannis Naſſovii, Archiepiſcopi Moguntini, Epiſtola circularis ad omnes Germaniæ antiſtites, qua docet, ſe & Concilium Piſanum approbare & novo Papæ obedientiam præſtare. Hinc ſequitur Catalogus aſſeſſorum Concilii Piſani. Fuerunt nimirum Cardinales XXV, Patriarchæ IV, Archiepiſcopi (qui partim præſentes fuerunt, partim legatos miſerunt) XXIII, Protonotarii II, Epiſcopi (quorum quidam per legatos ſuos adfuerunt) CLI, Abbates CCLVII.

Hactenus prior Tomus. *Tomus ſecundus* quinque poſteriores libros continet, quibus ea deſcribuntur, quæ inde ab exitu Concilii Piſani geſta ſunt in Eccleſia usque ad initium Concilii Conſtantienſis. Agitur itaque hic de electione, peſſimis moribus, & actis Papæ Joannis XXIII: deſcribuntur labores Imp. Sigismundi, quos impendit ad convocandum Concilium Conſtantienſe: docetur, quos fecerit progreſſus Joannis Huſſi doctrina in Bohemia. Maxime totus liber octavus exhibet hiſtoriam Huſſi & Huſſitarum, quantum quidem ejus ad hoc ævum pertinet: ac ſimul ſumma librorum hoc tempore ab Huſſo editorum fideliter repræſentatur lectoribus. Cum vero arcta ſit inter ſtatum civilem & eccleſiaſticum

Digitized by Google

connexio, fieri non potuit, quin multa ſimul illuſtrarentur ab Autore capita hiſtoriæ civilis. Sic *lib. V §. 23 ſqq.* deſcriptam offendimus hiſtoriam belli a Polonis hoc ipſo tempore geſti cum equitibus Ordinis Teutonici.

Multa vero etiam reperiet lector in hoc opere, quæ a titulo ejus non exſpectaverat. En potiora! *Lib. II §. 21* agitur de ſecta *Alborum*, qui in Italia orti ſunt regnante Romæ Bonifacio IX, & cum inepta ſuperſtitione ſanctisque impoſturis peſſimos mores conjunxerant. Ibidem *§. 103* contra Bzovium, Raynaldum, & Spondanum oſtenditur, *Theodoricum de Niem*, ſcriptorem magni illius ſchiſmatis, eſſe fidelem hiſtoricum & incorruptum, adeoq; fide digniſſimum. *Lib. III §. 103* diſputatur de origine aureæ roſæ, quam Papa quotannis mittere ſolet ad aliquem e ſuis aſſeclis Principem. *Lib. IV §. 31* docet Autor, a Chriſtianis toto illo ævo, quod *medium* vulgo vocamus, crudeliter vexatos fuiſſe Judæos: id quod tamen minus Chriſtiane factum eſſe exiſtimat. *Lib. V §. 8* de *Petro Alliacenſi* agit, ejusque Epitaphium exhibet: §. *XI ſqq.* hiſtoriam expeditionum cruciatarum, quas vocant, compendioſe deſcribit. *Lib. VI §. 25* de *Vincentio Ferrerio* diſſerit, qui innumeros prope Judæos in Chriſtianorum caſtra traduxiſſe, itemque plurima miracula patraſſe fertur; & §. *26 ſqq.* de converſo illo Judæo, *Hieronymo de S. Fide*, cujus liber contra Judæos fuſe recenſetur, ejusdemque ſolennes cum Judæis habitæ diſputationes copioſe deſcribuntur. *Lib. VII §. 28 ſqq.* agitur de condemnatione doctrinarum *Joannis Parvi*, facta Lutetiæ a Theologis Regis juſſu congregatis.

A SYSTEM OF THE MATHEMATICKS,

hoc eſt,

SYSTEMA MATHESEOS, AUTORE JACOBO HODGSON, Lectore Matheſeos in Shola Mathematica Regia Orphanotrophii ad S. Salvatorem & Soc. Reg. Sodali.

Volumina II.

Londini, ſumtibus Thomæ Pagii, Wilhelmi & Fiſcheri Mount, 1723, 4.

Alph. 7 pl. 19½. Tabb. æn. 14, cum figuris bene multis ligno inciſis.

Cl.

CL. Autor ſtudium Matheſeos pro muneris ſui ratione promovere intendit, quatenus ad navigationem utile. Edidit ante aliquot annos Tractatum de navigatione ſub titulo: *Theoria navigationis demonſtrata*, quo meruit, ut Lector Matheſeos in Schola Mathematica Regia eligeretur ad docendam Aſtronomiam & Navigationem. In hoc igitur Syſtemate non continentur, niſi quæ uſum in navigatione præſtant, ſive immediatum, ſive mediatum. Etſi autem ars navigandi inter diſciplinas practicas referatur & ob praxin addiſcatur; non contemnendo tamen conſilio omnem praxin theoriæ ſuperſtruit Cl. Autor. Dolendum enim, quod vulgo theoriam negligant, qui praxi e Matheſi derivatæ operam navant, non ſine artium Mathematicarum detrimento. Dividitur totum opus in partes quinque, quarum tres priores Volumini primo, duæ poſteriores ſecundo cedunt. Parte igitur prima comparent *Euclidis* elementa ſex priora, omnis ſcientiæ Mathematicæ fundamentum. Non tamen ſequitur Cl. Autor ordinem propoſitionum *Euclidis*, cum ſuo in demonſtrando ingenio utatur atque hinc praxes immiſceat ad inſtitutum facientes, quæ ex theorematis *Euclideis* fluunt. Succedit parte ſecunda *Trigonometria plana*, recentiorum inventis plurimum illuſtrata. Applicat Cl. Autor ſeries infinitas *Newtoni* aliorumque, quibus ſinus tangentes atque ſecantes, cum naturales tum artificiales, ipſisque reſpondentes arcus, tum etiam Logarithmi numerorum naturalium exprimuntur ad Tabularum conſtructionem, operam imprimis dans, ut applicatio captui tyronum reſpondeat. Notat hac occaſione data, *Abrahamum Sharpium* numeros *Ludolphinos* pro circulo ad loca 72, *Joannem* vero *Machinum*, Aſtronomiæ in Collegio *Greshamenſi* Profeſſorem & Societatis Regiæ Secretarium, ad loca centum extendiſſe, ita ut poſita diametro 1.00000 &c. pleripheria ſit 3. 14159. 26535. 89793. 23846. 26433. 83279. 50288, 41971. 69399. 37510. 58209. 74944. 59230. 78164. 06286. 20899. 86280. 34825. 34211. 70679 †. Parte tertia Tractatus de *navigatione* continetur, ſeu arte navem per mare ab uno loco ad alterum via breviſſima & tempore breviſſimo deducendi. Orditur Cl. Autor ab introductione præliminari de variis navigandi modis, ubi problemata ſolvuntur, demonſtrantur, exemplis illuſtrantur, adjectis Tabulis neceſſariis. Applicat

dein

dein doctrinam trigonometricam cum de triangulis planis, tum de obliquis ad navigationem planam, tam in curſu ſimplici quam compoſito, & alia problemata ad navigationem utilia ſolvit, veluti, de directione curſus navis pro diverſitate venti, de currentibus, quibus motus navis vel acceleratur vel retardatur. Deſcribit mappas nauticas eorumque uſum; ſolvit problemata varia de navigatione parallela, quæ fit ſub dato quodam parallelo, & hanc doctrinam applicat ad navigationem, quæ fit media (quod dicitur) latitudine; demonſtrat errores mapparum planarum, & fundamenta mapparum *Mercatoris*, una cum methodis *Wrighti* atque *Oughtredi* illos errores emendandi; deſcribit navigationem *Mercatoris* omniaque problemata huc ſpectantia ſolvit; declarat conſtructionem & uſum mapparum *Mercatoris*, & navigatione circulari abſoluta oſtendit, quomodo problemata nautica ſine Tabulis Logarithmorum ſinuum, tangentium, ſecantium & partium meridionalium, aut alio quocunque numero artificiali ope ſerierum infinitarum ſolvantur. His larga manu adduntur problemata & doctrinæ per omnem navigationem ampliſſimi uſus, de invenienda altitudine poli ſeu latitudine loci dati, non neglecta refractione, cujus lex præcipua per methodum de maximis & minimis demonſtratur; de determinanda locorum longitudine per eclipſes lunares, ſolares, ſatellitum Jovis, appulſum Lunæ ad fixas, immerſiones & emerſiones planetarum, horologia oſcillatoria; de variatione acus magneticæ; de methodis determinandi longitudinem itineris confecti; de æquatione temporis; de theoria Solis & conſtructione ac uſu tabularum Solarium; de projectionibus Sphæræ orthographicis & ſtereographicis, quæ ad ſolutiones problematum primi mobilis juxta ſyſtema *Copernicanum* applicantur, de uſu globi cœleſtis atque terreſtris; de fundamentis Chronologicis & natura atque conſtructione logarithmorum. Ex obſervationibus *Flamſtædii* deduxit refractionem horizontalem 33 minutorum & in diſtantia 10 graduum a Zenith 9 ſecundorum. Ex obſervationibus ejusdem *Flamſtædii* atque *Caſſini* differentiam Meridianorum obſervatorii Regii Pariſini & obſervatorii Regii *Grenovicenſis* efficit 2 grad. 2 min. 30 ſec. Ex aliis determinat differentiam Meridianorum *Grenovicenſis* & *Ulyſſipponis* 10 grad. 22 min. 30 ſec. differentiam Meri-

Meridianorum *Grenovicenſis* & *Romani* 13 gr. 03 min. differentiam Meridianorum *Grenovicenſis* & *Dantiſcani* 18 gr. 41 min. 15 ſec. In theoria Solis utitur hypotheſi elliptica *Kepleri* & juxta eam conſtruxit novas Tabulas Solares ex obſervationibus *Flamſtedianis* ad Meridianum *Grenovicenſem*. Epocham pro anno currente 1701 figit in 9 S. 20° 43′ 50″; motum medium in anno communi conſtituit 11 S. 29°, 45′, 40″, diurnum 59′, 8″, horarium 2′ 28″; æquationem maximam orbis 1°, 56′, 20″, in primo anomaliæ gradu 1′, 59″. Tabulam declinationum Eclipticæ ad bina minuta ſingulorum graduum computavit, ſuppoſita declinatione maxima 23°, 29′, nec non Tabulam aſcenſionum rectarum Eclipticæ. Locus *Aphelii* Telluris juxta *Flamſtedii* obſervationes A. 1701 in momento æquinoctii fuit 3 S. 7°, 44′, 42″, motus ejus ſeu Apogæi ſolaris annuus 1′, 3″: eccentricitas 1692 partium, quorum radius excentrici 100000. Hæc quidem continentur ſyſtematis volumine primo. Volumine ſecundo comparet totius operis pars quarta & quinta. Solvuntur hic problemata primi mobilis, cum per projectiones ſtereographicas, tum per Trigonometriam ſphæricam. Uſus eſt Autor luminibus, quibus ipſi affulſit *Flamſtedii* Doctrina Sphærica. Tractationem orditur a projectione ſtereographica ſphæræ, demonſtrans theoremata de projectione circulorum tam maximorum, quam minimorum, & de arcubus projectorum metiendis. Hinc deducit ſolutiones problematum de circulorum projectione & projectionis ope conſtruendis triangulis ſphæricis conſtructisque dimetiendis, ſive latera ſpectes, ſive angulos. Traditis adeo iis, quæ ad ſolutiones problematum primi mobilis per projectiones circulorum neceſſaria ſunt, ad Trigonometriam ſphæricam progreditur. Præmiſſis principiis theoremata demonſtrat, quibus nituntur ſolutiones triangulorum ſphæricorum, cum rectangulorum, tum obliquangulorum, atque inde problemata conſueta Trigonometriæ Sphæricæ ſolvuntur, additis una eorundem ſolutionibus ſtereographicis. Tandem parte quinta ſive ultima ſolutiones tam ſtereographicæ, quam trigonometricæ, ad problemata primi mobilis applicantur. Imprimis etiam rationem habet problematum de parallaxi, aliorumque, quorum in eclipſibus Solaribus computandis eſt opus. Sed quomodo illorum ope initium, medium & finis eclipſium deter-

minetur, ex *Flamſtedii* Doctrina Sbhærica petendum eſſe, monet. Noſtrum inprimis eſt recenſere ea, quæ Cl. Autor de Operibus *Flamſtedii* poſt fata relictis annotat. Tribus ea comprehenduntur voluminibus. *Volumine primo* continentur obſervationes *Guilielmi Gaſcoignii*, quem inventorem micrometri & dioptrarum teleſcopicarum autorem laudat Noſter, ab anno 1638 usque ad 1643 celebratæ & ex litteris ad *Crabtrium* excerptæ, una cum ipſius *Crabtrii* obſervationibus eodem tempore habitis. Continentur porro eodem volumine Obſervationes diametrorum Solis & Lunæ apparentium, configurationes & elongationes Satellitum Jovis ab eodem, minutæ diſtantiæ fixarum cum appulſibus Lunæ & Planetarum ad eosdem, obſervatæ ope teleſcopii micrometro inſtructi Derbiæ ab anno 1670 usque ad 1675 a *Flamſtedio*, una cum diſtantiis fixarum a ſe invicem & Planetarum ab iisdem, eclipſibus Solaribus, Lunaribus & Satellitum Jovis, maculis Solaribus, Cometis & refractionibus ope Sextantis, cujus radius ſeptem pedum, & Quadrantis mobilis atqne teleſcopii micrometro inſtructi, ab A. 1673 usque ad A, 1689 captis in obſervatorio regio. Has obſervationes propria manu in ordinem digeſſit magnus ille Aſtronomus & loca *Lunæ*, *Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Veneris* & *Mercurii* ex obſervationibus deducta adjecit, una cum Tabulis neceſſariis. *Secundo volumine* comparent obſervationes diſtantiarum fixarum, Solis, Lunæ & ceterorum Planetarum a vertice in Meridiano, captæ ope arcus muralis, cujus radius 7 pedum, limbus 140 graduum, una cum tempore tranſitus ipſorum per meridianum & obſervationibus diametrorum Solis & Lunæ, eclipſium Solis, Lunæ & Satellitum Jovis, variationum acus magneticæ, ab A. 1689 usque ad finem A. 1719. Comparent porro Tabulæ, quibus computatio locorum fixarum & planetarum ex obſervationibus facilitatur. Adduntur 2000 fere loca Lunæ in Oppoſitionibus, Quadraturis & Limitibus &c. una cum locis *Saturni*, *Jovis*, *Martis*, *Veneris* & *Mercurii*, ex obſervationibus illis deductis. Tandem *Volumine tertio* exhibetur Catalogus aſcenſionum rectarum, diſtantiarum a Polo, Longitudinum, Latitudinum & Magnitudinum 3500 circiter fixarum, una cum variationibus aſcenſionum rectarum & diſtantiarum polarium interea factis, dum Longitudo uno gradu varia-

Digitized by Google

variatur, ut aſcenſiones & diſtantiæ a polo ad duo retro & porro ſecula ſatis exacte determinari poſſint. Extant etiam in hoc Volumine Tabulæ amplæ, in quibus ex data aſcenſione recta & diſtantia a Polo fixarum & Planetarum reperitur Longitudo & Latitudo. Præfigitur Præfatio prolixiſſima, continens relationem de obſervationibus aſtronomicis antea factis, una cum deſcriptione inſtrumentorum, quorum ope peractæ ſunt, nec non Relatio de obſervationibus & inſtrumentis propriis, textus Græcus Catalogi *Ptolemaici* 1026 fixarum, cum verſione nova Latina atque locis *Ulug-Beighianis* correctis. Sunt ibi catalogi quidam *Arabum*, *Tychonis de Brahe* 780 fixarum, *Landgravii Haſſiæ* 386, *Hevelii* 1534, *Halleji* ſiderum 300 auſtralium reductorum ad aſcenſiones rectas, diſtantias a polo, Longitudinem, Latitudinem, quæ ipſis debentur ex *Flamſtediono* Catalogo, in quo ſtellarum loca computata ſunt ad A. 1726, una cum variationibus aſcenſionum rectarum & diſtantiarum a polo. Exhibentur mappæ Conſtellationum viſibilium in noſtro hemiſphærio, conſtructæ nova quadam methodo, in quibus figuræ veteres inſtaurantur & ſtellæ ex Catalogo proprio inſeruntur, una cum duobus ampliſſimis Planiſphæriis conſtellationum borealium & auſtralium. Sunt porro in eodem volumine Tabulæ Aſtronomicæ ex propriis obſervationibus deductæ ad invenienda loca Luminarium & Planetarum, Volumen Actorum, Volumen lectionum Aſtronomicarum in Collegio *Greſhamenſi* recitatarum, cum diverſis aliis Tractatibus, Volumen denique epiſtolarum a celeberrimis Mathematicis ad *Flamſtedium* ſcriptarum, quos inter eminent *Caſſinus* ſenior, *Hevelius*, *Blanchinius*, *Jonas Moor*, *Chriſtophorus Wren*, *Walliſius*, *Molyneux*, *Gregorius*, *Caſwellus*, *Ræmerus*, *Oldenburgius*, *Collinſius*, *Townlejus*, *Iſaacus Newtonus*, *Hallejus* & *Sharpius*. Subjungit tandem Noſter ſuo operi in uſum nauticum & aſtronomicum Catalogum præcipuarum fixarum ad A. 1726, in quo aſcenſiones rectæ, declinationes, Longitudines & Latitudines una cum magnitudinibus ex obſervationibus *Flamſtedii* deductæ comparent; Tabulam Latitudinum & Longitudinum portuum, promontoriorum, inſularum & urbium celebrium per univerſum orbem ex recentiſſimis obſervationibus deductam; Tabulam denique Logarithmorum ab 1 ad 10000 & Tabulam Sinuum, Tangentium & Secantium.

Digitized by Google

RACCOLTA D' AUTORI CHE TRATTANO del Moto dell' Acque.

h. e.

SYLLOGE SCRIPTORUM DE MOTU aquarum.

Tomi III.

Florentiæ, e typogr. M. Ducis, ap. Tartini & Franchi, 1723, 4 maj.
Alph. 9 pl. 10 Fig. Tabb. 44, cum plurimis textui inſertis.

QUicquid præclari circa Theoriam aquarum fluentium adinventum eſt, imprimis induſtria Italorum, illud in præſtantiſſima hac Collectione velut in Theſauro quodam congeſtum habemus. Ad operis commendationem accedit, quod non tantum Inventa mere Geometrica, & quorum alias mentio facta eſt, ſed etiam commentariolos, judicia & reſponſa, ſtatum aquarum Bononienſium & Ferrarienſium diverſis temporibus, & remedia vel propoſita vel adhibita, concernentia, comprehendat: quo nomine indigenis neceſſarium, exteris omnibus, qui vel in Theoriis ulterius promovendis, vel in operibus ejusmodi Hydragogicis dirigendis & conſtruendis occupantur, propter ingentem numerum experimentorum, perutile dici debet. Nobis in præſenti ſuffecerit indicaſſe nomina tractuum & autorum eo ordine, quo in quolibet Tomo diſponuntur. Tomo I continentur I *Archimedes* de iis, quæ inſiſtunt humidis; 2 *Antonii Francisci Albizii* de Paludibus & ſolo Piſano; 3 *Galilei* diſcurſus de iis, quæ aquæ innatant vel in ipſa moventur; 4 *Ejusdem* epiſtola de Biſentio Flumine; 5 P. *Benedictus Caſtellus* de menſura aquarum Fluentium; tum & ejusdem alia, nempe 6 Epiſtola ad Galileum Galilei; 7 Demonſtrationes Geometricæ de menſura aquarum Fluentium; 8 Liber ſecundus de menſura aquarum Fluentium, 9 Conſiderationes circa Lacunam Venetam; 10 Conſiderationum pars ſecunda; 11 modus examinandi turbidas, quæ intrant in Lacunam Venetam & in ea deponuntur; 12 diſcurſus de Lacuna Veneta; 13 Epiſtola ad Jo. Baſadonnam, & 14 Epiſtola ad P. Bonav. Cavalerium; tum 15 Epiſtola *Cavalerii* ad Castellum; 16 Epiſtola alia *Caſtelli* ad Baſadonnam; 17 Epiſtola *Hora-*

Horatiiis Barbiſon ad Caſtellum; 18 alia Epiſtola *Caſtelli* ad Baſadonnam; 19 *Ejusdem* epiſtola ad P. Franc. Joſephum; 20 *Caſtelli* reſponſio ad epiſtolam Bartolotti; 21 *Ej.* conſiderationes ſuper Paludum Pontinarum exſiccatione; 22 *Ej.* conſiderationes ſuper Paludum Bononienſium, Ferrarienſium & Romandiolenſium exſiccatione; 23 *Octavii Corſini* relatio de aquis Bononienſibus & Ferrarienſibus; 24 *Caſtelli* Epiſtola ad Dn. Ceſarini; 25 *Famiani Michelini* de fluminum directione Tractatus; 26 *Jo. Alph. Borelli* diſcurſus ſuper Lacuna Veneta; 27 *P. Urbani Daviſi* epiſtola ad Sereniſſ. Ducem Venet. 28 Relatio *J. A. Borelli* de Stagno Piſano; 29 *Ejusd.* Supplementum ad prop. 2 L. II Bened. Caſtelli; 30 *Ejusd.* Fragmentum Relationis &c. 31 *Ejusd.* aliud ſimile; 32 *Geminiani Montanari* Mare Adriaticum ejusque currentes examinati; 33 *Vincentii Viviani* Modus impediendi Fluviorum oppletiones & riparum corroſiones, cum applicatione ad Arnum Fl. 34 *Ejusd.* relatio de præſervandis civitate & territorio Piſano ab inundatione; 35 *Jo. Dominici Caſſini* Diſtributio aquarum Bononienſium & Ferrarienſium; 36 *Ejusd.* conſiderationes de damnis Reni ad Card. Borromæum; 37, *Ejusdem* reſponſa tria data in eodem negotio. Tomus II complectitur 1 *Guilielmini* de menſura aquarum fluentium & de natura fluviorum; 2 *Guid. Grandi* de motu aquarum Tractatum Geometricum; 3 *Ejusd.* examen reſponſi Rondeliani. Tomo III inſeruntur 1 Judicia & reſponſa varia *Euſtachii Manfredi* & aliorum in negotio aquarum Bononienſium & Ferrarienſium; 2 Tractatus *Picardi* de Libellatione; 3 *Thomaſii Narducci*, Patricii Lucenſis, de motu aquarum per canales diverſos. Præmittitur operi Præfatio ſatis prolixa, cujus Autor anonymus promittit introductionem facilem in Operis lectionem, duobus abſolvendam: primo, ait, ſe acturum de iis, quæ aquis naturaliter accidunt, ſecundo de iis, quæ arte inventa & perfecta fuere. Quibus præmiſſis fidem habens merito expectaverit compendium hiſtoriæ naturalis fontium, fluviorum & marium, nec non Hiſtoriam inventionum hydraulicarum & hydragogicarum eo ordine, quo ſibi ſucceſſerunt: ſed non ſine admiratione deprehendet in lectionis progreſſu haud aliud promi, quam Locos communes de utilitate aquarum & illud Pindari ἄριστον μὲν ὕδωρ; Declamationes contra

Ingeniarios & Practicos; Locos communes de operibus Hydragogicis veterum: pauciſſima denique vaga & generalia de mutatione naturali fluviorum & marium. Sub finem ſubjungit quædam de auctoribus diverſis,quorum ſcripta huic collectioni inſerta ſunt, ſed ejusmodi iterum, ut magis rationem habuiſſe videatur locorum communium, & quæ dici poſſent, quam quæ dici deberent. Huc ſpectat Sphæra Archimedis, Speculum, & reliqua in vulgus nota. Satius feciſſet, ſi notaſſet, qua occaſione quilibet Auctor ſua ſcripſerit; quove tempore impreſſæ fuerint ſingulæ minores illæ diſſertationes, & quo loco; quantumve quisque Theoriam motus aquarum promoverit; qua ratione utilem introductionem ſuppeditaſſet Lectoribus, quorum plerique verboſam ejus eloquentiam parum curabunt.

FREDERICI RUYSCHII, MED. DOCT. ANAtomes & Botanices Profeſſoris, Academiæ Cæſareæ Curioſorum Collegæ, nec non Regiæ Anglicanæ Societatis Membri, Curæ Poſteriores, ſeu Theſaurus Anatomicus omnium præcedentium Maximus.

Amſtelodami, apud Ianſſonio-Waesbergios, 1724, 4.
Plag. 5, cum fig. æn. tabulis 3.

Exhibet Clariſſimus Ruyſchius in hoc Theſauro Curas poſteriores, ceu laborum omnium per tot annorum ſpatium exantlatorum & ad res Phyſicas ac Anatomicas illuſtrandas detectorum, epilogum, ultra ducenta & viginti objecta continentem, & Magnæ Ruſſiæ Imperatori, Petro Alexiowitzio, dicatam. Quæcunque ſcilicet olim in *Obſervationibus Anatomico-Chirurgicis*, in *Theſauris & Adverſariis Anatomicis*, a ſe detecta & inventa vel illustrata ſeorſim indicaverat, hic non ſolum repetit, ſed & objecta ipſa nitide conſervata curioſorum oculis conſpicienda affert. Præ reliquis autem veram ramorum venæ portæ, hepar potiſſimum perreptantium, conſtitutionem, eorumque & venæ cavæ diverſitatem, vaſa ſanguinea per meſenterium diſſeminata, lienis texturam, papillas cataneas, pro glandulis vulgo habitas, corticem cerebri vaſculo-

loſum, cryptas Boerhnaavianas in inteſtinis, corpus reticulare Malpighii ſub cute ſitum, fœtus humanos, eorumque ſceleta, in tumulis, ex ligno Indico pretioſo confectis, recubantia, miro modo ſpectantium oculos delectari, deprædicat. Inter Anatomica reperiuntur quoque varia Botanica, e. g. quæ analogiam quandam cum viſceribus humanis poſſident, fructus puta, pyra, pruna, poma Armeniaca, &c. quæ in ſceleta redacta curioſe aſſervantur. Adſunt etiam variæ pyxides, quæ herbas floresque rariores, papiliones & alia inſecta, ex utraque India potiſſimum allata, continent. Quæ pyxides inſtar Herbarii vivi ſunt, in quibus vegetabilia naturalem formam conſervant, coloremque per multos annos illibatum retinent.

ROBERTI WELSTED DE ÆTATE VERgente Liber, ad Rev: admodum HUGONEM, Episcopum Briſtolienſem.

Londini, apud Gul. & Jo. Innys, 1724, 8.
Plag 8½.

QUo plura, quove majora ab ætate provectis in publicam rem commoda redundant, eo dignius meditatione argumentum elegiſſe ſibi videtur Clar. Autor, dum, quid ætati vergenti conducere, quidve eidem nocere ſoleat, duodecim capitibus ſolerter exponit. Primo capite in generales naturæ, quas in omnibus vivis corporibus advertere licet, leges inquirit; naturæ ordinem, quæ in plantis vitam adumbrat, pleniorem ejus imaginem in animalibus exprimit, & denique in hominem aſſurgere videtur, imitaturus. Nimirum plantis æque ac animalibus commune eſt, ut ad maturitatem ſibi propriam perveniant, ac deinde deficiente ſenſim vigore in quoddam quaſi ſenium declinent; nec illud minus commune eſt, quod quæ arte ad maturitatem præpropere evehuntur, eo citius marceſcant, quæ tarde vero creſcunt, eo magis diuturnæ ac ſtabiles evadant. Quivis paulo attentior eadem cum hominibus ratione agi facile advertet, ita enim, ut ex multis, quæ fuſius ab Autore adducuntur, unum ſaltem commemoremus, a primæ potiſſimum ætatis

die-

Digitized by Google

diſpoſitione atque cultura ſequentium ætatum vigor & longævitas pendere omnino videtur. Hac generali conſideratione præmiſſa propius ad propoſitum accedit, quidve Lectori in tractatione ſperandum ſit, in compendio exhibet. Accurate de ætate vergente acturo ejus ante omnia terminos conſtituere neceſſe erat, de quibus tamen nihil certi definiri poſſe, ipſe Cap. II fatetur, cum natura non annorum numerum, ſed variam diverſorum mortalium indolem reſpiciat, ita ut non eodem ætatis anno ſinguli ſenes habendi videantur, cum potius in omni ætate quædam quaſi ſenecta conſpiciatur, ubi in ipſa hominis natura cauſa ſit, cur diutius ſpiritum trahere non detur. Ex ſolis igitur naturæ viribus earumque defectu hujus, de qua agit, vitæ periodi initium judicandum eſſe monet. Hinc ætate provectos hortatur, ne in ſemet ipſos iniqui exiſtant atque injurii, ſi ex annorum numero de vigore ſuo viribusque judicium ferre velint; qui multis tamen familiaris eſſe ſoleat error, ut dum pauciores ex coætaneis ſuperſtites ac viribus integris eſſe vident, ipſi quoque ſpem abjiciant, ac quæ ſalutaria eſſe poterant, remedia negligant, & langueant tandem ægri vana decepti opinione magis, quam cum adverſa valetudine colluctantes, quo ipſo in mortem citius declinant, vel ad vitam impoſterum miſeratione digniſſimam damnantur. Ubi vero ſufficientia vergentis ætatis deprehenduntur indicia, tunc omnino conſilia, huic ætati accommodata & naturæ imbecillitati ſuccurrentia, adhibenda ſunt, quæ partim integram adhuc conſervent, partim amiſſam reſtituant ſanitatem. Illa duplicia apud Noſtrum occurrunt, quorum alia ex prudentiæ foro, alia ex Medicorum ſcholis deſumta ſunt. Inter ea hoc potiſſimum peculiare atque notatu dignum viſum eſt, quando ſenibus, natura ſua juniorum ut plurimum conſortium abhorrentibus, perſuadere allaborat, nihil eorum imbecillitati magis poſſe mederi, quam vigentium ac ſpirituum copia abundantium juvenum conſuetudinem, ut horum ſocietate denuo vitalis eorum flamma accendatur, alaturque ad extremam usque ſenectutem: idque ſingulari ita a natura conſilio conſtitutum arbitratur, ut a conſueta illos moroſitate avocaret, dum ſalvos eſſe non vult, niſi amicitiam juniorum colant atque in ſocietatem ſecum cooptent. Medica, quæ tradit, conſilia fere omnia ex Hippocrate deſumta ſunt, quem ſolum ſuo

pro-

Digitized by Google

propoſito ſufficere arbitratur, cum reliquorum hac de re ſcripta non niſi commentaria ejus eſſe videantur. Primo quidem ſi nimiæ ſanitatis ſpeciem vultu ſenes præbeant, periculoſum eſſe monet, eoque potius ſanitatis modo contentos eſſe iubet, qui imbecillæ eorum naturæ magis ſit conveniens, nec tamen impetuoſe nimis aliquid detrahendum eſſe putat, cum ab utroque extremo tum inani tum repleto corpore periculum iis impendeat, & facile, dum hoc fugiunt, in illud incidant. Deinde, quibus tutiſſimi vivere queant anni temporibus, exponit, eosque æſtate & autumni prima parte optime valere, multis partim teſtimoniis ex Hippocrate & Celſo, tum rationibus aſſerit: varias autem & repentinas tempeſtatis mutationes, quocunque incidant tempore, maxima iisdem damna minari oſtendit. Qua occaſione, dum varia ex Hippocrate & Celſo loca adducit, Celſum nonnihil carpere videtur: quando enim Hipp. Aph. l. 3 aph. 44 ait: *in tempeſtatibus ſi eadem die nunc quidem caliditas, nunc autem frigiditas adſit, autumnales morbos expectare oportet*: ita Celſus L 2 c. 1 interpretatur: *nam fere meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, ſimulque etiam veſpertinis frigus eſt. Corpus ergo & æſtate & ſubinde meridianis caloribus relaxatum ſubito frigore excipitur; ſed ut autumno id maxime fit, ſic, quandocunque evenit, noxium eſt.* Quæ omnino verbis Hippocratis maxime conveniens eſſe videtur interpretatio. Autor contra his verbis ad 8 Aph. l. 3 Celſum reſpexiſſe, & ita mentem Hippocratis minus recte aſſecutum eſſe, neſcio qua motus ratione, arguit: cum tamen in illo Aph. de indole potius morborum autumnalium, quam de origine eorum, de qua Celſus l. c. agit, diſſeri videatur. Cum ipſa vero ſenectus morbus ſit, nec alii profecto, qui hanc premant ætatem, deerunt morbi; quare ad horum quoque conſiderationem ultimis capitibus ſe accingit, & generatim quidem vel in ſero vel in pituita vitium latere demonſtrat: eos tamen ubi in pituita morbi fomes reſidet, non tam male, quam ubi in ſero peccante conſtituitur, audire, nec adeo facile in chronicos, ſenibus maxime timendos, degenerare arbitratur. Ceterum plurimos, qui hanc ætatem affligunt, morbos, optime arthritide ſuperveniente ſublevari opinatur: hinc eo potiſſimum Medicos in tollendis ejusmodi morbis reſpicere jubet, ut quod in viſceribus

D hæ-

Digitized by Google

hæret, val alia quacunque ratione æconomiam partium nobiliorum turbare poteſt, in articulos rejiciant; hoc enim tanquam remedio graviorum uti naturam, & ſenes, his interdum recurrentibus contentos, reliquorum immunes perſiſtere malorum. Ex profeſſo igitur Cap. 8 ad 12 usque de eodem agens, generationem materiæ peccantis in viſceribus, indeque in articulamenta translationem perſequitur: lapidoſam iſtam congeriem, quæ tumoribus & excreſcentiis haud raro in articulis ſeſe prodit, cum unctuoſo iſto liquore, qui lubricandis oſſium commiſſuris inſervit, advehi ratus, ſignum inde adducit, quo ex ſede ejus mali de natuta & duratione illius judicare poſſimus, ſiquidem pro propior adhuc eſt viſceribus materia per morbum articularium ejicienda, eo tenaciorem eſſe exinde conjicitur, eoque majus ad tollendam temporis ſpatium requiritur; qua de cauſa iſchias & gonagra magis ſemper, quam vel podagra vel chiragra metnendæ eſſe videntur: nec inconſulte Medicus aget, qui dolorem a prioribus ad remotiora transferre loca ſtudebit, in pedibus vero extremis manibusque hærentem non uno impetu repellet, ſed paulatim potius attenuare, minuere & ſic tandem penitus excernere allaborabit. Demum etiam ultimo capite nonnulla de iis, qui ad extremam ætatem pervenere, monenda eſſe cenſet. Ea vero quæ de ætate vergente generatim dicta ſunt, in hac extrema ævi parte fortius urgenda ſunt: nulla ſenibus ſubita diætæ & vivendi generis mutatio (etiam ſi nonnihil commodi exinde ſperandum ſit) admittenda; omne id quod olim nocuiſſe experti ſunt, ſtudioſe vitandum; ſumma in animi commotionibus moderatio adhibenda, cum omnes nocere ſoleant, ſolo forſan gaudio excepto, quod cum ſenes ad triſtitiam natura magis ſint propenſi, nimium in iis facile excitari nequit. Ea itidem omnia ſtudioſe conquirenda ſunt, quæ ſpiritus roborando & ſentiendi vim conſervando proſunt, quo reſpectu maxime quæ nervoſo generi a Medicis dicata ſunt, commendari merentur, ut & illa quæ mentem præteritorum recordatione & benefactorum conſcientia recreare queunt. Ceterum libellus hic tum ſermonis elegantia tum rerum optimarum apparatu facile Lectoris ſtudium provocat.

MAGNI CRUSII, S. R. M. DAN. LEGAT. in Gallia Paſtoris, Singularia Pleſſiaca, ſive memorabilia de

vita

vita & meritis, fatis, controverſiis & morte Philippi Mornæi de Pleſſis, maximam partem ex ipſis Mornæi ſcriptis, præcipue vero eius Memoriis atque Epiſtolis ſtudioſe collecta, in claſſes temporum ac rerum redacta, cum plurimis hiſtoriarum Galliæ monumentis fide digniſſimis collata, & variis obſervationibus illuſtrata. Præmiſſa eſt præfatio D. HENRICI MUHLII Theol. in Eccleſ. ac Academia Holſat. primarii.

Hamburgi, apud Chriſt. Kiſnerum, 1724, 8 maj.
Plag. 21.

QUæ ex indefeſſa ſedulaque Epiſtolarum æque ac Memoriarum Mornæi lectione, præter cætera notatu digna, partim illorum temporum hiſtoriam, Eccleſiæque Reformatæ fata, partim Mornæi ipſius vitam resque geſtas apprime illuſtrantia, Clariſſ. Autor obſervaverat, ea operæ pretium putavit cum orbe erudito communicare, eo quidem ordine ac methodo, ut præcipua hiſtoriæ momenta ipſis Mornæi verbis confirmet, textui ſtatim adjectis. Inter alia ſingularia Cl. Autorem ex Memoriis Mornæi Tom. I p. 44 comprobaſſe videmus. Philippi Melanchthonis anno 1579 Monachii a Pontificiis factam poſt funera combuſtionem. Quæ cum illis hominibus, juſtiſſimo Dei judicio, feralis ac luctuoſa imprimis extiterit: Bælius in Dictionario ſuo aliique, imprimis Pontificii, enixe id operam dedere, ut rem inter fabulas rejiciant. Verum Noſter eam ex variis circumſtantiis firmat, nec inſolitam hanc eſſe inter Pontificios leonibus mortuis inſultandi conſuetudinem, exemplis Lutheri, Henrici Stephani, Pauli Sarpii atque aliorum oſtendit. Interim in eo a Romualdo, ſcriptore Gallico, diſſentit, quod non ipſum corpus Melanchthonis effoſſum, ſed effigies ejus fuerit cremata. Nefandum ſcelus Iohannis Caſtelli, Henrico IV Galliæ Regi mortem intentantis, ſed in ipſo conatu capti, ſupplicioque digno affecti, deſcribens, contra Gretſerum aliosque Jeſuitas, factum ſedulo negantes, ex Mornæo docet atque evincit, perditiſſimum hominem ad perpetrandum hoc facinus a Jeſuitis fuiſſe adductum. Rex enim ipſe ad Pleſſeum ſcribit, confeſſum eſſe nebulonem, per aliquot ſeſe annos in Collegio Jeſuitarum fuiſſe altum atque educatum, ne-

p. 32.

p. 95.

Digitized by Google

que dubium videri poſſe, qui nilli ſceleris autores ſuaſoresque ei exſtiterint. Elegans Mornæi ſcriptum, quo Vir ille doctus de conjugiis
p. 108. inter diverſæ religionis Principes inſtituendis conſultus a Comite Hanovienſi, ſententiam ſuam ingenue aperit, integrum inſertum
126. eſt. De Iſaaco Caſaubono exiſtimat, Pontificiorum quidem caſtra aperte eum non ſecutum fuiſſe, attamen ſibi in religione ſua minus conſtitiſſe, neque ea, quæ tum Almeloveenius in vita ipſius, tum alii pro Caſaubono afferant, eiusmodi eſſe, ut omnem plane dubitationem de religionis ipſius inconſtantia tollant, unde facile intelligi poſſit, quid præſidii ſibi Mornæus in colloquio illo cum Cardinale Perronio Fontisbellaquei religionis cauſa inſtituto, atque ab Autore Clar. pag. 116 ſeqq. expoſito, a Caſaubono & Canajo, tam dubiæ religionis hominibus, promittere potuerit: qui quidem ab ingenua probitate Thuani & Pithœi, Pontificiorum licet, melio ra
129. ſperabat. Hinc iniquæ conditiones, quibus Mornæus ad colloquium ſupra dictum admiſſus eſt, ex hiſtoria edicti Nannetenſis, quæ Eliam Benedictum autorem habet, ſummæque fidei ac autoritatis ſcriptum merito exiſtimatur, ac paulo poſt variæ ar tes, quibus in colloquio iſto incautum Mornæum deludere tentavit Perronius, attinguntur: inter quas & illa eſt, quod Patrum editiones interpolatas atque ita depravatas in colloquium ſecum adduxiſſet, ut integra folia immutata preloque denuo ſubjecta, genuinis editionibus immixta, vel tituli editionum Baſileenſium ac Genevenſium edi-
138. tionibus Pontificiis in locis impreſſis ſubdole fuerint præfixi. Contra Grammondum quoque & alios diſputat, affirmantes, infelicem colloquii modo memorati exitum anſam Hanrico IV dediſſe Reformatorum ſacra deſerendi, quem iam anno 1593 ad Pontificios acceſſiſſe docet. Ceterum non adeo magnum diſcrimen Mornæus inter Calvinianos ac Lutheranos eſſe ſtatuit, præſertim in articulo de ſacra Cœna, in quo pro fraternitate ineunda ſufficere poſſe ait, quod utrique verum corpus & ſanguinem Salvatoris noſtri in ſacra Cœna diſpenſari fidelibus credant, licet de modo non conveniant. Sunt, qui propter has aliasque loquendi rationes Mornæum transſubſtantiationis vel conſubſtantiationis errore infectum puta-
105. vere: ſed vel unica vox *fidelibus* a ſuſpicione hac Mornæum liberat. De *Paulo Sarpio* varia non ubivis obvia obſervat, ſimulque nuntiat, litte-

litteratiſſimum Virum, Frider. Adolph. Reinbothium, in eo eſſe, ut prope diem ſingulari ſcripto omnia, quæ ad hiſtoriam Sarpii, ſeu Petr. Suavis, pertinent, accurate exponat. De Mornæo quoque notat, eum multo ante infauſtam Henrici IV cædem præſagiiſſe, unde & conſilia ejus *Prophetiæ Andegavenſis* nomine venerint; præterea Autores hujus cædis Jeſuitas credi Mornæo, probat, mendaciique arguit Boterejum, in vita Henrici IV Jeſuitas omni culpa vacuos pronuntiantem. Ipſum vero Mornæum contra Martinum Iac. Owmannum, qui eum Hebrææ linguæ ignorantiæ accuſavit, defendit. Varia quoque ex Memoriis Mornæanis ſingularia, quibus ſtatus Eccleſiæ Græcæ illuſtrari poteſt, adducit, ſimulque diſquiſitionem ejus de Patriarcha Conſtantinopolitano, num rite œcumenicus vocari poſſit, adjungit. In qua re explicanda eo majorem fidem meretur Mornæus, quod ipſe in Memoriis Tom. IV p. 473 ſcribit, ſeſe quondam litterarium quoddam commercium religionis cauſa cum Patriarcha Cyrillo & aliis habuiſſe. Tandem Cl. Autor accuratam omnium Mornæi ſcriptorum recenſionem ſuppeditat, ita quidem, ut, quo tempore unumquodque ab eo confectum ſit, primo explicet, deinde omnes editiones verſionesque exponat.

p. 168. 169. 250. 252. 256.

VITA GEORGII SABINI, CONSIGNATA a PETRO ALBINO. THEOD. CRUSIUS denuo edidit & luculento Commentario auxit.

Lignicii, ſumtibus hæredum Rorlachianorum, 1724, 8.
Pl. 14.

GEorgii Sabini, Poetæ laureati, Comitis Palatini, Conſiliarii Marchionum Brandenburgenſium, & Profeſſoris eloquentiæ in Acad. Francofordiana, Vitam ex ipſius potiſſimum ſcriptis collectam A. 1588 Witteberga ediderat Petrus Albinus. Hanc cum ſingulari perſcriptam eſſe diligentia videret Cl. Cruſius, rem gratam ſe facturum exiſtimavit litteratis, ſi & edendam denuo curaret & annotationibus illuſtraret luculentis. Nos, non ſoliti antiquos recenſere libros, ex Notis Cruſianis, hiſtoriam literariam multa luce perfundentibus, nonnulla ſumus delibaturi. P. 36 ſqq. de Arnoldo Burenio, Roſtochienſis Academiæ magno lumine, differit, & lectoribus

ſuis plura monumenta ejus hiſtoriam illuſtrantia indicat: quem quidem morem in toto hoc libro ſervat Cl. Cruſius. P. 54 ſqq. de Simone Lemnio, poeta maledico, cognitu digniora licet legere; p. 89 ſq. de Lazaro Bonamico. P. 136 oſtendit, Sabinum fuiſſe primum eundemque perpetuum Rectorem Academiæ Regiomontanæ. P. 211 ſqq. exhibet elogia plurium, dicata Sabini laudibus. Denique quotquot ſive literarum ſtudiis ſive aliis ornamentis clari viri ab Albino commemorantur, eorum uberiorem notitiam lectoribus exponit Cl. Editor.

DE VITA ET SCRIPTIS ELIÆ EHINGERI Commentatio, qua haud pauca Hiſt. Litterariam, præſertim Auguſtanam, illuſtrantia adducuntur. Accedunt ex Schedis ejus nondum editis quædam; cura IACOBI BRUCKERI.

Aug. Vindel. apud Dav. Raym. Mertz & L. Mayer, 1724, 8. Pl. 15.

AUtor Cl. in præfatione cauſas ſuſceptæ tractationis hujus exponens, Auguſtam Vindelicorum, vel ob virorum eruditorum copiam, vere auguſtam vocari poſſe pronuntiat, numeroſumque eorum Catalogum inſerit, qui quondam ôi bi erudito innotuerunt, & adhuc in pretio haberi ſolent a multis. Fatetur poſtea, vulgatas quidem eſſe a *Jo. Chr. Wendlero* diſſertationes duas, de meritis Reip. Auguſt. in rem litterariam, nec non ab *Adamo*, *Witteno*, *Frehero*, *Spizelio*, aliisque, quorundam ſaltem biographias conſcriptas eſſe; verum imperfecta admodum fuiſſe hæc omnia, optandumque fuiſſe, ut Cl. *Spizelius*, intermiſſos *Ant. Reiſeri* conatus continuaturus, eruditorum Auguſtanorum hiſtoriam edere potuiſſet. In opere ipſo, ejusque cap. I proſapiam *El. Ebingeri* a *Jo. Ebingero* derivat, qui A. 1488 natus, & a parentibus in monaſterium detruſus, oriente poſtea Evangelii luce, & Luthero forte Auguſtam Vind. ad Card. Cajetanum concedente, monaſticam vitam reliquit, veritatemque Evangelicam, pro ſuggeſtu etiam, maſcule defendit. Parentem vero habuit noſter cognominem *Eliam Ebingerum*, V. D. M. apud Oettingenſes & poſtea apud Auguſtanos, bene meritum. Na-

tus

tus eſt in Cœnobio Oettingenſi, *Chriſtgarten* dicto, A. 1573 d. 7 Sept. In Wittebergenſem Academiam miſſus, uſus eſt inſtitutione *Polyc. Lyſeri*, *Æg. Hunnii*, *Huberi*, *Geſneri*, cet. Inclaruerat jam ſex diſputationibus, intra triennium habitis, quum ſupremos in Philoſophia honores conſecutus alios doceret, interque diſcipulos ſuos præcipuos Frid. *Hortlederum* quoque numeraret. Tubingam poſtea delatus, præter exſpectationem muneri eccleſiaſtico admotus, & a V. C. *Haſenrefero* ſacris initiatus eſt. Mox a perill. Barone Dav. *Enenckelio* Albertobergam in Auſtr. inf. ad eccleſiaſtis aulici munus obeundum vocatus eſt, quo etiam ab A. 1597 per ſexennium functus eſt. Inde a *Jo. Wilh.* L. B. de *Zelcking* Kefermarckium in Auſtr. ſuper. evocatus, oriente mox perſecutione evangelicorum, A. 1605 cum uxore & liberis exulare coactus eſt. In patriam ita redux, muſis privatis ſe totum dicavit, donec A. 1611 ad Paſtoris & Superintendentis munus ſubeundum invitaretur; cui tamen vocationi aliam prætulit. Tanto nimirum amore complectebatur juventutem, a Senatu Rotenburgico, ſimul cum Rectoris officio, A. 1605 ſibi concreditam, ut neque Sultzburgum, neque Ulmam evocatus, pareret. Suſcepit tandem in patria Rectoris, Profeſſoris & Bibliothecarii provinciam, quam, a Senatu Auguſtano ſibi demandatam, A. 1617 d. 26 Maji ſolemni oratione auſpicatus eſt. Hic, campum literarium nactus ampliſſimum, induſtriæ ſuæ ſpecimina varia, cum confecto Bibliothecæ Catalogo, tum habitis Diſſertationibus & Orationibus non paucis, editisque tandem variis aliorum eruditorum monumentis doctiſſimis, ſubinde prodidit. Notatu dignum quoque eſt commercium epiſtolicum, ab *Ehingero* noſtro cum *Matth. Radero*, *Jo. Brutſchero* & *Jer. Drexelio*, S. J. Theologis, inſtitutum, & poſtea juris publici factum. A. 1629 duriora rurſus expertus eſt fata, ob editam fidei confeſſionem, Imperatoris decreto exauctoratus. In Saxoniam itaque ſe conferens, A. 1630 in Ludo litterario provinciali, cui a Porta nomen eſt, mandato Electoris, Rectoris officium adeptus eſt, donec mutata iterum rerum Auguſtanarum facie, & libertate religionis per Suecos reſtituta, inter alios Ehingerus etiam ad Rectoris & Bibliothecarii priſtina munera poſtliminio quaſi revocaretur. Nondum tamen conſtans fuit vel Ehingero vel reip. Auguſt. felicitas, ſiqui-

Digitized by Google

ſiquidem nova fatorum intra triennium converſione & januæ Gymnaſii clauſæ ſunt, & noſter urbe iterum excedere coactus eſt. Excepit autem exulem, vacantemque Rectoris ſcholaſtici locum demandavit eidem Ratisbona, ubi, poſt tot varios fortunæ luſus, appropinquante ſenſim ſenectute, & podagræ morbo indies invaleſcente, placida tandem quiete frui cœpit. Attamen tempus, quod ſenii cauſa publicis negotiis liberaverat, otio minime conſumſit, verum partim ſcriptis ſuis expoliendis, partim carminibus conſcribendis, utiliſſime conſecravit, donec A. 1653 d. 28 Novembris octogenario major, vita excederet. Quæ de matrimonio ejus, liberisque, quorum quinque maſculos, duas fœmellas numeravit, dici poſſunt, conſulto omittimus.

Capite ſecundo de Scriptis Ehingeri noſtri agens Autor, obſervat, non ſemper quidem numero ſcriptorum reſpondere eorundem præſtantiam; eam tamen eſſe aſſeverat, opuſculorum Ehingerianorum rationem, ut non copioſa tantum, verum & inſignis pretii eſſe deprehendantur. Tantus autem eſt tractatuum, diſſertationum & orationum, librorum denique ab eo editorum apparatus, ut numerus eorum ad ſeptuageſimum usque excrescat. Sunt præterea incerta, inedita & poſthuma, non pauciora ſane, licet ea, quæ minoris momenti videri poſſent, ſtudio prætermiſiſſe ſe, fidem faciat Noſter, totam tractationem ſuam elogio quodam Ehingeri, ex V. C. Spizelio excerpto, concludens. Appendicis loco additi ſunt tres tractatus, minoris molis, e MStis ſchedis Autoris nunc demum publicati; (I) Origines labilis, ſive de nævis Origenis; (II) Papa Mulier, ſive de Ioanne VIII P. M. (III) Tr. an corpus Dion. Areopagitæ apud Ratisbonenſes, an vero potius apud Pariſienſes quieſcat? Tandem coronidis loco apparet Epiſtola V. C. *God. Thomaſii*, M. D. apud Noricos cel. qua nonnulla ad vindicandam filiarum Ehingegeri noſtri famam ſuppeditantur. Quæ omnia Autorem noſtrum additamentis notisque ampliſſimis lectuque digniſſimis ornaſſe & illuſtraſſe, quivis, ipſum hoc ſcriptum evolvens, nobiscum fatebitur.

VITA JOHANNIS GERHARDI, QUAM E FIDIS monumentis, magna ex parte nondum antea editis, atque ex in-

inſtructiſſima Sereniſſ. Ducis Gothani bibliotheca benigniſſime ſecum communicatis luculenter copioſeque expoſuit & ad illuſtrandam Hiſtoriam Eccleſiaſt. ejus, qua ille vixit, ætatis digeſſit ERDMANN RUDOLPH FISCHER, *Eccleſiæ Coburg. Diaconus. Accedunt tres & quadraginta cum B. Gerhardi tum ad eundem Epiſtolæ.*

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtoph. Cœrnerum, 1723, 8.
Alph. 1 pl. 14.

CUm inſignia Jo. Gerhardi in cœtum puriori Chriſti doctrinæ addictum merita ſint, operæ pretium fecit Reverendus *Fiſcherus*, quod poſt Jo. Majorem, Io. Himmelium, Juſt. Feurbornium, p. 4.
Sal. Glaſſium, Jo. Mich. Dilherrum, Mich. Schneiderum, Theoph. Spizelium, Anton. Reiſerum, Henning. Wittenum, P. Freherum, Jo. Caſp. Zeumerum, & Jo. Chriſtoph. Wendlerum, qui omnes in Jo. Gerhardi meritis recenſendis exornandisve elaborarunt, Theologi hujus vere magni vitam & fata luculentius paulo expoſuit, hiſtoriam ſimul ſacram & litterariam ejus ætatis paſſim illuſtrans. Lucem autem adſpexit Jo. Gerhardus Quedlinburgi d. XVII Oct.
A. 1582, eo ipſo videlicet anno & menſe, quo inſignem illam Faſtorum mutationem Gregorius XIII Pontifex Rom. introduxit, id quod ipſe B. Gerhardus tanquam ſingulare quid ad annum ſuum natalem adnotavit. Patrem nactus fuit Bartholomæum, ærarii ſenatorii præfectum, matrem vero Margaretam Berndeſiam, quæ voce publica matronalium virtutum exemplar audire meruit. Incluſus adhuc utero materno mirabile providentiæ divinæ in ſe ſenſit experimentum. Accidit enim, (utimur verbis Autoris) ut Pater Gerhardi iratior ſervo currum frugibus onuſtum exonerare ante pertinaciter neganti, quam bibendum accepiſſet, magni ponderis fuſtem in eum conjiceret. Servus vero bibax, celeri corporis flexu hunc ictum declinans, effecit, ut heræ gravidæ e regione ſtantis faciem atque uterum graviter admodum iſte fuſtis feriret, adeo ut omnes aut embryonis jacturam, aut certe ejusmodi ictus iſtius indicium in corpore ſobolis præſagirent, quod deformitatem notabilem ipſi

E eſſet

eſſet allaturum. Sed neutrum, providente fœtui divino numine,
evenit, & mater filiolum integrum & illæſum eſt enixa. Adolevit
juvenis in Quedlinburgenſi primum, poſt Halberſtadenſi ſchola, &
utrobique Poeſeos imprimis, Græcæ & Latinæ, dedit ſpecimina. Ne-
que vero tum variæ calamitatis expers fuit, quippe cui modo cum
morbis corporis animique, quibus etiam adductus ſe Theologico
ſtudio voto ſolenni conſecraverat, modo cum contagioſa peſtilen-
p. 14. tiæ lue confligendum fuerat, quam ſumto, per errorem quidem, du-
plici antidoto A. 1598 feliciter ſuperavit. Anno proxime inſequen-
17. te contulit ſe Vitembergam, ubi quidem notitiæ rerum ſacrarum
fundamentum jeciſſe, non in minima felicitatis ſuæ parte poſtea
poſuit. Verum anno 1601 conſilio propinqui ſui, Andreæ Rauch-
bari, aliorumque Cognatorum, ad addiſcendam artem Medicam
ſe applicuit, præſtantiores in ea doctores audiit, diſputationes Me-
20. dicas conſcripſit, atque hac ratione eam artis ſalutaris notitiam ac-
quiſivit, ut non ſolum Hemſendorffium delatus Medicinam facere
inchoaret, verum etiam, cum Superintendens Heldburgenſis mu-
nere fungeretur, ægrotantibus nonnunquam in vicinia medica-
menta præſcriberet. Anno 1602, exacto in Academia Vitember-
genſi triennio, evocatus a Rauchbaro ad ſuſcipiendam liberorum
inſtitutionem Hemſendorffium fuit; inde vero, mortuo eodem
ipſo anno hoſpite ſuó, filii ejus natu majoris moribus præfectus,
cum eo Jenam A. 1603 abiit, quo delatus, conſilio mutato & voti olim
21. facti memor, Theologiæ ſtrenuam operam navavit, & Jo. Arndii im-
primis conſiliis adjutus, in hoc ſtudiorum genere tam feliciter ver-
ſatus eſt, ut mature admodum alios docere valuerit, in quibus Sa-
26. lomon Glaſſius Joanni noſtro retulit acceptum, quicquid in his litte-
27. ris, præcipue in egregio Philologiæ ſacræ opere, tentavit. A. 1603
laurea Philoſophica ornatus, & paullo poſt difficillimo vexatus fuit
morbo, adeo, ut crederet, decretoriam ſibi inſtare horam, quam
ob rem teſtamentum, quod heic inſertum legitur, vel potius teſti-
29. monium ſanctiſſimæ ſuæ fidei & pietatis formula ſolenni confecit;
ſed poſtquam adhibita venæ ſectione cum valetudine in gratiam
38. rediit, A. 1604 Marburgum ſe contulit, atque ibi Jo. Winckel-
manni & Balth. Menzeri, cui etiam in itinere per primarias quaſ-
dam Germaniæ urbes comes fuit, in Theologia aſſiduus fuit audi-
tor

tor. Relicto vero deinde ob turbas inteſtinas, ibi ob ſacra reformata a Principe introducenda excitatas, Marburgo, cum Rectoris ſcholæ patriæ, neque minus Halberſtadienſis Paſtoris, itemque in Academia Gieſſenſi Profeſſoris provinciam detrectaſſet, Jenam redux factus, ſcholas Theologicas ibidem inſtituit. A. 1605, ſexto demum anno vitæ academicæ elapſo, primum verba ex ambone ſacro ad populum fecit, neque inde ante oblatam Ephori & Paſtoris Heldburgenſis ſpartam ſæpius quam quater concionatus fuit. Hac autem inde ab A. 1606 defunctus, A. 1615, ſatis quidem diu reluctatus, Coburgum ad Paſtoris & Superintendentis Generalis munus evectus fuit, quod non alia tamen conditione ſuſcepit, quam ut, ſi ad Profeſſionem Academicam vocaretur, abire munere ſibi liceret, quod evenit, cum mox Jenam vocaretur, id tandem conſecutus, quod tot precibus totque votis quotidie optaverat, videlicet ut in Academia vivere & mori ipſi liceret, cui ſe natum eſſe & ipſe agnoſcebat & alii Theologi cordatiſſimi judicabant. Hic docuit gnaviter & nunquam fractis aut defatigatis animi corporisve viribus: faſces academicos magna dexteritate auſpicatiſſimoque rerum omnium iſta ferali & bellica tempeſtate ſucceſſu quater geſſit: Academiam deprecatione ſua apud Principes validiſſima duobus feudis, Rhenda & Apolda, locupletavit; mala varia & pericula ab eadem avertit. Non minori induſtria collapſam fere quibusdam in locis diſciplinam eccleſiaſticam reſtauravit: id quod in Epiſcopatu Coburgenſi & Heldburgenſi egregie præſtiterat, quando Generalem, quam ajunt, Viſitationem Principis juſſu moderatus eſt, atque Ordinationem Eccleſ. Coburgenſis conſcripſit, luci publicæ deinde expoſitam. Doctrinam puriorem contra veritatis hoſtes maſcule defendit; conſilia & reſponſa Theologica concinnavit; Miniſtros eccleſiæ utiles conſtituit, aliisque Eccleſiæ mire profuit. Inprimis vero commemorandæ ſunt tot legationes ab ipſo Eccleſiis cauſa ſuſceptæ, tot itinera, quorum moleſtias devoravit, tot conventus Theologorum, Jenenſis, Lipſienſis, aliique, quibus omnibus interfuit. De acerrimo ejus judicio ſcripta, in quibus controverſias Theologicas pertractavit, & frequentiſſimæ conſultationes, ad qnas fuit adhibitus, ſatis loquuntur. Et qui materiarum multitudinem, varietatem & celeritatem, qua illas conſcripſit, cogitaverit, facile adſentiet Dilherro, ſcribenti;

p. 78. 101. 105. 119.

omniſciam fere noſtro fuiſſe memoriam, totumque memoriæ dolium eum exhauſiſſe. Præterea noverat res tractandas pulcerrimis orationis luminibus exornare, hiſtoriasque ſacras & profanorum ſcriptorum ſententias ad argumenta dicendi accommodare, ex quo lucidiſſime magna & præclara ejus ingenii vis patet, quod etiam ad condenda carmina erat aptiſſimum. Theologiam catecheticam non ſolum Scholæ ſuæ Pietatis ex parte inſeruit, ſed etiam in peculiari libello, qui explicationem catechismi continet, dilucide ſelectis Scripturæ S. dictis propoſuit. Quam ſolidam Theologiæ theticæ habuerit ſcientiam, cum Aphorismi ejus, tum imprimis Loci Theologici declarant, in quibus veram & Dei verbo conſonam ubique doctrinam, miſſis omnibus Scholaſticorum ſpinis & tricis, nervoſe, accurate, copioſe & tam perſpicue proponit, ut ſtipitem eſſe oporteat, qui mentem ejus aſſequi non poſſit. Theologiam Polemicam adverſus omnis generis adverſarios, Pontificios, Calvinianos, Photinianos, & Fanaticos, non contradicendi libidine, nec ullâ verborum asperitate, ſed veritatis divinæ amore, ſobrie modeſteque tractavit. Quid in Theologia exegetica valuerit, accurati, quos in Sacri Codicis libros conſcripſit, Commentarii loquuntur, & ſi dicendum, quod res eſt, Gerhardo imprimis debemus, quod Theologia exegetica in artis formam redigi cœperit. Etſi enim Hermeneuticam ſacram Glaſſius primus omnium copioſiſſime præcepit, in Philologia ſacra tamen tradenda nihil unquam tentaſſet, niſi ſtimulos veluti ei admoviſſet Gerhardus. Hic enim non ſolum peculiarem tractatum de legitima Scripturæ S. interpretatione ediderat, verum etiam optaverat, ut eſſet, qui Grammaticam & Rhetoricam ſacram plenius tractandam ſumeret, & Glaſſium, cum coram, tum per litteras ad laborem hunc in ſe ſuſcipiendum erat adhortatus. Theologiæ homileticæ cum operam daret Gerhardus, methodo ſe uſum eſſe profitetur catechetica, & myſtica, non illa famoſa, ſed quæ ſuppoſito ſenſu litterali Scripturas ſobrie convenienterque accommodat. Illam enim ad captum plebis, hanc πρὸς οἰκοδομὴν accommodatiſſimam eſſe, recte judicabat. Theologiam Moralem, atque Paracleticam, aliquot pariter libris tradidit, eo quidem ſolidius, quod ipſe pietatis non fucatæ cultor graviſſimis ſæpe tentationibus ad inveſtigandas firmas in ſacris Litteris conſolatio-

p. 145.

tio-

tiones, quibus ſe erigeret, excitatus fuiſſet. Qui Theologiæ Caſualis & Conſiſtorialis, quam probe perſpectam habuit, ſpecimina expetunt, Reſponſa ejus Theologica, Locos etiam Theologicos paſſim, & ordinationem Eccleſiaſticam Coburgenſem legant, & conventus cogitent, in quibus præcipuæ fere ſemper Gerhardi partes in decidendis rebus eccleſiaſticis fuerunt. Quantum in Theologia Patriſtica fuerit verſatus, libri ejus, pleni teſtimoniorum ex veteris eccleſiæ doctoribus depromtorum, oſtendunt. Unde ſimul intelligitur, eum in Hiſtoria Eccleſiaſtica minime hoſpitem fuiſſe. Certe ratio addiſcendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam in Methodo ſtudii Theologici præſcripſit, & imprimis ejus Confeſſio Catholica ubertim id demonſtrant. Theologiæ Scholaſticæ ea notitia erat imbutus, quæ doctori, cum Pontificiis feliciter depugnaturo, ſufficit. Neque minori linguarum præcipuarum & Theologo neceſſariarum cognitione imbutus fuit. Hebraica ita calluit, ut, antequam Heldburgum Jena diſcederet, dignus ab Aula Vinarienſi haberetur, cui munus ordinarium docendi linguam ſacram in Academia Jenenſi demandari poſſet. Attigit quoque Chaldaicam & Syriacam, uti ex Commentationibus ejus Biblicis, & ſigillatim quidem ex Harmonia Evangelica & Commentario in utramque Petri Epiſtolam apparet: quamvis non diſſimulandum, in illa non parum eum in inquirendis etymis Syriacis Sal. Glaſſii, in hoc Mich. Schneideri opera fuiſſe adjutum. Utrum Rabbinicam linguam intellexerit, non liquet. Litteris Græcis multos ejus ætatis Theologos antecelluiſſe Gerhardum, ex iis, quæ ſupra commemoravimus, obſcurum eſſe nequit. Nec vulgarem ſibi linguæ Latinæ ſcientiam ex optimorum autorum lectione comparaverat. Puriori certe ac magis perſpicuo ſtylo libri ejus ſcripti ſunt, quam multorum aliorum Theologorum, quæ cauſa eſt, cur vix imitabilem ſtyli facilitatem modo citatus Schneiderus Gerhardo adſcribat. Quod ad virtutes ejus, laudantur hic prolixe ejus pietas, beneficentia, concordia & manſuetudo, ſobrietas & αὐτάρκεια, gratitudo, humilitas & integritas vitæ, humanitas & feſtivitas, obtrectationum odium, patientia & in calamitate conſtantia, quibus utique opus habuit, cum varias ſubinde calamitates experiretur. Quæ aliis præcepit, ipſe inculpatiſſimo vitæ genere, pietate fuci omnis experte, alios juvandi omnibusque bene faciendi

ardore, temperantia, moderate de ſe ſentiendi ſtudio, humanitate, infracto in adverſis rebus animi robore, exemplo ſuo continuo expreſſit. Nunquam enim ipſi virtutem ſuam periclitandi tentandique defuit occaſio, præcipue cum more omnium, qui Deum ſincero ſtudio colunt, multas injurias ſuſtinuerit, multa ſuorum funera efferri viderit, morborum difficultate ſemel iterumque, invidia quoque & calumnia laboraverit. Bello Germanico tricennali & Cæſareani & Suecici milites eum per inſidias capere aliquoties tentarunt, &, cum ipſi nocere non potuerint, in bona ejus variis modis debacchati ſunt, ita ut crebris horum hoſtium depopulationibus atque incendiis quinquies mille aureorum jacturam fecerit. Neque vero adverſitatibus his fractus eſt, ſed intrepido animo omnia pertulit, certus de Dei hominumque in ſe favore, quo factum, ut e frequentibus ampliſſimisque Principum, aliorumque, quorum gratia florebat, donationibus, ſatis divitiarum collegerit. Ceterum mirum minime videbitur, tantum Virum viginti quatuor vicibus ad ſacra vel Academica munia obeunda, nunc in ſuperiorem aut inferiorem Saxoniam, nunc in Boruſſiam, Holſatiam, Sueciam, imo & Bohemiam atque Auſtriam, propoſitis largis præmiis, fuiſſe invitatum. Rem familiarem Gerhardi quod ſpectat, tori ſociam ſibi elegerat Barbaram Neumeieriam, poſt Jo. Majoris privignam, quacum d. 19 Sept. A. 1608, præſentibus Sereniſſimorum Principum, Jo. Caſimiri & Jo. Erneſti, Illuſtriſſimæ item Principis Vinarienſis, & Reverendiſſimæ Abbatiſſæ Quedlinburgenſis legatis, nuptias celebravit. Qua vero, tertio anno poſt, præmaturo
p. 260. fato ipſi erepta, ad ſecunda vota cum Maria Mattenbergia ineunda tranſiit, nuptiis in arce Heldburgenſi A. 1614 Kal. Martiis celebratis. Præcipuum quendam ſplendorem Sereniſſimi Principis, Jo. Caſimiri, & legatorum, quos Elector Saxoniæ, Vinarienſis item, & Iſenacenſes Duces miſerunt, præſentia nuptiali huic ſolennitati conciliavit. Et Sereniſſimus quidem Jo. Caſimirus integrum quatriduum nuptiis interfuit, ferina, vino & neceſſariis omnibus lautiſſime eas inſtruxit, atque deducendo ſponſum in templum latus ejus ſiniſtrum clauſit, Electoris legato dextrum relinquens. Suſtulit ex hac conjuge, divite admodum & liberis & opibus, decem liberos, quorum IV vivus extulit, ſex reliquos impuberes poſt fata re-

Digitized by Google

reliquit, in quibus Jo. Erneſtus, Theologus Gieſſenſis, Ioannes, qui Hebraice quidem apprime doctus, ad juris tamen ſtudium animum appulit, anno ætatis XXIII denatus; Jo. Fridericus, Eiſenbergenſium Antiſtes; Jo. Andreas, Ducum Saxonicorum Conſiliarius & Comes Pal. Cæſ. quorum, uti etiam totius ſtirpis Gerhardinæ, hiſtoriam Cl. Autor hic contexuit. Ceterum uti ab omni pertinacia p. 295.
fuit imprimis alienus, ita non dubitavit, ſententiam, quam antea defenderet, re accuratius penſitata, retractare, cujus rei Noſter producit tria exempla, in doctrina de interceſſione Spiritus S. quam primum & effectivam & formalem eſſe aſſirmaverat, poſtea effectivam tantum judicavit; de regeneratione, quam phraſi Scripturæ eſſe generationem Chriſti in nobis, idque parturitionis Paulinæ voce Gal. IV, 29 evinci poſſe, quondam crediderat; 3 in doctrina de ſui abnegatione, quando vocem Taulerianam, Gelaſſenheit, ex libris ſuis Scholæ Pietatis ea de cauſſa ſubmovit, quia blandiri videretur ſomniis Fanaticorum, Weigelianorum & Roſæcrucianorum. Licet vero cautiſſime & ſentire & loqui ſtuduerit Gerhardus, iniquas tamen cenſuras & narrationes God. Arnoldi evi- 302.
tare non potuit, contra quas fama ejus hic maſcule vindicatur & reſtituitur. Multo rectius juſtiusve quam plurimi de Gerhardo & ſentiunt & prædicant, quorum ex Pontificiorum, Reformatorum 355.
& Lutheranorum cœtibus honorifica de eo judicia hic adducuntur. Antequam porro Autor libros a Gerhardo conſcriptos ordine & 372.
numeroſo agmine recenſere eorumque hiſtoriam filo prolixiore texere inſtituit, quæ hic repetere inſtitutum noſtrum non patitur, 373.
commemorat, quod Gerhardus bibliothecam multis iisque rariſſimis libris habuerit inſtructiſſimam. Quam quidem omnibus patere voluit, ea tamen lege, ut libri mutuo dati poſt hebdomadis ſpatium bona fide reportarentur, id quod ex ſchedula intelligitur, quam typis exſcriptam ſingulorum librorum ad Bibliothecam Gerhardinam pertinentium fronti affixam videmus, hac quidem formula conceptam:

D. O. M. C. S.
Pro eruditionis cultorum
commodo augendo
Bibliotheca Gerhardinæ

ad-

Digitized by Google

adjectum me
L. B. O.
ſcito.
Ultra ſeptimanæ ſpatium
e dicta bibliotheca
ne me tecum
retineto.
Quisquis me furto abſtuleris,
ne Deum iratum ſentias,
caveto.

Hæres bibliothecæ paternæ, Jo. Ern. filius, plurimis eam ac ſumtuoſis libris locupletavit, poſt cujus ſuprema funera in bibliothecam Gothanam Fridericus I Sax. Dux A. 1675 eam intulit. Reſtat, ut de Gerhardi noſtri diſceſſu ex hac vita ad beatiores ſedes pauciſſima commemorentur. Satur enim ille vitæ, honorum, omnisque felicitatis, quæ in hoc ſæculo expectari poteſt, febri ardente vitæ ſuæ finem fecit d. XVII Aug. A. 1637 æt. 54 menſ. 8, poſtquam diem ſupremum VI menſibus ante, quam obiret, præſagiviſſet. Quam lamentabilem eccleſiæ & omnibus bonis & cordatis viris mortem non Jenenſis tantum Academia luxit, verum in doloris etiam ſocietatem ultro, præter Vitebergenſem, Marburgenſis venit, in qua Gerhardo Juſtus Feurbornius, quem quidem inter & Gerhardum ſic ante aliquot annos convenerat, ut, ubi alter eorum vita defunctus eſſet, alter ſuperſtes ei parentaret, ei hoc pietatis officium perſolvit. Hæc eſt ſumma eorum, quæ in elegantiſſimo hoc de B. Jo. Gerhardi vita commentario potiſſimum ex inſertis partim ſuis locis, partim ſub finem libelli ſubnexis epiſtolis Jo. Gerhardi ad alios & aliorum ad illum exaratis, Cl. Autor expoſuit, quibus porro excutiendis ſuperſedemus.

NOVA LITTERARIA.

TRansmiſere nobis nuper Rev. Patres S. J. Antverpienſes ſchedulam impreſſam, qua novi Operis mox prodituri conſpectus exhibetur, rogantes, ut Actis noſtris inſeratur: en itaque illum:

A viginti & amplius annis, pauculi Sacerdotes Ultrajectini, falſo ſe dicentes Capitulum & Canonicos Eccleſiæ Metropolitanæ Ul-

Ultrajectina, a centum quadraginta quatuor annis proprio Epiſcopo deſtitutæ, ſpiritualem Juriſdictionem Eccleſiaſticam, quantumvis ſæpe prohibiti, uſurparunt per Miſſiones Hollandicas; & in hujus prævaricationis defenſionem advocarunt nonnullos Viros doctos & Juris Eccleſiaſtici peritos, falſis utique Ultrajectinorum ſuggeſtionibus deceptos. Sed, quod caput eſt, Summo Romano Pontifici & S. Sedi Apoſtolicæ jam olim injurii ac rebelles effecti, a tribus præcipue menſibus evulgarunt Libellos varios, etiam hiſce in partibus diſtractos, in quibus falſis confictisque titulis & narrationibus Reipublicæ Litterariæ conantur imponere: nihil minus perſuadere volentes, quam injuſtitiam & iniquitatem totius rationis, quam ab hujus ſæculi initio eadem S. Sedes Apoſtolica tenuit circa rerum ſacrarum & ſpiritualium in dictis Miſſionibus adminiſtrationem. Cum itaque prelo paretur Opus, in quo Ultrajectenſium errores, lapſus, falſa ratiocinia, uſurpationes & impoſturæ referuntur & confutantur, atque S. Sedis Apoſtolicæ juſtitia æquitasque liquido demonſtrantur; rem nec inutilem nec importunam ſe facturum arbitratus eſt Autor, ſi interim emitteret Operis ſui ſpecimen, ut ex illo, veluti totius rei controverſæ imagine, ſtatueret ſecum omnis Litterarum & Veritatis amator, alios etiam præter Ultrajectenſes audiendos eſſe, tum de accuſata S. Sedis Apoſtolicæ ratione, tum de ipſorummet Ultrajectenſium cauſa: atque ut interim illi, quibus aut animus deeſt, aut otium inquirendi in veritate, aut qui vagis tantummodo rumoribus Summo Pontifici & S. Sedi detrahi vident, ſuſpenderent tantiſper judicium, quod illi extorquent; ne leviter & audita nondum utraque parte pronuntient inter Romanum Pontificem Sanctamque Sedem Apoſtolicam, & hos infimi Ordinis Sacerdotes. Titulus Operis eſt ſequens:

Hiſtoria Eccleſiæ Ultrajectinæ a tempore mutatæ Religionis in Fœderato Belgio; in qua oſtenditur, ordinaria Sedis Archiepiſcopalis & Capituli Jura intercidiſſe. Accedunt varia Monumenta huc ſpectantia, cum Diſſertationibus, in quibus elucidantur occurrentes difficultates Facti & Juris.

Hæc Editio paratur contra *Aſſertionem Juris Eccleſiæ Metropolitanæ Ultrajectinæ Romano-Catholicæ* Joannis Chriſtiani Erckelii, anni 1703; *Bataviam Sacram* Hugonis Franciſci van Heuſſen, anni 1714; Opus poſthumum Queſnelli, ſub hoc titulo: *Juſtification du Droit des Chapitres de l'Egliſe Catholique des Provinces Unies dans le Gouvernement de cette Egliſe, avec une Addition ſur l'injuſtice de la depoſition de feu Mr. l'Archevêque de Sebaſte. Ouvrage poſthume du R. P. Paſquier Queſnel,* 1720; & contra Scriptum anonymum: *Memoire pour l'Egliſe & Clergé d'Utrecht . . . . . . à Amſterdam, chez Nicolas Potgieter,* 1722,

 alios-

aliosque Libellos plurimos Latino, Gallico & Belgico idiomate in hanc rem editos.

Autor porro orditur narrationem ſuam ab Erectione novorum Epiſcopatuum in Belgio, factam anno 1559 & Sedis Ultrajectenſis in Archiepiſcopalem 1560. Exponit hujus leges & ſtatuta, quibus omnibus retro temporibus ſtandum eſſet; inaugurationem Frederici Schenckii e Baronibus de Tautenburch, primi & unici Archiepiſcopi, 1561, ejus deinde geſta; celebratam Synodum; inſtitutos Canonicos Graduatos, non completo tamen eorum numero; denique mortem 1580. Explicat ſtatum Eccleſiæ Ultrajectinæ, Sedis Archiepiſcopalis, & Capituli poſt mortem Schenckii. Refert, Philippum II ad vacantem Sedem nominaſſe primum Hermannum Comitem Rennebergium, poſtea Johannem Bruheſium; neutrum confirmatum, aut conſecratum. Oſtendit, Sedem Archiepiſcopalem deſtructam per ſuperinductam Religionem prætenſe Reformatam & Acatholicorum Dominationem. Docet Capituli interitum, per admixtos primo Catholicis Canonicis Acatholicos; dein Catholicorum excluſionem 1622, ac tandem Capituli (ut loquimur) ſecularizationem. Narrat, Catholicos Canonicos diſperſos, & neglectam ab iis curam Religionis & Eccleſiæ; Adverſarios ipſos fateri: *celeberrimum illud olim Capitulum non potuiſſe non interire;* Paſtores etiam confuſo ordine ſacra adminiſtrantes; Diœceſim ſine Epiſcopo, ſine Vicario Capitulari. Probat, Nuntium Colonienſem derelictæ Eccleſiæ providiſſe de Vicario in Spiritualibus generali in Perſona Sasboldi Voſmeri 1580. Hunc nunquam fuiſſe Canonicum Ultrajectinum; hunc a Gregorio XIII Vicarium creatum Apoſtolicum 1583, nulla interveniente Cleri electione: atque ab Archiduce Alberto Belgii Principe ad Cathedram Ultrajectinam nominatum 1602. Proſequitur Sasboldum Romam euntem cum litteris clauſis Archiducis ad Clementem VIII; conſecratum ibidem, non Ultrajectenſem, ſed Philippenſem Archiepiſcopum *in partibus.* Commemorat ejus in patriam reditum; exilium; patrimonium fiſco addictum; geſta ejus reliqua; mortem 1614. Docet, hoc tempore vix ſuperfuiſſe Eccleſiam Ultrajecti. Majores noſtros non niſi *Catholicorum reliquias* agnoviſſe. Non vacaſſe Sedem Archiepiſcopalem Ultrajectinam, utpote everſam; neque dignitatem Vicarii Capituli Ultrajectini, deſtructi ſcilicet & exauctorati. Adducit Philippum Rovenium, Vicarium Apoſtolicum ſecundum, a Paulo V conſtitutum 1614, nulla pariter interveniente Cleri electione; conſecratum eodem peregrino titulo Archiepiſcopi Philippenſis 1620; diſſidium ejus cum Patribus Societatis JESU, ob quod proficiſcitur Romam 1622. Nullam Romæ factam inſtantiam, ut ad Archiepiſcopatum Ultrajectenſem promoveretur; nullam omnino faciendam (ipſo teſtante Rovenio) niſi de conſenſu Regis aut Infantis Iſabellæ. Cleri Catholici conatus, ut Rovenius a Rege nominaretur ad Archiepiſcopatum Ultrajectinum 1626, ſed irrito effectu. Alia præterea ejus geſta loquitur, & erectum ab illo, pro meliore Miſſionis regimine, *Vicariatum quendam* 1633. Hunc compoſitum ex Sacerdotibus Hollandis, prætermiſſis antiquis

Digitized by Google

quis Canonicis Ultrajectenſibus, quorum aliqui adhuc exiſtebant in vivis. Ejus deinde exilium 1640, mortem 1651. Hinc gradum facit ad Jacobi La Torrii Miſſionem ab Urbano VIII acceptam, ut Coadjutor eſſet Rovenii 1640. Cui ſucceſſit tertius ordine Vicarius Apoſtolicus 1651, conſecratus titulo Eccleſiæ Epheſinæ, *in partibus*. Adducit confirmationem ejusdem Vicariatus a La Torrio factam 1658, reliqua ejus geſta, & mortem 1661. Narrat, Zachariam de Mez, inſciis Ultrajectenſibus Sacerdotibus, datum La Torrio Coadjutorem ab Alexandro VII 1656; hujus quoque geſta exponit, & habita cum Ultrajectenſibus diſſidia. Probatum tamen ab illo Vicariatum, 1659, mortem 1661, in vivis adhuc exiſtente La Torrio. Narrat Cleri Ultrajectini vota precesque pro Joanne Neercaſſelio, ut a Summo Pontifice conſtitueretur Vicarius Apoſtolicus, 1661. Docet, has preces non fuiſſe exauditas. Balduinum Catzium, quartum Vicarium Apoſtolicum (inſciis rurſus Ultrajectenſibus) ab eodem Pontifice creatum, eique datum Joannem Neercaſſelium in Coadjutorem 1662. Utrumque conſecratum titulo peregrino: hunc Caſtorienſis, illum Philippenſis Eccleſiarum *in partibus*. Diviſam inter illos Miſſionem, quod Neercaſſelius detrectaret ſubeſſe Catzio. Catzii obitum 1663. Neercaſſelium illo anno Vicarium Apoſtolicum quintum. Ejus geſta varia fuſius enarrat. Conceſſam primo licentiam a S. Sede, ut Neercaſſelius Miſſionis Hollandicæ regimen totum haberet. Secundo, reſtrictam, circa Sacerdotes ordinandos, poteſtatem. Tertio, rejectam ejus inſtantiam, ut in Vicariatu haberet omnem poteſtatem, qua gaudent Epiſcopi in ſuis Diœceſibus. Loquitur Statum Miſſionis a Catzio Neercaſſelioque exhibitum S. Sedi, 1662, expenſum Romæ 1663; injunctum Neercaſſelio, ut explicaret, quomodo Vicariatus Ultrajectinus efformaretur, unde ſumpſiſſet exordium & progreſſus, & ex cujus auctoritate Sacerdotes illi in Miſſionis adminiſtratione adhiberentur. Exhibet trepidationem Neercaſſelii, magnosque timores. Profert ejus Declarationem ad S. Congregationem, qua reſpondet: *Collegium ſive Vicariatum erectum a Rovenio. Confirmatum & amplificatum a La Torrio. Conſtare octo Sacerdotibus. Eſſe Vicario a conſiliis in Diœceſi Ultrajectina. In reliquis Epiſcopatibus nihil habere Collegium hoc. Illos Sacerdotes adeo habiles & obſequioſos eidem exiſtere, ut aliquibus eorum uteretur in Daventrienſi & Middelburgenſi Diœceſibus. Optare ſe, ut eidem Collegio Robur Confirmationis Apoſtolicæ adderetur. Se non confirmaturum, niſi S. Congregatio permittat.* Oſtendit Autor, Sacram Congregationem, hoc reſponſo habito, mandaſſe, ut Inſtrumentum Erectionis mitteretur Romam, Miſſum fuiſſe & examinatum, non tamen approbatum Vicariatum. Neercaſſelium non ſtetiſſe verbo, ſine licentia S. Congregationis confirmaſſe Vicariatum. Selectis tamen illum verbis, Conſiliariorum expreſſiſſe cœtum, non Canonicorum Collegium. Autor jubet notari, ex mente Neercaſſelii, nullum hic eſſe Capitulum, nullos Canonicos. Tum proſequitur geſta Neercaſſelii. Iter in urbem 1670 & ſignatum ibidem, cum juramento, Formularium Alexandri VII. Ejus Epiſtolam Paſtoralem pro obſervantia Decreti Innocentii XI contra 65 Propoſitiones, 1679. Nihilominus a Neercaſſe-

caſſelio invitatos & receptos in Miſſionem Hollandicam, famoſos profugos Gallos, Arnaldum, Du Vaucel, Gerberonium, Queſnellum, quaſi *Angelos Dei*; verius quaſi totidem vulpes ad ſuffodiendam Miſſionum Hollandicarum vineam 1680-1685. Inſtitutos ab illo Pro-Vicarios Petrum Codde, & Joſephum Cauſebant, qui etiam poſt ejus mortem, ex accepta a S. Sede poteſtate, Miſſionis regimen tenerent, donec eidem de Vicario Apoſtolico provideretur. Obitum Neercaſſelii 1686. Explicat rejectam Romæ Ultrajectenſium propoſitionem de Hugone Heuſſenio in Vicarium Apoſtolicum præficiendo. Profert Petrum Coddæum a S. Sede conſtitutum Vicarium Apoſtolicum ordine ſextum 1688. Conſecratum titulo Archiepiſcopi Sebaſteni *in partibus* 1689. Initium Miniſterii ejus prudens, & ex debito. Querelas contra Coddæum, ejusque Miſſionarios, ſuper doctrina Janſeniana, rigoribus exoticis, aliisque, 1690. Exhibet illum timentem ſibi de ignominioſa abdicatione; ſed Internuntii moderatione defungentem periculo; periculoſe ægrotantem 1691; in defenſionem Cleri accuſati dictantem teſtimonium; convaleſcentem ex morbo; novas offenſionis cauſas præbentem 1692, examinatas Romæ 1694; Miſſionarios ſuos non cohibentem ab adminiſtratione Sacramentorum, Matrimonii, Baptiſmi & Extremæ Unctionis, & Cæremoniarum funeralium, in lingua vernacula, 1695; intimam cum Queſnello, Gerberonio &c. amicitiam colentem 1696; Bajanorum, Janſenianorumque librorum impreſſionem diſtractionemque permittentem 1697. Tum enarrat exortos inde motus in Miſſione Hollandica, novas & tertias Romam querelas delatas a pluribus de Clero Seculari & Regulari Sacerdotibus; a Catholicorum Principum Legatis; ab Archiepiſcopo Ancyrano; a Miniſtris Apoſtolicis. In lucem emiſſum: *Breve Memoriale extractum ex prolixiore, de ſtatu ac progreſſu Janſeniſmi in Hollandia;* impugnatum ab his, propugnatum ab illis; accuſatum, per ipſum Coddæum, apud S. Sedem 1698, cum adjuncta pro ſe, *Brevis Memorialis Refutatione.* Denique omnia diſcuſſa in Congregatione habita 25 Septembris 1699, cum exiit Decretum, quo Coddæus evocabatur in Urbem, & Theodorus de Cock deſignabatur interim Pro-Vicarius. Ad hæc refert Coddæum, Romanum iter averſantem, metuentem; variis quæſitis coloribus declinantem; Internuntii inſtantias, Coddæi defenſiones; illius minas, hujus terrores; Queſnellum denique perſuadentem; & odioſam de Formulario quæſtionem, veram utique timoris cauſam, fortunæ committentem & tempori. Narrat diſceſſum Coddæi; conſtitutos ab illo Pro-Vicarios quatuor, qui interim Miſſionis regimini intenderent; adventum ejus in Urbem 1700. Poſt decem nondum dierum manſionem, exceptum ad pedes Clementis X, tanta cum benevolentia, ut inde Belgium univerſum ad acclamationes permoverint Ultrajectenſes. Adnotat, ſemeſtri ſpatio Coddæum quater ſe ſuamque cauſam Pontifici expoſuiſſe; quinque habitas Cardinalium Congregationes; coram tribus Eminentiſſimis Deputatis auditum quinquies 1701. Adeo ut de maturato examine, de frequenti deliberatione, & de inſtituti judicii æquitate, immerito queſti ſint Ultrajectenſes. Adducit Coddæum concinuantem *Reſpon-*

ſiones

ſiones & *Declarationem* ſuas; declinantem Formularii Alexandrini ſubſcriptionem. Explicat ultimam Congregationem habitam 7 Maii 1702, præſente ac præſidente Clemente XI, & latum inibi Decretum, quo Petrus Coddæus, Archiepiſcopus Sebaſtenus, ab omni exercitio & adminiſtratione Vicariatus Apoſtolici ſuſpenditur, & in ejus locum deputatur Theodorus de Cock, Pro-Vicarius Apoſtolicus. Probat, Decretum illud Coddæo traditum fuiſſe in Urbe die 22 Julii 1702, cauſamque ſuſpenſionis nec illi, nec ſociis fuiſſe ignoratam. Exponit turbas in Hollandia excitatas contra Neo-Pro-Vicarium; ſpreta S. Sedis Mandata; ſeditioſas Ultrajectenſium voces; exhortationes Internuntii inutiles; quæſitos inobedientiæ prætextus; adinventa tunc primum prætenſa Capitula, quibus inauditis & invitis Cockius non poſſet Miſſionibus præfici; datas ab Ultrajectenſibus ad Clementem XI litteras officioſas, eodem tempore, quo palam Pontifici reſiſtebant, ejusque Delegato. Profert Edictum Ordinum Hollandiæ, quo Cockius interdicitur muneris ſui adminiſtratione; veſanam quorundam de Edicto lætitiam; Catholicorum mœrorem. Narrat vocatum Pro-Vicarium ad Ordinum Cœtum; factumque eidem rigoroſum mandatum, ut adeſſe curaret Coddæum ex Urbe; pericula rei Catholicæ tota Miſſione ventura, niſi remeandi in patriam licentia fieret, 1703. Adducit S. Sedis Declarationem de gravibus cauſis, maturoque conſilio, ex quibus deputandus fuerat Cockius Pro-Vicarius; Exhortationes ejusdem S. Sedis ad obedientiam. Explicat Pro-Vicariorum a Coddæo Romam eunte inſtitutorum anxietates, dubitationesque circa Jurisdictionis Spiritualis exercitium. Conſultum deſuper Quesnellum; & hunc reſpondentem, quod in illo rerum ſtatu (id eſt, ſtante Coddæi ſuſpenſione, & cognita delegatione Cockii) Pro-Vicarii Heuſſenius, Catzius, & reliqui, poſſent non tantum, ſed & deberent Jurisdictionem arripere Eccleſiaſticam. Hanc ſententiam tranſiiſſe in ſummæ Auctoritatis Deciſionem. Defuiſſe tamen *Titulum* Poteſtatis novæ & inſolitæ. Conſultum deſuper Juris utriusque Doctorem. Hunc inter Catholicorum in Hollandia reliquias titulum non inveniſſe, ſed confinxiſſe anno 1703, ſcilicet JURA *Capitulorum Cathedralium.* His fortiter inſtitiſſe Ultrajectenſes, & ſecundum ea perrexiſſe generoſe. Narrat a Pro-Vicariis uſurpatam per omnia Jurisdictionem Eccleſiaſticam; omnes actus a S. Sede reſciſſos; declaratos irritos & nullos; Pro-Vicariis interdictam adminiſtrationem; hos ſemper perrexiſſe. Affert Clementis XI Breve de 3 Aprilis 1703 ad univerſos Catholicos in partibus Hollandiæ & Provinciis conterminis conſtitutos. In quo Pontifex docet: Coddæum juſtis gravibusque de cauſis ſuſpenſum; Cockium ei ſubrogatum; nulli in Miſſione Presbytero, ſive Pro-Vicariatus, Archipresbyteratus, aut prætenſorum Capitulorum Aſſeſſoratus titulo, Jurisdictionem competere Eccleſiaſticam, ſub pœna Excommunicationis majoris ipſo facto incurrendæ. Probatum dat, has Litteras Apoſtolicas ab Ultrajectenſibus exploſas, ut *infame Breve*, ut *obreptitium*, ut *ſeditioſum*. Narrat reditum Coddæi in patriam; Cockii exceſſum ex Hollandia; nova Monita S. Sedis ad Coddæum directa; hujus conatus varios, ut muneri reſtitueretur, ſed inutiles; novas rurſus Declarationes S. Sedis, de non exiſtente

Digitized by Google

ſtente penes prætenſa Capitula Jurisdictione ulla Eccleſiaſtica. Refert, contra has Declarationes aliaque mandata S. Sedis magnam exiiſſe copiam Scriptionum, Coddæum quoque edidiſſe *Epiſtolam ad Catholicos Incolas Fœderati Belgii*; damnatos Romæ Libellos ſuos, *Declarationem & Reſponſiones;* ipſum vero a Miſſionum regimine, a quo ſuſpenſus fuerat, penitus remotum, 1704 De reſtauranda in Miſſionibus tranquillitate varie multumque ſudatum; nonnullos Sacerdotes ſeculares S. Sedi devotos in exilium miſſos; *Secundam* a Coddæo *Epiſtolam* evulgatam; datum Coddæo conſilium, ut ſpreta ſuſpenſione ac privatione, regimen Eccleſiarum Hollandicarum uſurparet audacter; rejectum a Coddæo conſilium; de novo Vicario in Cockii ſeſe abſentantis locum ſubſtituendo actum; exhortationes S. Sedis; Eminentiſſimi Buſſii, tunc Internuntii, iter in Hollandiam; colloquium cum Coddæo; cum Ultrajectenſibus, 1705. Exponit Gerardum Potcamp a S. Sede conſtitutum Vicarium Apoſtolicum Miſſionis Hollandicæ ordine ſeptimum; Coddæum huic proviſioni acquieviſſe, ſed difficulter; nunquam agnoviſſe, legitime ſe & jure Vicariatu Apoſtolico privatum; Potcampium conſtituiſſe Pro-Vicarios contra datam Cardinali Buſſio fidem; poſt integri vix menſis præfecturam obiiſſe 1705. Narrat novas in Hollandia turbas; Pro-Vicarios Coddæi & Potcampii Eccleſiaſticum regimen rurſus uſurpantes; novam deſuper S. Sedis prohibitionem, 1706. Hanc ab Ultrajectenſibus ſpretam; Pro-Vicarios ſe dicentes electos Cleri Vicarios, & Pontificiam Delegationem nullam; apertum Schiſma; plurimos Libellos damnatos 1707. Adamum Daemen per Cardinalem Buſſium, tunc Nuntium Colonienſem, inſtitutum per Miſſiones Hollandicas Vicarium Apoſtolicum octavum. Conſecratum titulo Eccleſiæ Adrianopolitanæ *in partibus*; impeditum ſtatim a Muneris ſui adminiſtratione; Jeſuitas Hollandia pulſos 1708; occupatas ab Ultrajectenſibus varias ſtationes; datam Sacerdotibus aſſeclis ſuis Jurisdictionem nulliter; Jubilæum a Clemente XI indictum, Fœderati Belgii Catholicis ſubmiſſum; excluſos a Jubilæo Refractarios; Litteras Apoſtolicas, Bullas, Brevia, aliaque Decreta Romana proſcripta Edicto Ordinum 1708. Ab Ultrajectenſibus laudatum Edictum; ab illis ſcriptum, *Bullas ad ſeditionem emiſſas eſſe.* Edictum a Cardinali Buſſio, vitandos eſſe Ultrajectenſes, & ſpiritualia ſubſidia quærenda eſſe a Sacerdotibus in Communione S. Sedis exiſtentibus; Mandatum, ut Adamum Daemen in Vicarium Apoſtolicum reciperent. Adverſus hæc emiſſas eſſe famoſas *Proteſtationes* 1709. Hic commemorat novum Vicarium ab Ultrajectenſibus rejectum; ab Harlemenſibus commendatum Ordinibus Hollandiæ, ſed fruſtra. Narrat obitum Coddæi 1710, denegata eidem ſolita fidelium ſuffragia, tanquam notorie inobedienti & Refractario, 1711. Magnas in Miſſione anxietates & pericula in adminiſtranda re Eccleſiaſtica; publicatam a Cardinali Buſſio, tunc Nuntio, *Inſtructionem pro Catholicis & præſertim Confeſſariis, in Fœderato Belgio degentibus, circa validitatem Sacramentorum;* magnam hinc ſeceſſionem factam ab Ultrajectenſibus; hos erubeſcentes exiguum adhærentium numerum, de pace cogitaſſe; Deputatos ab Ultrajectenſibus Coloniam miſſos ad Nuntium, ſed re infecta rediiſſe, cum edixiſſent: *ſe credere non*

poſſe

Digitized by Google

poſſe illa, quæ Eccleſia præſcripſit in puncto Doctrinæ. Refert Cenſuras & Excommunicationes in privatos latas; illas contemptui habitas, impugnatas, rejectas; hinc aperto marte pugnatum contra S. Sedem; ab Ultrajectenſibus decretum, ſolicite conſervandas, quæ ipſis reliquæ erant, Stationes; ob penuriam Sacerdotum, dari cœptas Dimiſſoriales Litteras ad ſuſcipiendos Sacros Ordines, 1716. Queſnellum procuraſſe Epiſcopos, qui junioribus Eccleſiaſticis ordinationes Sacerdotales impenderent, 1718. Ex hoc ſucceſſu nullum amplius modum ſervatum; citatos ad Tribunal Colonienſe varios Stationum occupatores; querelas Conſulibus Gaudanis delatas; Mandatum Joanni Bylevelt, ut evocationes impediret; ipſi Byleveltio datam a Nuntio Delegationem, ut intruſos conveniret, 1717. Oblatum ab Ultrajectenſibus Libellum ſupplicem Ordinibus Hollandiæ, graviſſime contumelioſum in S. Sedem, ejusque Miniſtros. Joannem Byleveltium a Clemente XI Vicarium Apoſtolicum conſtitutum, per Miſſiones Hollandicas ordine nonum, 1717. Exulare juſſum 1718. Heuſſenium a prætenſo Capitulo Ultrajectino electum Vicarium; uſurpationes Ultrajectinorum varias; mortem Heuſſenii & Queſnelli 1719. Appellationem Ultrajectinorum a Conſtitutione Unigenitus 1719, publicatam 1720. Uſurpationes Steenovii, prætenſi Vicarii Capitularis, 1721. *Memoriale* patrio ſermone conſcriptum, & Ordinibus Hollandiæ oblatum, pro conſequendo Epiſcopo, 1722. Docet, datos fuiſſe a ſuſpenſione Sebaſteni quatuor Vicarios Apoſtolicos Miſſioni Hollandicæ; inter hos conſecratum unum; conſecrandos fuiſſe plures, ſi per Ultrajectenſes licuiſſet; adeo ut immerito querantur, negatos ſibi Epiſcopos. Pſeudo-Electionem Steenovii in Epiſcopum 1723, aliaq; auſa inaudita.

His ita per varios Articulos diſtinctis & explicatis, ſubjicit Autor plurima MONUMENTA, eaque omnia, vel authentica, vel partium conſenſione recepta, ut dictorum ſuorum fides conſtare poſſit omni Lectori, illa inſpicere atque examinare volenti. Quibus etiam addidit Opuſculum Theologicum, quo Inſtrumentum Appellationis Ultrajectenſium refutatur.

Tandem variæ ſuccedunt DISSERTATIONES, in quibus examinat, quicquid occurrit, aut objicitur circa Factum vel Jus. In illis oſtendit, antiquum Jus Electionis Epiſcopi Trajectenſis periiſſe omne; non ſupereſſe liberam electionem, ex antiquo jure; non ſecundariam, ex pactione cum Carolo V anni 1528, neque ſubſiſtere novum ſtatutum in Erectione novorum Epiſcopatuum conditum 1559. Evincit etiam, non eſſe poſtliminio locum; & Ultrajectenſes non extitiſſe, amiſſi juris, priores Dominos. Demonſtrat, Sasboldum Voſmerum & Philippum Rovenium non fuiſſe Ultrajectenſes Archiepiſcopos, ſed meros ſummi Pontificis & S. Sedis per Fœderatum Belgium Delegatos, uti reliquos Vicarios Apoſtolicos omnes; Sedem Epiſcopalem, ab inducta prætenſa Reformatione, & redacta Civitate ſub poteſtatem Ordinum, nec manſiſſe erectam, nec etiam nunc ſubſiſtere; ubi occurritur Ultrajectinorum argumentis. Eccleſiam Ultrajectinam habendam eſſe velut collapſam, omni jure & jurisdictione exutam, & ad conditionem nudæ, nec ideo tamen deſpiciendæ, Miſſionis redactam; Capitulum Ultrajectinum, ejusque jura conſervata non eſſe, imo conſervari non potuiſſe; nullos unquam,

quam, præ temporis iniquitate, a morte Schenckii Vicarios fuiſſe Capitulares, id eſt, a Capitulo electos. Nihil juvare, quod priores duo Vicarii Apoſtolici varias Prælaturas, Canonicatus aliaque Beneficia Auctoritate Apoſtolica contuliſſent, tam in Metropolitana, quam in aliis Eccleſiis Civitatis & Diœceſis Ultrajectinæ; Sasboldum Voſmerum, aliosque Vicarios Apoſtolicos non fuiſſe veri nominis *Ordinarios;* Vicariatum a Philippo Rovenio erectum, & a Jacobo La Torrio confirmatum, non eſſe, nec eſſe poſſe veri nominis Capitulum Cathedrale; antiquum Capitulum in dicto Collegio non ſubſiſtere, nec ſubſiſtere jure aut ratione poſſe; dictum Vicariatum nec vere, nec convenienter Capitulum repræſentare, & conſequenter nec debere, nec poſſe Eccleſiæ Batavæ curam habere, vel ulla omnino Munia exercere, quæ Capitulis Cathedralibus Sede vacante incumbunt. Et in his fuſe refutat Reſponſum quinque Doctorum Juris in Univerſitate Lovanienſi, qui ad *Caſus-poſitionem*, ab Ultrajectenſibus formatam, anno 1717 pronunciarunt in rem ipſorum. Deinde examinat Autor, an pro authenticis habenda ſint Diplomata Rovenii & La Torrii circa Vicariatum Ultrajectinum, prout illa obtruduntur ab adverſariis. Oſtendit poſtea, quod Collegium a Rovenio erectum, ſive Vicariatus ille, poſt obitum Vicariorum Apoſtolicorum, nunquam habuerit aut exercuerit Jurisdictionem Epiſcopalem, quaſi Sede vacante, ut falſo prætenditur. Evictum dat & illud, quod omnes omnino Vicarii Apoſtolici a S. Sede pro arbitrio conſtituti ſint, & quod penes dictum Collegium ſeu Vicariatum nunquam fuerit, aut eſſe poſſit Jus eligendi Vicarium, multo minus Epiſcopum, ut etiam prætenditur invita ratione, & repugnante jure; & quod in diverſorum Vicariorum Apoſtolicorum inſtitutione, ex parte Ultrajectenſium intervenerit nihil aliud, præter vota precesque licita & permiſſa omnibus, quorum intereſt. Examinat poſtea Autor, an moderni Sacerdotes Ultrajectini habendi ſint velut Schiſmatici, ſi in defenſione prætenſorum jurium imaginarii Capituli perſiſtant. Excutit etiam ultimos conatus, omni jure ſchiſmaticos, in eligendo ſibi Pſeudo-Epiſcopo Steenovio; ubi de jure S. Sedis circa Epiſcoporum Confirmationes & Conſecrationes. Refellit etiam Ultrajectinorum Sacerdotum cavillationes, quibus præjudicatas opiniones ſuas indoctæ plebi inſtillarunt, nec non ſtultam invidiam, quam etiam per patrii ſermonis Libellos, de Romani Pontificis poteſtate ac Jurisdictione, ex Quesnelli opuſculo poſthumo, creare conati ſunt. Objectiones denique omnes, ex auctoritate Venerandæ Antiquitatis petitas, diluit & conticeſcere facit.

Libellis vero nuper admodum editis, & *Cauſæ Eccleſiæ Ultrajectinæ* atque *Epiſtolis* ad diverſos hoc anno exaratis, divulgatisque, operam dabit, ut nihil conquerantur neglectum.

Imprimatur. Datum Bruxellis die
16 Septembris 1724.

De Mandato Eminentisſimi & Reverendisſimi Domini Cardinalis Archiepiſcopi Mechlinienſis.

B. DE RUDDERE Secret.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXV.

BISHOP BURNET'S HISTORY OF his own Time.

hoc eſt,

GILBERTI BURNETI, EPISCOPI SALISburienſis, Hiſtoria ſui temporis.

Volumen I.

Londini, apud Thomam Ward, 1724, fol. Alph. 9 pl. 7.

SOlum Cel. Burneti nomen egregia quævis de hoc Opere polliceri videbatur, quod penitius inſpectum ſpem conceptam longe ſuperat. Tanta enim fide, ſolertia & candore omnia hic collegit acutiſſimus Autor, ut Lectorem ad intima aulæ Britannicæ conſilia rimanda admittat. Etenim Burneti Parens, Vir ſincerus, & Regiis quidem partibus addictiſſimus, nævorum tamen aulæ probe gnarus, filii educationem ipſe in ſe ſuſcipiens, id præcipue operam dederat, ut puero omnem rerum, quæ præſertim in turbis inteſtinis geſtæ ſunt, ſeriem panderet. Hinc Noſter negotiis publicis paulatim admotus, & ſummis Proceribus carus, multorumque ſecretorum particeps factus, id egit eximio hoc opere, ut res ſuo tempore geſtas, procul omni partium ſtudio, conſignaret, imprimisque mores ingeniumque maximorum in Republica Virorum diligentiſſime adumbraret. Nobis notabiliora inde, per indicem quaſi, commemoraſſe ſufficiet, ne in tanta rerum ſcitu digniſſimarum copia fines nobis præſtitutos tranſiliiſſe videamur. In limine Operis ſiſtitur ſuccincta Relatio rerum Britannicarum, a turbarum inteſtinarum ſub Cromwello origine uſ-

que ad reſtaurationem Caroli II. Jacobus I, vix Angliæ Regnum
L. 1. p. 8. adeptus, Catholicis clam ferebatur addictus, cujus rei famam odi-
10. um in Presbyteros, favor erga Epiſcopos nimio zelo ardentes, ac
præmatura mors Henrici, Principis regii, Catholicis infeſti, &
11. veneno, ut creditur, extincti, plurimum adauxit; licet Jacobus re
vera, ut inſidias Jeſuitarum evitaret, Catholicos ſaltem toleraſſe
14. cenſendus ſit. Palatinos inter hæc Reformatis ſe addixiſſe ideo,
refert, quod Lutheranos Domui Saxonicæ nimis cernerent dedi-
16. tos. Accuſat inde Jacobi prodigalitatem, eumque toxico ſublatum,
19. minime dubitat. Carolus I, nimia ſimulatione, favore in Purita-
20. nos, & Hiſpanica ſeveritate ſuis adeo inviſus, ut beneficia ipſa eos,
in quos collata erant, parum devincirent, odium Scotorum mox
incurrit, dum terras, Eccleſiis quondam dicatas, & decimas ſibi
vindicare, ac novam liturgiam introducere anniteretur, opibus li-
28 ſq. cet ac milite deſtitutus. Inde turbulenti homines inter Anglos Sco-
toſque, literis baculo excavato incluſis, rem eo deduxerunt, ut
Scoti apparatu ferme ridiculo inſtructi in bellum prorumperent.
31. Quod Carolus Senatui Regni in Comitiis congregato facultatem
Seſſiones pro lubitu continuandi concederet, cædi injuſtæ Straf-
32. fordi non ſatis obſiſteret, & Hiberni immani crudelitate multa
41. Proteſtantium millia trucidarent, Noſter Reginæ conſiliis tri-
43. buit. Origo vocis *Whiggs* a Scotis derivatur. Aurigæ enim equos
incitantes clamitant: *Whiggam:* hinc omnes ex Scotia adven-
tantes, *Whiggamors*, ſive contracto vocabulo, *Whiggs*, nuncupaban-
tur. In bellis poſtea civilibus, nuntiata clade Hamiltonii, quum
Clerus plebem ad arma capienda concitaret, iſta hominum collu-
vies *Whiggs* appellata, ac mox omnes aulæ adverſi hoc nomi-
ne deſignati, unde factum, ut vox illa Anglis quoque, maxime
46. A. 1681, innoteſceret. Iretono potius, quam Cromwellio, parri-
49. cidium Regis hujus adſcribitur. Res Anglorum, ad Rupellam haud
50. proſpere geſtæ, Buckinghamio, litteris Reginæ Galliarum delu-
ſo, imputantur. Libellum, qui Εἰκὼν βασιλικὴ inſcribitur, non a
Carolo I, quod vulgo creditur, ſed a Gaudeno exaratum, dubia ta-
54. men fide, Noſter refert. Cladem prope Dunbarum haud parum
promovit ardor Scotorum intempeſtivus: quandoquidem haud
70. dubie fame Cromwellio fuiſſet pereundum, ſi pugnam paulo
diutius

Digitized by Google

diutius detrectare Scoti voluiſſent. Cromwellum, ne Regiam dignitatem amplecteretur, a cognatis maxime fuiſſe deterritum; p. 70. 71.
eundem arcana ſummorum Principum, Judæorum imprimis opera, fuiſſe rimatum; veritumque, ne Galli, exercitu ex Hugonottis 73.
collecto, Carolum II, claſſe in Angliam trajecturum, juvarent, fœdus cum Gallis iniiſſe, docet; præterea ipſius de fide Proteſtantium 77.
propaganda conſilia, effectu tamen deſtituta, aperit; & fœdos Enthuſiaſtarum, ob mortem Cromwelli improviſam, ſermones enarrat; 82.
Monkium denique, obſervat, cum animos plurimorum in Regem inclinatos animadvertiſſet, Carolum II callide in ſolium avitum 89.
reſtituiſſe, nullis quidem ipſi conditionibus propoſitis, quod Regno poſtmodum pæne fuit exitio. Præcipua Scotorum privilegia L. II p. 110.
& diplomata in Turrim Londinenſem transportari curaverat Cromwellus, quæ, Caroli II mandato, navi impoſita, ut Edinburgum denuo deveherentur, dum artibus Clarendonii, nonnulla majoris momenti inde depromere cupientis, usq; in adultam hyemem navis detinetur, coorta tempeſtate, cuncta perierunt. Suaſu Middletonii 131 ſq.
& Sharpii, Epiſcopi in Scotiam introducti, ſummo Regni detrimento. De *obedientia paſſiva* quæſitus Colvilius prudentiſſime 157.
dixit: *Utinam Reges eorumque Miniſtri ſuos imperio regerent, quaſi civilia bella ſemper timentes; cives autem, arma contra Principem induere, nefas putarent.* Clarendonium, Jurisprudentiæ 159.
operam navantem, Parens, quem forte inviſerat, ſerio monuit: *ne Leges aliquando pro lubitu Imperantium interpretaretur, ſed patriæ libertatem Legibus tutaretur;* quibus verbis vix prolatis, apoplexia correptus obiit. Fata tam inopinata adeo percelluiſſe Clarendonii animum feruntur, ut acerrimus exinde libertatis patriæ vindex extiterit. Monkius matrimonium cum Principe Luſitanica 166. 167.
primus Regi ſuaſit, a Judæo, qui gentis illius negotia in Anglia tractabat, ea de re admonitus, & quamvis Hiſpani illam ſterilem futuram prædicerent, cauſæ ita ſuæ ſervientes, vicit tamen Monkii conſilium, & ſolennia benedictionis ſacerdotalis more Pontificio 174.
celebrata ſunt ab Aubiniaco, præſente tantum Eboracenſi Archiepiſcopo. 262.
Sæpius deinde conſilia de matrimonio diſſolvendo ob 435.
Reginæ ſterilitatem agitata; imo proditionis in Regem inſimulata Regina. Caroli hujus, ejusq; fratris, Ducis Eboracenſis, indolem ar-

Digitized by Google

p. 169. gute expreſſit Buckinghamius, *Regem*, dicens, *cuncta cernere poſſe,*
172 *ſi vellet; Ducem cuncta cernere velle, ſi poſſet.* Dunquerca, Mon-
kio autore, Schombergio incaſſum repugnante, Gallis eſt vendita.
222. Quomodo Belgæ A. 1665 inſidias, Anglorum ac Danorum claſſi
229. Indicæ ac Smirnenſi ſtructas, evaſerint; ut porro pugna navali A.
1666 claſſis Anglica, globulis Belgarum concatenatis (Ketten-Ku-
geln, quorum inventor perhibetur Thalaſſiarcha Belgarum *de Wit*)
ferme deſtructa, tempeſtivo tamen Principis Ruperti adventu fu-
248. erit ſervata; Clarendonii porro fata adverſa, quæ maxime ob
amores Regis in fœminam generoſam, Stewardam, deluſos, eſt
273. expertus; Caroli II item cum Auriaco colloquium, quo verbis
haud ambiguis, Romanenſium ſacris ſemet addictum eſt profeſſus;
309. Eboracenſis vero uxorem minime Catholicis acceſſiſſe, ſed ſcri-
ptum eo nomine, propria ipſius manu exaratum, a moribunda fuiſ-
310 ſq. ſe extortum, fuſius exponitur. Hinc quinq; Proteſtantium Perſecu-
tiones, quas numerat Autor, 1) ſub Carolo V Imperatore, 2) ſub
Maria Angliæ Regina, 3) ſub Philippo II, cum claſſe Invincibili
Angliam petente, 4) ſub Imperio Ferdinandi II, 5) ſub Ludovico
655. XIV, rerum ſacrarum non admodum gnaro, contra Batavos A.
1672, & cives ſuos A. 1685, quæ poſtea velut peſtis ad alias quoque
gentes, (Jacobo in Anglia rerum potito, Electoratu Palatino ad
poſſeſſorem Catholicum translato, & Sabaudo Valdenſes divexan-
te) ſerpere cœpit, immixtis ubique præcipuis rerum momentis,
alibi haud obviis, ſolertiſſime deſcribuntur. Rex Galliæ, rebus
332. feliciſſime geſtis A. 1672, ſubito Lutetiam remeavit, vel amoris
furtivi ardore, vel ambitioſa voluptate adulatorum, vel denique
ſuſpicione inſidiarum, pulvere pyrio Ultrajecti defoſſo, ſibi ſtru-
ctarum, permotus. Oſſorius, Comitis Ormondi filius, A. 1672 con-
334. ſtituerat, portum Batavorum, *Helvoetſchluys*, repentino impetu in
Anglorum redigere poteſtatem, cui conſilio ſaluberrimo Bu-
ckinghamii obſtitit invidia. Batavi autem, re poſtea comperta, &
perpenſo diſcrimine, extructis munimentis portum ab incurſio-
L. III. p. 389. nibus tutum reddiderunt. Lockharti, Legati Anglorum ad Gallos,
nobilem audaciam, in tutandis Juribus Regis gentisque ſuæ, in-
395. ſigni elogio mactat Autor; Colemannum vero, qui Gallos pecu-
nia emungere conſueverat, deteſtatur. Odii Regis Galliæ inve-
terati

Digitized by Google

terati in Condæum hæc cauſa redditur, quod is Regi, graviſſimo p. 404.
morbo decumbenti, ac Delphinum curæ ipſius commendanti, injuriam ſibi quondam factam, exprobraſſet; quam rem adeo Rex ægre tulit, ut ex illo tempore nullam omiſerit Condæi opprimendi occaſionem. In prælio ad Audomaropolim A. 1677 Galli ſupe- 406.
riores diſceſſerunt, quod Arauſionenſis equitem recentem in pugnam produxiſſet, & maritimæ Batavorum copiæ primum impetum vix ſuſtinerent. Quanta prudentia Danbius in conciliando 408.
Auriaci cum Eboracenſis filia matrimonio fuerit verſatus, Gallis ad rei novitatem ſtupentibus, legi apud Noſtrum meretur. Inde
inſidiæ, partim a Catholicis An. 1678, partim a Proteſtantibus An. 424. 475. ſq.
1683, in caput Caroli II Regis, prout vulgo ferebatur, ſtructæ, & 536. 569. ſq.
ficta crimina ab utraque parte innocuis imputata, ſummo candore enarrantur. Singulare eſt, quod Carolus II, vatidico velut ſpiri- 575.
tu afflatus, præſente Auriaco, prædixiſſe fertur: *Eboracenſem, ſolio olim admotum, ob turbulenta conſilia, vix integris 4 annis regnaturum*, id quod eventus comprobavit. Cum Tingitanum ca- 593.
ſtellum deſtruere Carolus II conſtituiſſet, magnumque auri pondus Luſitani obtuliſſent, ſi locus ipſis traderetur; Rex, illos haud idoneos exiſtimans ad depellendos barbarorum inſultus, quorum vires inde in Mari Mediterraneo metuebat, in propoſito per- 607.
ſtitit. Eundem periiſſe venenato Tabaci pulvere per nares hauſto, juſſu quidem Eboracenſis, cujus exilium tunc meditabatur; atque morti vicinum clam Sacramenta Pontificiorum admiſiſſe, publicam tamen fidei confeſſionem haud edidiſſe, Noſter demonſtrat.
Hujus deinde indolem deſcribens, Tiberii ſtatuam Romæ a ſe vi- 613.
ſam, refert, quæ Regis imaginem accurate exprimere viſa fuerit.
Feliciſſima hinc Regiminis ſub Jacobo II auſpicia; vanos Monmou- L. IV. p. 617.
thii auſus, incentore Argylio; reditus immenſos Regi, nec pe- 629. 640.
tenti, a Senatu Regni attributos; inauditam Jeffriſii crudelita- 638.
tem; lites circa Juramentum, quo Eccleſiæ Anglicanæ addictos 648.
ſemet Angli profitebantur, & hinc enatam aliquot Epiſcoporum 652. 664.
captivitatem; porro Jus circa Leges diſpenſandi, a Rege uſurpa- 668.
tum; controverſias circa Collegium Magdalenæ Oxonienſe; 736. ſq.
Proceſſus contra Autorem alioſque injuſte decretos, graphice de- 699.
ſcribit; imprimis vero Principis Walliæ nativitatem, ſive veram, 726.

 ſive

Digitized by Google

p.748. 785. ſive fictam, ſecundum minutiſſimas circumſtantias ita exponit, ut nec amori, nec odio quicquam dediſſe videatur. Guilielmum III, 689. tædio laboris, venationi nimis deditum, & unico vitio, quod mire celabat (clandeſtinis nempe amoribus cum Hamiltonia) addictum, Batavis apprime carum, Anglis vero ob languorem & tarditatem ingenii haud adeo fuiſſe acceptum, non diſſimulat. Ut .808. Tyrconellus, jam deditioni proximus, denuo Hiberniam contra Guilielmum tueri auderet, Hamiltonii fraude effectum, putat, qui, ab ipſo Guilielmo ablegatus, cum in Hiberniam appuliſſet, Jacobi partes ſummo ſtudio amplexus, Tyrconellum ad extrema tentanda permoverit. Sed hic vela contrahimus, illud ſaltem monentes, Opus hoc elegantiſſimum, (cujus poſteriorem Tomum ne diutius, quod quidam verentur, Orbi Erudito invideant poſſeſſores, publico nomine obteſtamur) a Mattheſonio Hamburgi Germanica lingua donatum, forma quadripartita nuper in publicum prodiiſſe; quæ tamen verſio, nimis, ut videtur, maturata, emendatione & omiſſorum reſtitutione pluribus in locis (vide p. 23, 29, 30, 38, 55, 130, 163, 480, 173, 428 &c.) indigere nobis viſa fuit.

SECOND VOYAGE LITERAIRE.

hoc eſt,

ALTERUM ITINERARIUM LITERARIUM duorum Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri.

Pariſiis, apud Montalant, 1724, 4.

Alph. 2 pl. 7.

PRiorem hujus *Itinerarii Literarii* Partem cum A. 1718 p. 488 exhibuerimus, nunc alteram, eadem, qua ſuperior, methodo gaudentem, cupide adjicimus. Deſcribuntur hic, quæ par illud doctorum Monachorum obſervavit in itinere, Lutetia A. 1718 d. 30 Maii ſuſcepto, in Brabantiam & Weſtphaliam, itemque tractum Rhenanum. Hinc potiora, quæ literariam illuſtrant hiſtoriam, decerpemus. *Pag.* 5 memorantur in Abbatia S. Faronis Meldenſis reperta Opera MSS. Nicolai Lyræ, in quorum ſecundi voluminis fine Lyra, adſcripto anno 1330, profitetur, ſe Commentarios ſcri-

ſcripſiſſe, primo *ſuper libros, qui ſunt de canone,* deinde *ſuper illos qui non ſunt de canone, incipiendo a libro Tobiæ, & terminando in libro, qui dicitur ſecundus Esdræ, ut ſic per hanc diſtinctionem librorum & ordinationem appareat ſimplicibus, qui libri ſint canonici, & qui non, & qui maioris autoritatis, & qui minoris. P. 9* exhibetur repertum in Abbatia Longopontana Epitaphium Petri Cantoris, Pariſienſis Doctoris celeberrimi, A. 1180 d. 14 Kal. Junii exſtincti. *P. 35* conſpicere licet formam hoſtiæ eucharisticæ, qualis in Gallia fuit ſæculo duodecimo, & *p. 36. ſq.* formam vetuſtorum ſceptrorum Regum Galliæ. *P. 46* recitatur Epitaphium Almanni, (vulgo Altmannum vocant ſcriptores,) Monachi atque Philoſophi, Lauduni ſuperſtes. *P. 74, 79, 196. 223. & 267* docemur, quibus in bibliothecis lateant Acta Concilii Baſileenſis. *P. 93* Epitaphium Hugonis de S. Victore ſic profluit: *Anno ab incarnatione Domini 1141 obiit Domnus Hugo Canonicus S Victoris 3 Idus Februarii, qui ex Iprenſi territorio ortus, a puero exulavit,* cætera. *P. 105* exſtat figura vetus *Fratrum flagellantium. P. 145 ſq.* legimus leges hominibus a rabido cane admorſis jam olim præſcriptas, quæ, licet ſuperſtitioſæ videantur, tamen a Medicis fuerunt approbatæ, eosque, qui iis uſi ſunt, ſanarunt. *P. 155* repræſentatur figura veteris *caſulæ* ſive *cucullæ. P. 187* memoratur, in duobus MSS. annotari tempus mortis Ruperti Tuitienſis, ſed diverſe. In altero quippe mortuus fuiſſe ſcribitur A. 1127, in altero A. 1135 IV Nonas Martii. Vid. & *p. 263. P. 189 ſq.* deſcribuntur duo vetera altaria portatilia, vna cum ipſorum inſcriptionibus. *P. 223* e MS. codice Trithemii recitatur de inventione artis typographicæ locus notatu digniſſimus. *P. 248 ſq.* de Irmenſula Saxonica diſſeritur. Et ſicut ſuperiori Parte (Vid. in his Actis A. 1718 p. 488) ſæpius Monachi noſtri meminerunt codicum MSS. notiſſimi opuſculi *de imitatione Chriſti,* eo fine, ut ex legibus ſectæ ſuæ, eorum ſententententiæ patrocinentur, qui ejus verum autorem Thomam a Kempis eſſe negant; ita & hac in Parte Itinerarii eodem conſilio memorantur hic illic reperti MSS. illius operis codices, e. g. *p. 251, 257, 260, 265 ſq. P. 254 ſqq.* monaſterium Weſtphaliæ, *Corbeja,* copioſe deſcribitur. *P. 278* commemoratur codex MS. librorum viginti Hieronymi in Prophetam Jeremiam. Sed noſtri Monachi tandem

Digitized by Google

dem obſervarunt, eſſe hoc opus falſo inſcriptum, & autorem habere Rabanum Maurum. Etiam haud raro laudantur pervetuſti codices & pretioſi Bibliorum: quos inter eminentiſſimus judicatur *p. 289* ille, qui aſſervatur in urbe Trevirorum. *P. 297 ſq.* memoratur MS. codex Evangeliorum, quem plane inæſtimabilem vocant Monachi noſtri, & huc delatum ex Anglia putant a S. Wilbrodo. *P. 305* finitur literarium hoc Itinerarium, eique, ne volumini deſit juſta magnitudo, ſubjiciuntur tres libelli, nunc primum typis deſcripti publicamque in lucem editi. Scilicet *p. 307 ſqq.* exhibetur Epiſcopi Bajocaſſini, Nicolai de Boſc, A. 1381 miſſi, ad faciendam inter Galliæ & Angliæ Reges pacem, Itinerarium, quo non ſolum hiſtoria ejus rei ordine narratur & copioſe, ſed etiam ſcripta Principum exhibentur ſingula. Deinde *p. 361 ſqq* prodit Balthaſaris Spingeri *Relatio* (quæ quidem non eſt magni momenti) *de maxima ſua marina peregrinatione ex partibus Hollandiæ in Ulixbonam Portugalliæ, ac deinde per Oceanum auſtralem verſus polum antarcticum in Indiam & ejus Inſulas A. 1507 ſuſcepta.* Tandem *p. 379 ſqq.* legitur Anonymi *deſcriptio apparatus bellici Regis Franciæ Caroli, intrantis civitates Italiæ, Florentiam ac deinde Romam, pro recuperando regno Siciliæ, hoc eſt, Neapolitano.* Hic jucundiſſime licet legere conditiones pacis, quam in ipſa urbe Roma A. 1495 cum Papa Alexandro VI fecit Rex Carolus.

IDEA DELLA STORIA DELL' ITALIA LETterata, eſpoſta coll' ordine cronologico dal ſuo principio ſino al ultimo ſecolo &c.

hoc eſt,

IDEA HISTORIÆ LITERARIÆ ITALIÆ, ordine chronologico a ſuis primordiis usque ad ſeculum XVII expoſita: acceſſit hiſtoria particularis ſcientiarum artiumque nobiliorum, inventorum, Scriptorum maxime celebrium, & librorum ab iis editorum, monumentorum item nonnullorum hiſtoriæ civilis & Eccleſiaſticæ; Religionum, Academiarum, & denique controverſiarum variis temporibus exortarum;

rum;

rum; cum defenſione contra cenſuras iniquiores exterorum quorundam; Autore D. HYACINTHO GIMMA, Doctore Legum & Advocato extraordinario Neapolitano, Promotore generali ſcientificæ Societatis Roſcianenſis Incurioſorum.

Tomi II.

Neapoli, e typographia Felicis Moſcæ, 1723, 4.
Alph. 4 plag. 19.

UT primus eſt Clariſſ. Mich. Lilienthalius, qui edito ſcripto, *de hiſtoria litteraria certæ cujusdam gentis ſcribenda*, conſilium dedit, hiſtoriam Rei litterariæ eo modo contexendi, ut gentis cujusvis eruditæ hiſtoria ſeparatim pertractaretur: ita hujus Hiſtoriæ Litterariæ, quam præſentem intueris, Clar. Autor primus omnium in exequendo laudabili illo & utiliſſimo conſilio fuit. Et meruit is quidem jam aliis ſcriptis elegantioribus doctorum hominum plauſum, præcipue *Elogiis Academicorum*, quæ duobus tomis 1704 edidit, doctisque Commentariis de hominibus pariter & animalibus fabuloſis, 1714 vulgatis. Quod ad Ideam hanc attinet Hiſtoriæ Litterariæ Italiæ, in ea quidem ſcientiarum Italiæ natales ac incrementa tam docte atque accurate expoſuit, ut in omnibus æque illum dicas excellere, niſi forte Theologica exceperis, in quibus explicandis non adeo ſolerter verſatus videtur. Hiſtoriam vero civilem atque Eccleſiaſticam cum litteraria tam apte conjunxit, ut illæ huic ſæpe lucem fœnerari videantur. Vitas clariſſimorum Virorum Italiæ, tam veterum, quam recentiorum, ita expoſitas hic videas, ut nec ſcitu neceſſaria deſideres, nec ſupervacanea faſtidias. Inventa præterea, tum recentiora, tum antiqua, una cum eorum autoribus, exacte recenſentur. Bibliothecæ, diaria litteraria aliaque Italiæ ornamenta quaſi oculis expoſita cernuntur. Academiæ & Societatis, eruditæ æque ac religioſæ, omnes, earumque fundatores, fideliter exhibentur. Atque, ut multa alia quibus ſe ſcriptum hoc commendat, prætermittamus, utique non parvum illi pretium conciliat, quod teſtes ubique in margine fide digni, &, apud nos certe, raro obvii producantur. Id in eo minus

Digitized by Google

probandum videtur, quod, communi ſere Pontificiorum ſcri-
ptorum morbo, in Eccleſia Romana divinis laudibus mactanda, reliquis omnibus eccleſiis damnandis paulo nimis laborare, & nimio patriæ amore abreptus, ea inventa, quæ nullo jure Italis competunt, omni arte illis vindicare, verisque inventoribus abjudicare, haud vereatur. His generatim de libro monitis, breviter ſtrictimque ea, quæ in eo pertractata occurrunt, cum longioribus eſſe non liceat, perſequemur. Epiſtolam dedicatoriam ad Illuſtriſſ. Comitem *Cleliam Grillo-Borromeam*, quæ inter doctiſſimas hodie Italiæ feminas principatum ſuſtinet, cujusque laudes Clariſſ. Auct. Tom. I p. 486 ſigillatim perſequitur, ſequitur Epiſtola *D. Caſparis Campanilii*, docti Itali, Noſtrique familiaris, ad Lectorem, qua omnia illa, quæ ad commendandum hunc librum ſpectare videntur, commemorat. Hanc excipit Cl. Autoris Introductio in ipſum opus: qua ſibi conſtitutum ait, non perfectam quandam hiſtoriam dare, ſed brevem duntaxat delineationem, eo imprimis fine, ut patriam ſuam contra cenſuras exterorum, torporis ruditatisque notam illi impingentium, tueatur.

p. 11. tatisque notam illi impingentium, tueatur. Cap. I agit de origine
15. ſcientiarum a creato mundo; C. II de ſuperioritate Italiæ tum
20. quoad fidem, tum quoad Imperium, ubi articulo I differit de divi-
26. ſione partium Italiæ. C. III agit de incertitudine antiquæ hiſtoriæ,
librisque Pſeudo-Beroſi & Annii. C. IV in eo eſt, ut demonſtret, Janum eſſe Noachum, qui in Italiam colonias deduxerit, ſcientiasque in ea plantaverit. C. V de antiquis Hetruſcis, eorumque ſci-
47. entiis, dominioque in Italia conjecturas ſuas prodit. C. VI Impe-
52. rium & ſapientiam veterum Græcorum explicat. C. VII de Aca-
64. demia Italica a Pythagora inſtituta; C. VIII de Imperio & ſci-
82. entiis Romanorum poſt devictam Græciam agit. C. IX primum
100. 102. poſt natum Chriſtum ſeculum; C. X ſecundum; C. XI tertium;
107. 123. C. XII quartum perluſtrat. C. XVI ordines S. Benedicti enumerat.
153. Sequentibus Capitibus usque ad XIX Seculum VII, VIII, & IX exhibet. Cap. XX agit de antiquis ſcholis ſcientiarum Italiæ, & contra Vallemontium diſputat, affirmantem, Academiam Parienſem omnium reliquarum matrem fuiſſe. C. XXI De origine fabula-
169. rum Romanenſium; C. XXII de origine, itemque uſu, variis generibus, & ſcholis Poeſeos vernaculæ differit. C. XXIV Seculum unde-

Digitized by Google

undecimum ingreſſus, exponit, quomodo ſucceſſu temporis per p. 224.
ſacros Pontificum legatos Evangelium remotiſſimis populis annuntiatum, ſcientiæque humanæ ad alias nationes ab Italis propagatæ ſint. C. XXV de Muſica ab Italis exculta; C. XXVII de ortu 232.
& progreſſu Jurisprudentiæ Romanæ; C. XXVIII de Jurisprudentia Canonica agit. C. XXIX porro ad Seculum decimum tertium accedit. C. XXX Doctores Eccleſiæ Gregorium M. Augu- 280.
ſtinum &c. producit, ſimulque Ordines Monaſticos eorumque congregationes deſcribit. C. XXXI de Theologia Italorum con- 319.
ſervata & reſtaurata commentatur. Ubi imprimis in id incumbit, ut dudum ab Eccleſia noſtra exploſis Areopagitæ ſcriptis auctoritatem conciliet. Graviſſimum vero ejus argumentum præjudicio auctoritatis innititur; unde, quid de reliquis ſentiendum, æſtimari facile poteſt. Noſtratibus, ſilentium primorum Eccleſiæ Doctorum urgentibus, ſatis frigide reponit, a nemine Patrum fuiſſe 348. 349.
allegatos ejus libros propterea, quod ad refutandos iſtorum temporum hæreticos nihil præſidii contulerint. Ceterum fatetur, ne- 351.
gari non poſſe, in Actis Sanctorum ac Martyrologiis infinita falſa & contradictoria deprehendi. Immerito inde Lutherum no- 352.
ſtrum accuſat, quod non omnem tantum Philoſophiam, tanquam noxiam peſtiferamque, condemnaverit, ſed etiam reliquas omnes ſcientias, quæ in contemplatione verſantur, e medio tollendas judicaverit. Quem enim, vel leviter in hiſtoria Lutheranismi verſatum, fugit, ab hoc crimine Lutherum noſtrum fuiſſe adeo alienum, ut potius bonas litteras in Germaniam primus fere introduxerit? De S. Thomâ vero tradit Cl. Autor, tantam ei ſapientiæ laudem tribuiſſe Pontificem Innocentium VI, ut in Oratione, in ejus memoriam habita, ipſum Salomonem Regem ſapientia anteceſſiſſe, publice affirmaverit. C. XXXII de pictura, ſculptura & Architectura agit, neque has artes dubitat aſſerere in Italia primum inventas & excultas eſſe. C. XXXIII Seculum XIV conſide- 390.
rat, atque inter alia oſtendit, Boccatium non Seculo XIII ſed XIV floruiſſe. Denique C. XXXIV de fatis linguæ eloquentiæque Græcæ ac Latinæ, ab Italis reſtitutæ, diſſerit. Tomo II Clar. Autor pari ſtudio ſcientiarum fata, incrementa ac decrementa per ſingula ſecula perducit, ita ut in unoquoque ſeculo primum civilis

Digitized by Google

hiſtoriæ potiora momenta prælibanda det, deinde divinioris cœtus ſtatum, hæreſes nempe ac hæreticos, eosque, qui errores imprimis oppugnarunt feliciterque debellarunt, aliaque eo pertinentia exponat. Cap. igitur XXXV (nam continuatur hoc Tomo Capitum numerus) Seculum decimum quintum conſiderans, de
p. 417. typographiæ origine & incrementis, maxime in Italia; de inventa
420. re pyrotechnica; ut & de novi orbis per Chriſtophorum Columbum & Americum Veſputium Florentinum detectione; de litte-
421. ris hoc ſeculo per illuſtriſſimam Familiam Mediceam mirum
429. quantum promotis; & de Hieronymi Savanarolæ, Ferrarienſis,
436. doctrina, ſcriptis, morte violenta & ejus cauſa agit. Motam quoque hoc ſeculo litem de nomine Chriſti adorando examinat, cui quidem controverſiæ Bernhardinum, Parochum Florentinum, qui Chriſti nomen aureis literis in tabula quadam depictum auditoribus ſuis adorandum exhibuit, occaſionem dediſſe ſcribit: ſimulque originem trium literarum J. H. S. quibus Jeſuitarum in-
439. ſignia ornata ſunt, indicat. Controverſiam quoque alteram circa
442. ſanguinem Jeſu Chriſti enatam perſequitur: ſimulque hac occaſione docet, variis etiamnum locis Italiæ ſanguinem Chriſti pre-
444. tioſiſſimum aſſervari. Differit & de feſto immaculatæ conceptio-
450. nis Mariæ Virginis, & inter alia Natalem Alexandrum, cujus multa ſcripta a Papa Innocentio X damnata eſſe, ait, graviter increpat, quod negare conetur, Duns Scotum Oxonio Pariſios veniſſe, ut defenderet immaculatam Mariæ conceptionem, publicaque in
453. procerum conſeſſu verba pro ea feciſſe; tum eos fere omnes, qui in hunc usque diem B. Virginis immaculatam conceptionem tuentur, enumerat, ſimul commemorans, tum quum Colonienſis Academia conſtituta eſt, votum publice fuiſſe nuncupatum pro illa pugnandi, nec hodie ad gradum honoris quenquam illic admit-
459. ti, qui ab hac ſententia alienus ſit. C. XXXVI omnes Italiæ Academias eruditasque Societates, tum a quibus inſtitutæ ſint, quique præter ceteros ſcientiarum laude florentes in iis fuerint conſpicui, indicat, docetque, quare Societatum plerarumque membra fictum ſibi nomen adſciverint, quam nominum immutationem olim Callimacho, Pomponio, Platinæ, Campano magnum apud
461. Pontificem Paulum II, clandeſtinam conjurationem ſuſpicatum, odi-

Digitized by Google

odium conflaſſe tradit. C. XXXVII ordine Alphabetico Civitates p. 472.
Italiæ, in quibus hæ Societates inclaruerunt, enumerat. C. XXXVIII 476.
Academias Experimentales Philoſophiæ naturalis, non in Italia
modo, ſed in Europa univerſa florentes, contemplatur. C. XXXIX 487.
de variis agit Philoſophorum ſectis, ex Italorum ſcholis derivatis, ubi in principio ſtatim in aprico eſſe putat, præcipuas Philoſophiæ ſectas, Platonicam, Ariſtotelicam, Atomiſticam, Carteſianam, Maignaniſticam, & corpuſculares omnes, ex Italia prodiiſſe: in ſequentibus de cujusque recentium ſectarum origine
& incrementis ample & erudite diſputat. C. LX de Geographica 517.
Italorum ſcientia, monſtrat ſimul, tum Gallos, tum Luſitanos, tum Hiſpanos novi Orbis inventionem falſo ſibi arrogare. C. XLI Pyxidem nauticam unice Amalphitano Italo vindicari debere arbitra-
tur, & diſputat contra Gallos, inventi hujus laudem ſibi vindican- 539.
tes, nihilque eis patrocinari ait vocis Italicæ *Calamita*, quæ ma- 541.
gnetem ſignificat, etymologiam, utpote quæ Latinæ Græcæque ſit
originis. C. XLII ad Seculum XVI progreditur, ubi Lutheranos 549.
inter hæreticos hujus ſeculi principe loco reponit, & multa ſpar- 552.
git in Lutherum & Calvinum ſcommata, quæ ejus in piam matrem
Eccleſiam zelo condonanda videntur. C. XLIII microſcopiorum, 608.
ſpecillorum, teleſcopiorum &c. inventionem Italis vindicat. C.
XLIV de arte emblematica, & heraldica; C. XLV de ortu ac pro- 612.
greſſu ſcientiarum Mathematicarum, ſpeciatim Aſtronomiæ, varia
ſcitu digna tradit. C. XLVII tranſit ad ſeculum XVII, & ſigillatim 647.
C. XLVIII Medicinæ, ſpeciatim Anatomiæ, hiſtoriam in Italia per- 672.
ſequitur; ubi inventionem circulationis ſanguinis Paulo Sarpio at- 696.
tribuit. C. XLIX quæ præſenti Seculo Italia in litterarum commo-
dum produxerit, enarrat, dumq; obiter de ſtudiis hominum Eccle- 753.
ſiaſticorum ſententiam ſuam aperit, acriter ſatis contra Cl. Fleury
ejusque de methodo ſtudiorum librum diſputat. Hic Diaria quo- 769.
que litteraria generatim recenſet, interque ea primo fere loco
Acta noſtra ob accuratam in recenſendis libris diligentiam, & optimorum librorum, qui in illis exhibentur, apparatum commendat. 744.
De Bibliothecis porro Italicis, deque recentiſſimis Italorum inven- 776.
tis, utpote arte fullonia, phoſphoro, ſacharum purgandi arte, aliisque agit. De Oratoria etiam Italorum Virisque eloquentiæ laude 787.

Digitized by Google

p. 749. inſignibus, de hiſtoria Italorum univerſali, de hiſtoriis urbium,
768. imprimis patriæ ſuæ, civitatis Barienſis, itemque de partibus phi-
819. lologiæ, utpote Lexicis, Etymologiis, Orthographia &c. com-
828. mentatur. De typographiis Italorum agens, memorat, ſe prelo pa-
831. ratum habere librum, cujus titulus: *Nova Encyclopædia, ſive no-*
837. *vus doctrinarum orbis, in quo ſcientiæ omnes, tam divinæ quam hu-
manæ, nec non & artes, tum liberales tum mechanicæ, Tomis VI per-
tractantur.* Tandem opus ita concludit, ut minime ſe affirmet in animo habuiſſe exteras nationes carpendi, deque illorum meritis quicquam detrahendi, cum potius omnes exteras nationes æquo
487. pretio æſtimet. Neque poſſumus hoc loco tacere propenſum Cl. Antoris judicium, quod de Germanis tulit, quoque ſuam iis eruditionis gloriam minime abjudicandam, ait. Neſcimus tamen, quid ſibi velit Cl. Autor, quum noſtris hominibus ingenii quidem & eruditionis excellentiam, at multo labore partam, attribuit, quaſi vero Itali, vel quicunque alii, ſine ullo labore atque induſtria eruditionis laudem conſequi valeant.

JUSTI FONTANINI, FOROJULIENSIS, DE Antiquitatibus Hortæ, Coloniæ Etruſcorum, Libri tres, cum figuris æri inciſis & gemina Appendice monumentorum ex Codd. potiſſimum Vaticanis: in quibus eminet genuinum Decretum S. Gelaſii I Pont. Max.

Romæ, apud Pagliarinos, Bibliopolas, 1723, 4.
Alph. 3 pl. 12.

NEcdum ſatis de Horta ſua meritum ſe credidit Celeberrimus Fontaninus, poſtquam de urbis hujus Antiquitatibus *Libros II*, in Actis noſtris An. 1709 menſe Januario recenſitos, annis abhinc ſeptendecim publici juris fecit. Cum enim elegantiſſimam commentationem non ſolum Theſauro Hiſtoriarum Italiæ inſertam vidiſſet, verum & orbi literato admodum gratam acceptamque fuiſſe, paſſim ex Virorum doctiſſimorum ſcriptis intellexiſſet, novam ejus editionem, ſecundis quidem curis & *Libro tertio* auctam, ſuſcepit. Novus hic liber conſtat capitibus duobus, quorum prius ad Hortanas Antiquitates ſpectat, eaque potiſſimum, quæ Noſter, Hortam itinere facto, ipſe oculis uſurpavit, iterum velut oculis legen-

Digitized by Google

g. 63.

Fig. 2.



Fig. 1.



F. Andre Iohn ſculpſ. Lipſ.

Digitized by Google

Digitized by Google

legentium ſubjicit. Ac primum quidem præcipua deſcribuntur templa, quibus hodierna civitas maxime ſuperbit, initio facto ab *Eccleſia Cathedrali*. Ejus primum Antiſtitem S. Caſſianum (cujus Acta *lib. II c. 6* & in *App. I p. 335 ſeqq.* e MSS. primum edita cernuntur,) ſub Joviano Imp. ſediſſe. Præter *B. Virginem Deiparam* Hortanorum patronos coli *SS. Quirinum, Dionyſium, Apollonium, Aurelianum, Marcum & Timotheum, Martyres; SS. Dorotheam & Fauſtinam, Virgines Martyres*, eorumque exuvias in Eccleſia Epiſcopali eſſe: præcipuum tamen Patroni urbis honorem quotannis haberi *S. Ægidio Abbati*, olimque haberi ſolitum *S. Laurentio*, cujus antiquiſſima *parœcia* prope civitatem extet. Pergit ad *Eccleſiam* in honorem *S. Antonii Abbatis* dicatam, pariterque corpora Sanctorum ibi adſervata enumerat. In æde *B. Mariæ Lauretanæ*, memorat, vixiſſe olim inter Virgines ordinis S. Auguſtini, *Annam Mariam Gryphoniam*, ſed cui anno æt. 18 repente in marem transformari (an potius pro mare primum adgnoſci?) contigerit: egreſſum inde novum hominem, aſſumto Franciſci Gryphonii nomine, literis operam dediſſe, poſteaque Presbyteratus ordine ſuſcepto inter Canonicos Eccleſiæ Hortanæ cooptari meruiſſe, ſeque cum ipſo collocutum, Noſter teſtatur. De *Eccleſia ordinis S. Franciſci*, qui *Conventualium* audit, & de *S. Bernardini minorum obſervantium* extra civitatem æde, reliquias Sanctorum in his ſuperſtites annotat; ac demum *Parthenonem Ordinis S. Petri Damiani*, qui ſub titulo *S. Gregorii* quondam in urbe ſteterit, paucis attingit, ad vetuſtiora properans. Nimirum in ſubſtructionibus turris campanariæ & Eccleſiæ Epiſcopalis ante aliquot annos varia antiquitatis monumenta ſunt reperta, in quibus eminuere ſarcophagi duo, anaglyphis Bacchanalium ſymbolis faberrime exornati, qui nunc in villa Nuptiana Hortæ conſpiciuntur. Hos ad archetypa æri inciſos exhibet Noſter docteque illuſtrat, tum quoque ſpem facit, ab Inſigni Antiquario *Montfauconio*, in *Supplemento Antiquitatis illuſtratæ*, mox prodituro, ulteriorem illuſtrationem iri ſuppeditatum. Nos utrumque ſarcophagum *Tab. I* ſubiiciendum duximus. Alter vindemiale aliquod feſtum exprimere Noſtro videtur, ob ciſtam myſticam tigridesque Baccho ſacras, quæ medio loco præter quatuor anni temporum Genios, TAB. I. Fig. I.

lebores

lepores, capreas, corvum & cantharum, præterque adoleſcentulos utrinque ludentes, facula & haſtis, item pedo & utre armatos, una cum cantharo in extrema parte poſito, viſuntur. Quæ vero in frontibus apparent, hinc fœminæ, illinc maris, boves agentium, figuræ, quas hic exprimere ſupervacaneum duximus, Lunam & Endymionem referre judicat. Sed elegantiora ſarcophagi alterius ſymbola partim nuptias Bacchi cum Ariadna celebrandas, partim Orgia repræſentare conjicit. Videas itaque miſeram ab infido Theſeo in littore Naxi inſulæ deſertam & ſub ſcopulo jacentem Ariadnam, quam ſolaturus cum Faunorum comitatu accedit Bacchus, pampinis coronatus pueroque Ampelo innixus. Videas præterea Cupidinem ſenemque alatas, & hunc Æolum putes, in auxilium deſertæ precibus accitum. Adi ſis *Catulli Epithalamium Thetidis & Pelei*, imprimis *v. 50 ſſ.* iterumque *v. 251 ſſ.* & ſculptorem deſcriptiones, quas Poeta facit, æmulatum credas. Quos ad lævam Ariadnæ cernis, Sileni, vel Fauni, quorum unus manu geſtat perſonam, ſimilem earum, quæ in Bacchi ſacris ſtragem Penthei ſignificarunt, porro ſenex ſacerdos tympanum præferens, & qui fœminam pannis involutam myſteriis Bacchicis initiare videtur, ciſta myſtica, e qua ſerpens egreditur, bacchantium larvæ & tigris, Orgia ſatis manifeſte indicant. Frontes hujus ſarcophagi utrinque Gryphis ornatæ ſunt. Sub finem capitis Inſcriptio ſeorſim effoſſa: D. M. M. AVRELI. HILARIANI. AUGG. LIB. H. O. (i. e. hic oſſa quieſcunt,) paucis explicatur. Quemadmodum vero Libro II Fontaninus noſter civem inclytam, *Probam Falconiam*, Hortæ veteris ornamentum ſingulare, produxerat: ita nunc Hortæ novæ ſplendorem ab eminentiſſimo ejus quondam cive, *Cardinali Presbytero Ferdinando Nuptio*, conciliare ſtudet, cujus elogio totum Caput II conſtat. Id cum elegantiſſimum ſit, dignaque memoratu permulta contineat, potiſſima juvat exin decerpere. Natus eſt *Nuptius* decimo die menſis Septembris anno 1645, patre Jacobo, cive Hortano probo ac honeſto. Eo mature defuncto, novennis a matre, nomine Samaritana, Romam adductus ac Præceptorum in Collegio Societ. Jeſu inſtitutioni commendatus eſt. Ibi dum literis operam dat, imprimis in Bibliotheca Angelica, quæ ab Angelo Roccha fundata tunc ad

TAB. I. Fig. 2.

cœno-

cœnobium S. Auguſtini patebat, latere ſcriptoribusque antiquis pervolvendis totos dies inſumere conſuevit. Hinc factum, ut propter admirabilem memoriæ facultatem in extrema ſenectute ſæpe integra ſatisque longa veterum Autorum loca promte expediteque recitaverit. Cujus rei exemplum inſigne affert Noſter; Clementem XI Pont. Max. aliquando, ex Archiatri conſilio, vetuſtiſſimum agri Latini ſtipulas menſe Auguſto comburendi morem publico Edicto vetare, ob intolerabilem calorem urbi inde imminentem, decreviſſe; tum forte Nuptium, qui de rebus ſuum munus ſpectantibus acceſſerit, de vulgando mox Edicto ex Pontificis ore accepiſſe, ſed ſtatim recitato Virgilii loco, quo ignes ſtipulis Romani agri immiſſos, eorumque effectus ſalutares Poeta *Libr. I Georg.* celebrat, Pontificem a propoſito revocaſſe. Utriusque juris decurſo ſtadio, Nuptius ab Innocentio XI P. M. A. 1686 primum Commiſſarius Cameræ Apoſtolicæ allectus, mox & Baſilicæ S. Petri Canonicatu & quæſtura Collegii Canonicorum auctus eſt, in quo eum officio Innocentii ſucceſſor Alexander VIII permanere voluit. Quo vita functo, purpuratorum Senatus Nuptium ærarii Pontificii tribunum ſede vacante ſuffecit, in qua dignitate ab Innocentio XII confirmatus, ſed quadriennio poſt ſacræ Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini ſcriniorum magiſter atque univerſalis Inquiſitionis Conſiliarius renuntiatus eſt. Quo in munere conſtitutus, ut cauſæ, Patrum judicio proponendæ, ſummatim in gratiam Juris Canonici ſtudioſorum excuterentur, primus effecit. Alio quadriennio exacto, conventui Inquiſitionis Aſſeſſor datus, inde a Clemente XI A. 1701 inter XII viros Cameræ Apoſtolicæ ſcriptus, rei frumentariæ præfecturam accepit, in qua ut poſteritati etiam conſuleret, novi horreorum ædificii ad Diocletiani Thermas exſtruendi autor fuit, tum & erudita civilisque ac œconomicæ prudentiæ plena diſſertatione edita, Pontifici modum propoſuit, quo Romanus ager ob aeris inclementiam quodammodo infamis deſertusque facile coli poſſet. Poſtea congregationi, aquarum in terris S. Petri exundantium curam gerenti, a ſecretis eſſe juſſus, itemque in Signatura gratiæ, in ærarii & ſubſidiorum conſeſſibus ſuffragium indeptus, mox congregationis, rebus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ,

ſcrinii Magiſter, dein Archiepiſcopus Nicænus, interque Antiſtites Solio Pontificio aſſiſtentes lectus, demum in ſacro Pœnitentiæ Apoſtol. tribunali corrector declaratus eſt. Ita per tot hæc aulæ Romanæ ſumma interque ſe maxime diſtantia munera circumductus, A. 1715 die 16 Decembris in Purpuratorum Senatum jure quodam ſuo cooptatus fuit. Cumque Eccleſiæ Urbevetanæ ſimul eſſet præfectus, ad regendum Epiſcopatum ſeſe anno inſequenti contulit, inſtante jam fato, cui fractus pridem tantis tamque diuturnis laboribus die 30 Nov. 1717 annos natus 72 menſ. 2 dies 20 Urbevetanæ conceſſit, tumulatusque eſt in ſacello B. Mariæ, S. Britii nuncupato, in Epiſcopali Eccleſia, cui vivus omnem, qua uſus erat, ſupellectilem ſacram donaverat. Monumentum Innocentius Nuptius, Cardinalis ex fratre nepos, ſtatuit, Noſter inſcriptione elegantiſſima decoravit, quam ipſam una cum effigie in ære delineata calamoque deſcripta ſubjicit, tum vero animi, virtutum, totiusque vitæ imaginem longe expreſſiorem addit. Nobis ex ea tanquam ſingularia adnotaſſe ſufficit, Nuptium, infinitis diſtractum occupationibus, nullum ſibi extra Urbem ſolatium unquam quæſiviſſe, nunquam animi remittendi cauſa ruſticatum eſſe: deinde, cur tanto Viro tam ſero ad ampliſſimam dignitatem aſcendere contigerit, unam hanc a Pontifice ſæpius prolatam eſſe cauſam, *quod Nuptii, ſingularis Viri, opera in plurimis egeret, in quibus, eo ad ulteriorem gradum evecto, amplius uti non poſſet.*

Appendix, quæ noviter acceſſit, primo loco ſiſtit *Julii Roſcii, Hortini,* Lib. II cap. 7 atque alibi paſſim a Noſtro celebrati, *Narrationem de inſtaurando Ponte Auguſti,* de quo videndus harum Antiquit. Lib. II c. 2. Eam e MS. Vaticano exhibendam duxit Fontaninus, quod Umbriæ & Tuſciæ ſuburbicariæ vias priſcas habitumque antiquum egregie perſequi videretur, quamvis ipſa commentatio exitu optato exciderit, quippe cum pontis ad Hortam Tiberi imponendi ſpe concinnata eſſet, pons iſte ad Occiculos ſtratus eſt, nomenque Felicis, a conditore Xyſto V, olim Felice, accepit. Sequuntur ejusdem *Roſcii Epigrammata in laudem Xyſti V,* porro *S. Caſſiani, Epiſcopi Hortenſis, Acta brevia e MSto Codice membraneo de vitis Sanctorum*: item, *Alexandri IV Pontif. Epiſtola ad virgines ſacras ordinis S. Damiani civitatis Hortanæ* A. 1255 data. Denique

que ſupra jam laudata *Cardin. Nuptii* diſſertatio, *de cultura agri Romani commode ſuſcipienda*, Italico ſermone conſcripta, adnectitur.

HISTORIA MEDIANI, IN MONTE VOSAgo, Monaſterii ordinis Sancti Benedicti ex congregatione Sanctorum, Vitoni & Hidulfi.

Argentorati, apud Joh. Reinold. Dulſecker, 1724, 4 maj. Alph. 1 pl. 12 Tabb. æn. 4.

EGregie profecto tum de re antiquaria, imprimis monaſtica, tum de monaſterio ipſo, cui jam a longo temporum intervallo Abbas eximia cum laude præeſt, tum denique de ſanctiſſimo Viro, Mediani monaſterii fundatore conditoreque, Hidulfo, promeruiſſe dicendus eſt Maxime Rev. *Humbertus Belhommius*, quod in hac Monaſterii Medianenſis hiſtoria partim colligenda, partim eruditiſſime illuſtranda, induſtriam ſuam voluerit extare. Hunc enim Belholmmium, Abbatem Mediani jam emeritum, ideoque in muneris gerendi ſublevationem Dominum *Humbertum Barrois* ſocium adjutoremque nactum, hiſtoriæ hujus Autorem eſſe, pagina ſtatim tertia indicat. Neque vero hoc nomine tantum Medianenſe monaſterium iſtud, in Lotharingiæ Ducatu ſitum, inque Voſagi montis jugo exſtructum, Belhommio noſtro debet; ſed & eo beneficio illi eſt obſtrictum, quod vetuſtate jam collapſum & ruinam fere minatum illi, quem nunc habet, nitori ſplendorique reſtituit. Quem quidem non parum auget præſtantiſſima bibliotheca, ejusdem ſtudio collecta, quam non tantum ſelectis libris conſtantem, ſed & nulli facile in Lotharingia cedentem, laudat. Quod ad præſentem hiſtoriam attinet, quatuor in partes illam diviſit, quarum prima continet S. Hidulfi vitam triplicem ex antiquis codicibus depromtam, cum promiſſo commentario junctisque notis. Et has quidem vitas ſe olim quidem Sociis Bollandianis in Acta Sanctorum inſerendam dediſſe, idque ſtudioſe ab illis præſtitum, Autor monet, operæ tamen pretium ſe putaſſe, recognitas auctasque emittere, cum & illud opus paucorum in manibus verſetur, & princeps ac præcipua illa Medianen-

ſis hiſtoriæ pars ſit. Altera pars continet libellum de ſucceſſori-
bus S.Hidulfi in Voſago usque ad initia ſeculi XI,notis illuſtratum.
Tertia comprehendit excerptam ex Johanne a Bayonio ſubſe-
quentium Mediani monaſterii Abbatum continuationem, cum in-
termiſſa rerum Lotharingicarum hiſtoria ab anno MX usque ad
annum MCCXX, in quo deſinit, adhuc ineditus,Autor. Quarta de-
nique pars exhibet poſteriorum ejusdem monaſterii Abbatum ſe-
riem, e domeſticis aliisque nonnullis monumentis & chartis de-
promptam, usque ad annum MCCXX. Toti huic operi præmittit
doctam quandam diſſertationem de Sancti Hidulphi triplici bio-
graphia, deque illius nomine, genere, patria, ætate, Archiepiſco-
patu, Monaſterio, & cultu. In patriam S. Hidulfi inquirens, num
p. 7. fuerit ſcilicet Noricus an Nervius, Noricum extitiſſe, opinatur.
9. Quantum vero ad ætatem Hidulfi attinet, maximam in ea deter-
minanda difficultatem exſtare fatetur, quum non de annis quibus-
dam paucis, ſed de integro propemodum ſeculo ſcriptores inter lis
ſit: aliis ad ſeptimum, ad octavum aliis geſta ejusdem referenti-
bus. In hoc ſententiarum divortio, trivioque conſtitutus eam eli-
gendam duxit, quæ ſeptimum ei ſeculum attribuit. Hancque ſuam
ſententiam quinque argumentis confirmat. In quibus facile pri-
mum ac præcipuum, quod omnium conſenſu & magna ſemper
inter B. Hidulfum Sanctumque Deodatum in Voſago commoran-
tes amicitia interceſſerit,& ſeptimo Deodatum ſeculo vixiſſe,con-
ſtet. Neve quis hic ſibi, epiſtola S. Lutgeri ad Rixfridum nixus,
jure contradicat, in qua epiſtola legitur, Stephanum Papam, cano-
nizationem neſcio cujus Sanctuli Hidulfo commiſiſſe, pro ſuppo-
ſititia eam reputat epiſtolam, & contentam in ea canonizationem
merum eſſe figmentum, credit, id quod Mabillonius aliique ſoli-
de ſatis demonſtrarunt. De Otilia virgine,de qua Acta Sanctorum
& alii Pontificiorum libri mirabilia complura narrant, varia cu-
rioſum ejusmodi rerum lectorem detinentia inſpergit: ejusq; ba-
ptiſmum attingens, Cointium, Annalium Franciæ Eccl. Autorem,
rejicit,opinantem,baptizatam fuiſſe Otiliam cis Rhenum in Alſatia
intra fines Diœceſis Argentinenſis. Repudiat quoque opinionem
ejus, qua Anonymi cujusdam auctoritate ductus, aſſeruit, non Hi-
dulfo, ſed B. Erardo baptiſmum ſuum Otiliam debere: dilutis-
que

que ejus argumentis, quibus probatum hoc ivit, minime ſancti hujus operis honore privandum eſſe Hidulfum, urget. Reliqua, quæ in hoc libro Autor perſequitur, vel ad inſtituta, antiquitates, jura & hodiernam formam hujus monaſterii, cujus imaginem ſub finem operis adjunxit, vel ad Abbatum, qui illi præfuere, & monachorum vitam moresque ſpectant, lectu nec inutilia, nec injucunda.

PRÆLECTIONES PHARMACEVTICÆ: OR, A Courſe of Lectures in Pharmacy Chymical and Galenical.

hoc eſt,

CURSUS LECTIONUM PHARMACEVTICArum, tam Chymicarum, quam Galenicarum; Autore D. JOHANNE QUINCY, editus a P. SHAW, M. D.

Londini, apud E. Bell, J. Senex, W. Taylor, W. & J. Innys & J. Osborn, 1723, 4.

Alph. 1 pl. 6.

EDidit ante hos tres annos Clariſſimus *Quincy* conſilio & autoritate Collegii Regii Medicorum Londinenſis Diſpenſatorium in Actis Anni 1722 Menſ. Martio pag. 121 commendatum, in quo multorum annorum fructum, obſervationes & experimenta, quæ fecit, candide cum L. B. communicavit. In præſenti vero Tractatu myſterium Artis Pharmacevticæ pandit, & nefandas fraudes abuſusque, qui hinc inde obſervantur, detegit, cujus imprimendi curam in ſe ſuſcepit D. Shaw, qui in præfatione demonſtrat, cognitionem rerum pharmacevticarum neceſſario requiri ad Praxin Medicam feliciter exercendam & Artem evehendam. Ubi ſub Pharmaciæ nomine non ſolum comprehendit operationes manuales, quas pharmacopolæ in ſuis officinis tractant, ſed plenariam qualitatum cognitionem, quæ Simplicia continent, & in quibus ab aliis medicamentis pro præparationis diverſitate differunt, ut ſcilicet Medicus hiſce ſubſidiis adjutus appropriata remedia cauſæ morborum, materiæ morbificæ, omnibusque circumſtantiis opponere queat. Prælectiones ipſæ Pharmacevticæ Clariſſ. Quincy ſunt XVIII, in quarum I, facta materiæ medicæ re-

Digitized by Google

ſpectu ſuæ texturæ vel virtutis in medicamenta alterantia & evacuantia, illorumque in odorata & inodorata diviſione, de odoratis agitur, quæ iterum in dulcia, acriora & fœtida ſubdividuntur. In II inodorata examinantur, & in emollientia, agglutinantia, adſtringentia & abſorbentia diſtribuuntur; ſub evacuantium nomine complectitur Autor non ſolum emetica & purgantia, ſed & diuretica & ſudorifera, ſiquidem eadem medicamenta modo vomitum excitant, modo per ſedes operantur, modo urinam, modo ſudores movent, prout ſub præparatione plus minus dividuntur & ſubtiliſantur. Suntque vel ſalina, vel reſinoſa, vel de utroque principio participant. Inter ſalina in Lect. III mannam, ſal commune, ſal Glauberi, ſal catharcticum amarum, nitrum, vitriolum, tartarum, & ſal gemmæ; inter reſinoſa & mixta in IV jalappam, gummi guttæ, ſcammonium, aloen, colocynthidem, agaricum, & helleborum nigrum ſub examen vocat. In V ad talia pergit medicamenta, quæ pro præparationis diverſitate aliam atque aliam ſortiuntur efficaciam, inter quæ mercurium primum ſiſtit, qui per diviſionem & fixationem ſuorum globulorum varia ſuppeditat remedia; hinc in VI de antimonio, & cum quo ei quoad modum præparationis & efficaciam convenit, de ferro agit, deque illo notat, principia ejus ſive ſalina, ſive ſulphurea, ſive utraque, usque adeo inter ſe invicem eſſe mixta, ut antimonium crudum, etiamſi in copia propinetur, nullum edat ſenſibilem effectum, per præparationem vero illa a ſe invicem ſeparata ad diverſos uſus diſponantur. Poſtquam in Lect. VII ſal ammoniacum & ſuccinum analyſi ſubjecit, & quæ ex eis præparantur, deſcripſit, in VIII tria principia, in quæ Simplicia arte Spagyrica reſolvuntur, ſpiritum puta, oleum & ſal, explicat, atque in IX regulas generales, circa collectionem & conſervationem florum, ſeminum, radicum, corticum & gummatum obſervandas, ſuppeditat, eorumque ſigna bonitatis & ſuccedanea inculcat. Inde ad compoſitionem medicamentorum in genere in X ſe confert, docetque, quomodo ea mediante inſigniores effectus iis ſint comparandi, quales a ſingulis ſeorſim non erant expectandi; ubi ſequentes cautelas obſervandas injungit: ſcilicet 1) ut ſingula ingredientia ad eundem colliment finem, 2) ne nimia fiat ſimplicium

um

Digitized by Google

um farrago; 3) ut ſingula apta ſint, quæ talem, qualem intendimus, conſtituant formam; & 4) ut omnes compoſitiones viſui, odoratui & guſtui, quantum poſſibile, ſint gratæ; ſicque in ſpecie in Lect. XI de deſtillatis, in XII de Tincturis, Elyxiriis, Vinis medicatis, Acetis, Decoctis & Infuſis, in XIII de formis medicamentorum, quas ſaccharum vel mel ingreditur, ut Conſervis, Syrupis, Conditis, Confectionibus, Oxymelite, & Lohoch; in XIV de Pulveribus, Speciebus, Trochiſcis & Pilulis; in XV & XVI de Electuariis tam officinalibus quam extemporaneis, Bolis, Linctibus, Emulſionibus, Julepis & Potionibus; in XVII & XVIII de medicamentis topicis, Oleis, Unguentis, Linimentis, Emplaſtris, Ceratis, Embrocationibus, Lotionibus, Gargariſmatibus, & Collyriis agit. Atque in his omnibus Lectionibus ita ſe gerit Noſter, ut Simplicium analyſin tradat & quam ingredi poſſint, quamve reſpuant formam, quomodo præparanda, quæ ex officinarum catalogis expungenda, quæve retinenda ſint, qualem virtutem vel ſimplicia, vel compoſita poſſideant, fideliter inculcet. Speciminis loco de Lectione I paulo fuſius locuturi ſumus, ut L. B. de præſtantia hujus operis eo melius judicare queat.

Simplicia odorata ſunt vel dulcia, quæ ſuaveolentia & pleraque aromatica ſub ſe complectuntur, ut caryophylli aromatici, cinamomum, lavendula, roſinarinus; vel acriora manifeſta volatilitate prædita, ut piper, ſinapi, raphanus, arum, cochlearia; vel fœtida, ingratum ſpirantia odorem, ut valeriana, aſa fœtida, galbanum, & pleraque gummata, quorum ſingula reſpectu ſuæ texturæ manifeſtarumque qualitatum peculiari indigent enchireſi. Dulcia enim ob ſuam fragrantiam & volatilitatem ſpirituoſis liquoribus auſcultant, & deſtillationi ſubjacent, decoctionem vero non ferunt, nec in Syrupi, vel aliam formam, quæ aperto igne peragitur, converti poſſunt. Sub deſtillatione autem curandum, ut ingredientium quantitas talem ſervet proportionem cum liquore abſtrahendo, ut hic clarus & transparens maneat; cum enim præcipua horum ſimplicium vis in oleo conſiſtat æthereo, alembicum ſimul transcendente, aucta ingredientium quantitas nebuloſum & lacteum reddet liquorem; & quo magis rectificatum eſt menſtruum, eo plus olei capiet absque opacitatis metu, quam vero notam

Digitized by Google

tam non ſubterfugiet, ſi phlegmaticum extiterit. Ad compoſitas igitur aquas guſtui gratas & cordiales deſtillandas ſpecies ſeliguntur, non ſolum fragrantes, ſed & aridæ & friabiles, ex floribus, corticibus & radicibus, quæ enim ex ſeminibus, aromatis & gummatibus recipiuntur; ob nimiam, qua abundant, olei copiam obſcuritatem largiuntur aquis. Hinc commodius ex ſimplicibus volatilibus magis, quam oleoſis particulis fœtis deſtillantur aquæ, eo etiam ex capite commendandæ, quod Julepis vel Potionibus miſtæ minorem ſtomacho creent averſionem. Si lacteum colorem contraxerint aquæ, nitori ſuo reſtitui poſſunt vel per admiſtionem aluminis aut ſimilis rei, vel per filtrum. Quanquam autem primo modo aſperæ & ponderoſæ aluminis partes oleoſas coagulent & præcipitent, aquarum tamen ſimul virtutem inſigniter alterant; poſteriorem vero laborem propter tædium lubenter effugiunt pharmacopolæ. Ex dulcium claſſe ſunt quædam, ut balſamus Tolutanus, Styrax, Benzoe, quæ cum conſtent volatilibus partibus, craſſo oleo vel ſulphuri non involutis, mediante calore lento per deſtillationem ſiccam volatiles magis & fragrantes ſuas concedunt partes ſub nomine Florum, qui vim medicamentoſam in ſe continent, & uſui extemporaneo commode inſerviunt. Camphora peculiare quid obtinet, dum nec cum aliis facile miſceri, nec odorem ſuum penetrantem occultare poteſt; optime igitur cum vitello ovi ſolvitur, & appropriatis vehiculis offertur. Acriora ſimplicia pungentes ſuas particulas maximam quidem partem per deſtillationem ſuppeditant, ſpecifica tamen ſua virtute, e. g. ſalina & diuretica, exuuntur, niſi vehiculi loco aliis efficacioribus medicamentis inſervire debeant tales aquæ. Rectius itaque in fervidam aquam clauſis vaſis infunduntur, imprimis quæ ſtimulo nitroſo pollent, ut folia & radices petroſelini, folia pyrethri, ſemina lithoſpermi, millepedes & ſimilia. Ex fœtidis plantis deſtillatæ aquæ pro vehiculo pariter adhiberi poſſunt, quo plus tamen ſpecierum receperunt, & quo lacteum magis habent colorem, eo pluribus de virtutibus medicamentoſis participant, ſiquidem transparens & gratus color in hujus generis aquis adeo anxie non expetitur. Deſtillatio interim omnium medicamentorum volatilium bene lutatis vaſorum juncturis inſtitui debet, ne parti-

culæ

culæ maxime efficaces exhalent & pereant. Præter deſtillationem medicamenta odorata Tincturis atque Infuſis virtutes ſuas concedere norunt. Quæ enim cordialia dicuntur, menſtruo ſpirituoſo vel vinoſo extrahuntur, & reſinoſa cum rectificato ſpiritu in pellucidam tranſeunt Eſſentiam, hoc nihilo minus incommodi ſecum gerunt, quod tales Tincturæ, ſi cum vehiculo aquoſo combinentur, lacteam reddant mixturam, aut, ſi diutius invicem conſerventur, magna ipſarum pars vel fundum petat, vel inſtar nubis elevetur, pro ſpecificæ gravitatis ratione, quæ eſt inter Tincturas & Vehiculum. Quæ vero ſunt ſalinæ proſapiæ ſimplicia, miſtionem cum aquoſis ſine alteratione bene ferunt. Circa menſtrua in Tincturis his extrahendis enchireſes pariter quædam ſunt attendendæ, mediantibus quibus textura ingredientium melius diſſolvitur & extractio promovetur. Sic in extrahendis lignis vel corticibus durioribus aut gummatibus tenacioribus v. g. helleboro, myrrha, &c. ſal tartari adhibetur, quod firmiorem partium cohæſionem recludat, cujus miniſterio non indigent, quæ laxiori gaudent compage, ut caſtoreum, crocus, hiera; imo abſurdum eſſet, papaveris vel roſarum Tincturis extrahendis illud addere, utpote quod colorem earum rubicundum in viridem, viſui ingratum, ſit immutaturum. Sunt vero etiam ex hac claſſe, quæ in Tincturas non commode abeunt, quoniam vel parum aut nihil virtutum ſuarum communicant niſi rectificatiſſimo menſtruo, quod tamen Medici intentioni reluctatur, ut maſtiche, & olibanum; vel propter fœtorem & nauſeam aſſumi ab ægris neutiquam poſſunt, ut opoponax & galbanum. Infuſioni potiſſimun apta ſunt talia Simplicia, quorum virtutes menſtruo ſpirituoſo non plenarie ſubjacent, ſed in ſalina potius quam ſulphurea ſubſtantia conſiſtunt; ita tamen, ut, ubi ſtimulus eſt addendus, ſpiritusve reſtaurandi, menſtruum ſpirituoſum, ubi vero evacuatio per habitum vel vaſa urinaria indicatur, acribus aqueus affundatur liquor; quemadmodum in apoplexia & comatoſis affectibus radix ſerpentariæ Virginianæ, Zedoariæ, Valerianæ ſylveſtris, ſemina naſturtii, ſinapi & piper in vehiculo ſpirituoſo, in continuis vero & ardentibus febribus, ubi humores depauperati & ventriculus inflammatus eſt, in aquoſo menſtruo, paululum acidulato, infunduntur. Decoctio

 nullum

nullum invenit locum, ſiquidem vis medicamentoſa exhalat; cui vero volupe fuerit, decoctum lignorum parare, ſatius eſt, durioris ſubſtantiæ radices, cortices, ligna, in aqua calcis dilutiore aliquandiu infundere & dein cum reliquis ſpeciebus igni apponere, quam ſeorſim per coctionem emollire, ita tamen, ut vaſa bene cooperta ſerventur, donec decoctum fuerit refrigeratum. Sic enim hoc nullam partium jacturam patitur, & ſtomacho gratum, aptumque redditur, quod cum lacte miſceri & ſorberi queat, qui aſſumendi modus Medici intentiôni velificatur. In Pulverem conteri hujus claſſis ſimplicia non poſſunt, niſi quæ ſiccæ friabilisque ſunt texturæ; quanquam enim humidiora, oleoſa, gummoſa & balſamica poſt exſiccationem triturari poſſint, perdunt tamen per eandem omnem virtutem. Licet etiam recentia cum aliis in extemporaneis præſcriptionibus miſcere, & in Electuarii formam redigere. Pulveres quoque medicamentorum aromaticorum volatilium diu ſine jactura virium in officinis aſſervari haud poſſunt, ut pulvis cinamonii, ſpecies diambræ & dianthos, niſi ad Electuariorum, Trochiſcorum vel Pilularum formam reducantur. Secus ſe res habet cum floribus croci, & radicibus contrayerræ & ſerpentariæ, quæ ob texturam magis fixam diutius vires ſuas conſervant. Electuariis commodius includuntur, modo mel, conſervæ & Syrupi, quibus excipiuntur, debitam habeant conſiſtentiam, nec fermentationi ſint obnoxia. Trochiſci pariter & Pilulæ commodæ harum ſpecierum formæ ſunt, modo excipientis quantitas non ſit tanta, quæ ægris nauſeam pariat, id quod de ſiccis, cordialibus & ſudoriferis ægre, citius de gummatibus eſt expectandum. Hinc recte in officinis aſſervantur Trochiſci hyſterici, & de myrrha, ac Pilulæ gummoſæ, cordiales vero & ſudoriferæ exulant. Fœtida vero rite ſub Pilularum larva abſconduntur, quales ſunt e baccis lauri, & Confectio Archigenis. Emulſiones etiam ſeu humores lactei parantur ex balſamicis, terebinthinatis & gummoſis, cum vitello ovorum ſubactis, modo fœtida non fuerint.

OPSERVATIO LUNARIS ECLIPSIS HABITA ULYSſipone in Palatio Regio die 1 Novembris 1724 a PP. JOHANNE BAPTISTA CARBONE, & DOMINICO CAPASSO Soc. Jeſu.

Obſre-

OBſervavimus hanc Eclipſin Teleſcopiis, altero quidem Pedum Pariſinorum 8, ſed clariſſimo, altero 10, ſed minus claro: utroque tamen lunares maculæ perfectiſſime diſcernebantur. Ad temporis dimenſionem uſi ſumus Horologio oſcillatorio, vulgo *Pendula*, ſatis exacto, pluribus ante diebus in ipſo obſervationis loco firmato, & quotidiano examine per meridianam lineam, ibidem a nobis jamdiu inventam, & pluries examinatam, ad medium Solis motum quam proxime reducto. Nocte vero ipſius Eclipſis ter illud ad trutinam revocavimus, ut ejus a vero tempore diſcordiam deprehenderemus. Primo in tranſitu *Fomahantis* per Meridianum, Hor. 8 M. 17 Sec. 18. Secundo in tranſitu *Rigel* ſeu *Pedis Lucidi Orionis* Hor. 2 M. 35 Sec. 21. Tertio in tranſitu *Sirii* Hor. 4 M. 4 Sec. 40. (Aſcenſiones rectæ deductæ ſunt ex Tabulis Hirianis.) Invenimus autem Horologium tardius incedere ſecundis tantum 7, quæ jam addita ſunt momento Obſervationis mox apponendæ.

A Solis occaſu usque ad mediam noctem nubes ac pluviæ cœlum nobis identidem adimebant. Ventus tamen ſub horam 1 illud nobis ſatis clarum reſtituit, eoque uſi ſumus ad horam prope tertiam.

Temp. Ver.			
Hor	′	″	
1	38	0	Penumbra incipit eſſe ſenſibilis.
1	41	0	fit ſpiſſior.
1	43	29	fit ſpiſſiſſima.
1	47	45	Umbra incipit.
1	49	25	Diſcus Lunæ apparet deficiens.
2	0	16	Umbra pertingit ad *Ariſtarchum.*
2	0	39	pertingit ad *Platonem.*
2	1	10	*Ariſtarchus* totus in Umbra.
2	6	22	*Architas*
2	8	7	*Ariſtoteles*
2	0	29	*Pitheas*
2	11	28	*Galilæus*
2	13	22	Umbra ad litus Orientale *Maris Serenitatis.*
2	15	34	*Endymion* immergitur totus.

Digitized by Google

Temp. Ver. Hor.	′	″	
2	18	2	*Copernicus* incipit immergi.
2	20	7	totus in Umbra.
2	21	5	*Poſſidonius* incipit.
2	22	8	totus latet.
2	27	49	*Ricciolus* incipit.
2	31	56	Umbra pervenit ad *Grimaldum.*
2	34	37	Ad Litus Boreale *Maris Criſium.*
2	37	17	*Proclus* immergitur.
2	40	0	*Nubes ſupervenit, quæ Lunam omnino tegit, diuque videtur duratura.*
3	25	0	*Nubes diſcedit. Jam autem ex Umbra emerſerunt Grimaldus Ricciolus Keplerus Galilæus.*
3	29	2	*Ariſtarchus* emergit.
3	30	30	*Copernicus* incipit emergere.
3	31	34	totus extra Umbram.
3	39	18	*Pitheas* emergit.
3	47	46	*Timocharis.*
3	54	57	*Archimedes.*
3	57	18	*Plato* incipit emergere.
3	58	59	emergit totaliter.
4	2	0	*Nubecula iterum Lunæ aſpectum nobis adimit.*
4	6	0	*Jam Luna reſtituitur.*
4	8	15	*Ariſtotelis* totalis emerſio.
			Nubeculis identidem Lunam occupantibus reliquarum macularum emerſiones exacte obſervari nequeunt.
4	20	36	Finis Eclipſis, *tardius fortaſſe viſus ob tenuem vaporem interpoſitum.*
4	26	0	Deſinit Penumbra ſpiſſior.
4	28	0	Deſinit Penumbra ſenſibilis.

Peculi-

Digitized by Google

Peculiari profecto cura, ac ea qua fieri potuit diligentia Eclipſin hanc obſervare conati ſumus; non modo ut noſtri muneris partes pro modulo noſtro impleremus, quippe Matheſi, ac præcipue Aſtronomicis obſervationibus hic addicti, verum etiam, ut Sereniſſimi Regis ingenio plenius, ut par erat, indulgeremus. Valde enim ipſe in hujusmodi obſervationibus delectatur, ad easque perfecte inſtituendas, copioſam nobis Inſtrumentorum ſupellectilem, munificentia vere Regia, ſuppeditavit. Neque vero aut iisdem obſervationibus intereſſe; aut Obſervatorem ſe nobis identidem adjungere dedignatur; illud unice ſemper ſollicitus, ne, vel minimum, a rectitudine aberretur. Hoc igitur acti ſtimulo nec diligentiæ pepercimus, nec labori, quo tanti Principis ingenio hæc noſtra obſervatio reſponderet. Acceſſit & alia qua dudum tenebamur cura, novis, ac clarioribus confirmandi argumentis hujusce Urbis Longitudinem, vel certe ejusdem cum præcipuis Europæ Meridianis differentiam; itemque explorandi, an aliorum Tabulæ Aſtronomicæ, ad hunc Meridianum reductæ per inventas hactenus differentias, perfecte cœlo congruerent? Ex quo enim Ulyſſiponem pervenimus, ubi jam alterum egimus annum, nulla contigerat Lunæ Eclipſis ſupra noſtrum Horizontem conſpicua. Duæ vero Solares, altera die 8 Decembris anni 1722, altera 22 Maii labentis anni, oppoſitis undique nubibus, obſervari nullatenus potuere. Jam autem repetitis hoc biennio obſervationibus tum Immerſionum, tum Emerſionum intimi Jovis Satellitis, proxime deprehenderamus, ſaltem quoad minuta prima, differentiam inter hujusce Urbis, ſeu verius hujusce Regii Palatii, ac Regii Pariſienſis Obſervatorii Meridianos: minuta nempe horaria 48. (Mox ubi receperimus obſervationes habitas in eodem Obſervatorio, deprehendere poterimus & ſecunda, quæ hic diligenter notavimus.) Hac igitur uſi differentia præſentem Eclipſin ſupputavimus ex Tabulis Hirianis. Tum autem mihi, tum P. Dominico Capaſſo eadem quantitas, idemque pene temporis momentum pro Initio, Medio, ac Fine Eclipſeos prodiit: mihi nempe Init. Hor. 1 m. 48 ſec. 4, Medium, Hor. 3 m. 3 ſec. 59, Finis, Hor. 4 m. 19 ſec. 54; illi vero, Init. Hor. 1 m. 48 ſec. 0, Med. Hor. 3 m. 3 ſec. 58, Fin. Hor. 4 m. 19 ſec. 56. Quantitas utrique

Digitized by Google

Digit. 6 min. 53. Sufficiens proinde argumentum erat, quod recte Tabulis uterque uſus eſſet; atque illud unice expectandum, ut cœlum pariter ſupputationibus reſponderet. Quanquam ex nonnullis Ephemeridibus aliter futurum deducebatur. At revera quam proxime reſpondit (neglectis ſcilicet tantum ſecundis) ut ex ipſa patet obſervatione.

Fateor tamen, nec me multum fidere hujusmodi obſervationibus Lunarium Eclipſium, quod attinet ad ſecunda definienda. Adeo enim male terminata apparet terreſtris Umbra, ut ejus, ac ſpiſſioris Penumbræ confinia illico diſcernere difficile admodum videatur. Hinc non abs re fore putaverim, nonnullas hic ſubtexere obſervationes Immerſionum, atque Emerſionum intimi Jovis Satellitis, ex iis, quæ præſertim hoc anno habuimus; nam multas præteriti anni in promptu non habeo. Duas tantum memini, & alibi etiam adnotata invenio, quibus ſcilicet uſus eſt Cl. V. & Illuſtriſſ. Dns Franc. Blanchinus, ad determinandam differentiam inter Meridianos Ulyſſiponenſem ac Urbinenſem. Has igitur tantum ex præterito anno ſubnectam.

Obſervationes Immerſionum, ac Emerſionum Intimi Jovis Satellitis, habitæ Ulyſſipone in Palatio Regio, & in Collegio Divi Antonii Soc. JESU.

Regium Palatium, ac Collegium ſunt in eodem omnino Meridiano. Omnes obſervationes habitæ ſunt Teleſcopio palmor. rom. 30 Joſephi Campani.

	H.	′	″
1723.			
Emerſiones.			
Die 23 Julii	7	47	0
Die 7 Septembr.	8	21	48
1724.			
Immerſiones.			
Die 8 Jun. *mane*	2	3	28
Die 15	3	56	27
Die 30	2	8	51
Emerſiones.			
Die 2 Sept.	9	36	57
Die 9	11	34	26
Die 25	9	59	21
Die 4 Octob.	6	26	44
Die 18	10	21	20
Die 3 Novemb.	8	42	30

JOH. ADOLPHI CRONII, J. V. D. TRACTAtus de Jure Aſſecurationum.

Roſtochii

Roſtochii & Parchimi, apud Georg. Ludov. Fritſch, 1725, 8. Alph. 1.

NOn deſertam ab aliis provinciam occupavit conſultiſſimus Autor, Syndicus Civitatis Roſtochienſis, hanc de jure Aſſecurationum commentationem aggreſſus. Pacti enim aſſecurationis inter mercatores conſuetudo ac frequentia pridem hoc argumentum ab utilitate ſua JCtis ad calamos in eo exercendos commendavit. Jam olim *ſelecti Tractatus Juris varii, in materia Aſſecurationis & cautionis, diverſorum*, Venetiis 1571, Colon. 1569, poſtea Francof. 1586 prodiere. Nec ignoti ſunt *Benevent. Straccha*, & *Petr. Santerna*, integri *de aſſecurationibus*, itemque *Alph. Villagut de uſuris circa contractus mutui, aſſecurationis, &c.* tractatus. Inter plures eminent *Reinoldi Kürike diatribe de aſſecuratione, juri marit. Hanſeatico inſerta, Henr. Cocceji, Barth. Leonh. Schwendendœrfferi, Wolfg. Textoris, Matth. Mayeri, de aſſecurationibus*, & *Jo. Werlhofii de inſtrumento Aſſecurationis, vulgo Polizza*, diſſertationes, nec non *Rutgeri Rulandi, circa negotium aſſecurationis quæſtionis difficillimæ deciſio ſingularis*, ſcripta Germanice & Hamburgi 1630 edita. Quemadmodum & ſcriptores *de Jure Mercaturæ*, ut *Jo. Marquardus* & *Franciſc. Stipmannus*, nec non *Schottelius, de ſingularibus quibusdam Germaniæ juribus*, ex inſtituto jus aſſecurationum, maxime ſecundum uſum hodiernum & conſuetudines Germaniæ, juſto loco illuſtrarunt. Nemo tamen proinde actum agere Noſtrum exiſtimet. Non enim ſolum, quæ ab iſtis carptim dicta fuerunt, heic videas congeſta, ſed & luculento ordine diſpoſita, ita, ut plenam abſolutamque, ſed brevem ſimul & concinnam de iſthac juris parte commentationem libellus mole exiguus præſtet. Verum id imprimis laudem meretur, quód fori Mercatorii uſum Noſter præ oculis habuerit, caſusque permultos diligenti diſquiſitioni ſubjectos ubique inſperſerit. Sunt e jure communi translata, ſunt e ſingularibus juris mercatorii & maritimi plerarumque regionum & locorum ordinationibus ſtudioſe collecta, ſunt e probatiſſimis JCtis quoque adducta, quæ ad probandum, diſputandum, decidendum in hoc argumento facere poterant. Præmiſſis quibusdam *de neceſſitate ac utilitate mercaturæ, ejusque ſpeciebus juxta ac periculo, præſertim maritimæ, indeque inven-*

inventa aſſecuratione, methodo JCtis familiari ipſa tractatio adornatur. Cap. I Noſter *Aſſecurationis Originem, Etymologiam, Homonymiam, & Synonymiam* inveſtigat. Ubi de antiquitate hujus negotii diſſenſiones JCtorum in medio relinquit, idque ſolum definit, frequentiam pariter ac nomen aſſecurationis ſeculo demum XV inter Italos cœpiſſe, poſtea ad Hiſpanos, ab his ad Belgas, ac dehinc ad Germanos, Hamburgenſes ſc. & maritimas Hanſeaticasque civitates ceteras migraſſe. Inter Synonyma, præcipue vocabula apud varias Europæ gentes uſitata notat, cum Aſſecuratio Luſitanis *Apoſta*, Hiſpanis *Seguridado*, & *Seguros de Mercadores*, Italis *Sicurezza*, *Aſſicuranza*, Anglis *Quietneſſe*, Gallis *Aſſurance*, Belgis *Verſekering*, Germanis Verſicherung dici conſueverit. Cap. II *definitionem & diviſiones* producit, electa ex diverſis aliorum definitionibus illa: quod ſit *conventio de periculo mercium alio transvehendarum ſuſcipiendo*; quæ eſt *Benev. Stracchæ*. Deinde aſſecurationem diſpeſcit in maritimam & terreſtrem, in aſſecurationem rerum; navis ſc. merciumve, & hominum, in generalem & particularem, in ſcriptam & non ſcriptam, activam & paſſivam, puram & conditionalem, gratuitam & non gratuitam. Cap. III *Cauſam Effic. & Impulſivam* luſtrat. Cap. IV *Subjectum*, puta aſſecuratorem & aſſecuratum, eorumque perſonas intermedias, factores, inſtitores, miniſtros, Notarios, proxenetas; quo loco diſquiritur, quænam perſonæ ſecundum varia jura & ſtatuta ab aſſecuratione contrahenda vel prohibeantur, vel impediantur. Cap. V *Aſſecurationis Objectum* expenditur, quale ſunt omnia, quæ mercium numero veniunt & in mercaturam cadunt, quæ ſigillatim conſiderantur, & ex vario jure, ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudine regionum, vel mercatorum res ab aſſecuratione remotæ ſollicite enumerantur, ſubjectis enucleatisque variis, ad meliorem declarationem, quæſtionibus. Cap. VI *Formam aſſecurationis* exacte deſcribit, quæ in ſuſceptione periculi rerum alterius, & periculi quidem in itinere, ſine aſſecurati culpa, contingentis, tum quoque in confectione Inſtrumenti aſſecuratorii, *Pollicis ſ. Polizza*, conſiſtit. Exhibetur ejus formula quædam plenior & accuratior, cujus deinde requiſita a capite ad calcem explanantur, & quæſtiones utiliſſimæ ſuper iisdem obviæ diſceptantur. C. VII *Finem aſſecuratio-*

rationis conſtituit proxime in ſecuritate & indemnitate aſſecurati, tum & in amotione decoctionis & fallimentorum, in conſervatione demum mercaturæ, neceſſario exercendæ. Cap. VIII *Effectus* expenduntur, obligationes ex conventione, aſſecurati & aſſecuratoris adverſus ſe invicem, diverſæ, tum ex obligatione veniens actio, quæ varias ex vario contrahendi modo formas induit, daturque aſſecuratori & heredibus adverſus aſſecuratum & heredes, ad ſolutionem præmii promiſſi, ad ejus quod intereſt, doli, culpæve levis præſtationem; aſſecurato ejusque heredibus adverſus aſſecuratorem ejusque heredes, ad ſolutionem æſtimationis mercium, exiſtente caſu ſiniſtro, ut &, mora commiſſa, ad uſuras centeſimas, quandoque ad præſtandam cautionem, item aliquando ad reſtitutionem præmii. Cap. IX explicantur *Contraria*, i. e. modi, quibus finitur, vel reſcinditur, vel non tenet aſſecurationis obligatio. Afferuntur dolus, metus, error, ſimulatio, obſcuritas inſtrumenti, læſio enormis, temporis lapſus, quippe in Belgio præſcribitur actioni aſſecurati ſeſquianno, quod ſi vero ultra Europam & Barbariam accidit, triennio, ſi terra vel fluminibus iter factum, anno, & quidem a tempore exiſtentis periculi, aut ubi de damno per jactum dato agatur, a tempore expoſitarum mercium. Cap. X ad aſſecurationis *Affinia* referuntur Bodmeria, fœnus nauticum, conventiones aleam continentes, Hiſpanorum in auctionibus uſitata licitatoris aſſecuratio, & ſpecies quædam aſſecurationis in ſocietate mercatorum irregulari obveniens. *Appendicis* loco Reſponſum JCtorum Vitembergenſium ſuper Inſtrumento quodam aſſecuratorio datum, duæque Inſtrumentorum Cognitionis, ſ. *Connoſſement*, & locatæ conductæ navis, vulgo, *Certe-Partey* formulæ ſubnectuntur.

Des Heil. Röm. Reichs vollſtändige Staats-Rechts-Lehre, anderer und dritter Theil ꝛc.

hoc eſt,

JACOBI CAROLI SPENERI PLENIOR DOctrina Juris Publici Imperii Romano-Germanici. Tomus II & III.

Digitized by Google

Francof. & Lipſiæ, impenſis Georgii Marci Knochii, 1724, 4. Alph. 1 plag. 18.

Tomus III.

Ibidem, eodem anno. Alph. 2 plag. 11.

EQuidem videbitur multis Conſultiſſimus Autor doctrinæ ſuæ Juris publici Libro II, quem duobus his voluminibus abſolvit, omnino ſuperſedere potuiſſe, dum in eo ſpeciali tractatione ſingulorum jurium, quibus in Imperio noſtro ſtatus publicus continetur, origines inveſtigat. Poterat enim, communi cum aliis ſcriptoribus methodo, in ſingulis partibus originum, quæ in jure publico prætermitti nequeunt, indagationem ſuſcipere. Sed ipſe hujus conſilii cauſas habere ſibi viſus eſt ſat graves. Nam id ſedulo cavendum exiſtimavit, ne ſtatus antiquus Imperii cum hodierno ſubinde commiſceretur, qualem ex iſta tractandi conſueta ratione confuſionem facile intercedere, obſervavit. Deinde operæ pretium fore exiſtimavit, ſi verum ac præcipuum hiſtoriæ Imperii Rom. German. uſum hac induſtria, ceu luculentiori quodam ſpecimine, ſiſteret. Imprimis vero origines illas inter principia Juris publici referendas eſſe, probe animadvertit, ſeque eapropter felicius ac inoffenſo pede in libris ſequentibus progreſſurum, credidit, ubi ad pleniorem originum expoſitionem a ſe factam provocare liceret. Quæ itaque Celeberrimus *Titius* olim, ſimili fere methodo, *de origine atque habitu antiquo Imperii Romano Germanici*, ac *de originibus Statuum Imperii ſecularium*, in *Specimine Juris Publ. lib. I* præmiſit; item, quæ *Ill. Coccejus* de *Gentis Germanicæ & Imperii Rom. Germ.* deque *Electorum ac Statuum Imperii reliquorum*, ut & de *circulorum Imperii originibus* in *Juris publ. Prudentia* diſſeruit; ea Noſtro partim minus ſufficientia, partim ordine minus congruo diſpoſita, partim, quod ad *Coccejana* attinet, lubricis quibusdam atque incertis principiis ſuperſtructa, viſa ſunt. Quamobrem tum ulterius progrediendum, tum ſolidius ac diſtinctius in originum expoſitione verſandum duxit, eamque in rem *Origines Imperii Romano-German. in genere* Capite I, *Dignitatis Imperatoriæ, ſupremi in Imperio regiminis, electionis atque coronationis, juriumque Imperatoris* Cap. II, *Vicariatuum Imperii* Cap.

Cap. III, *Collegii Electoralis, eique competentium Archiofficiorum & jurium* Cap. IV, *Statuum Imperii Eccleſiaſticorum & Secularium* Cap. V. & Cap. VI, hactenus *Tomo II*, evolvit. Pergit deinde *Tomo III* ad *Origines Membrorum Imperii tam immediatorum, quam mediatorum & ſubditorum*, Cap. VII, *Unionis Statuum ac Membrorum, tum generalis, tum ſpecialis, ex inſtituto circulorum*, Cap. VIII, porro, *unionis ſpecialis e nexu feudali Statuum Imperii* Cap. IX, & *ex Jurisdictione Imperii univerſali* Cap. X, *juris coimperandi in comitiis* Cap. XI, *defenſionis Imperii communis* Cap. XII, *ſuperioritatis territorialis ſingulorum Statuum Imperii* Cap. XIII, *juris ſacrorum, tum a ſingulis ſtatibus Imperii exercendi, tum a Papa occupati*, Cap. XIV. Denique Cap. XV *forma hodierna, defectus & ratio Status præſentis Imperii noſtri* ab incunabulis ſuis repetuntur. In his omnibus non diffitemur, Noſtrum, eclectici more, ſaniores aliorum doctrinas ſubinde ſecutum eſſe, ſed iisdem permultum lucis, majoremque fidem, perpetua Hiſtoriæ Imperii ac documentorum veterum comparatione, plus etiam certitudinis argumentis ſolidioribus, atque conjecturis felicibus paſſim, plurimum denique perſpicuitatis attuliſſe, ſervata ubique diſtinctione inter ipſius Reip. Germanicæ & Jurium Imperii publicorum ſtatum antiquum & citeriorem, interque origines ſingulorum jurium remotiores & propiores. Quæ ſane operam huic libro impenſam præcipue commendare debent.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS variæ Obſervationes, Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Francofurti & Lipſiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1725, 8. Plag. 21.

JUcundiſſimas has amœnitates debemus V. C. *Jo. Georgio Schelhornio, Memmingenſi*, qui jam dudum de re litteraria bene mereri cœpit. Partem tantummodo primam hac vice exhibuit, quam plures aliæ aliquando ſequentur. In quibus ſi eodem delectu uſurus eſt Cl. Autor, quod quidem præclara ejus induſtria cum laudabili judicii acumine conjuncta ſperare jubet; nullum eſt dubium,

 quin

quin omne litterarum genus per has amœnitates incrementa ſit capturum. Lectoribus certe omnibus (modo non ſint ex famelico grege *τῶν ἀμούσων, ἀναφροδίτων καὶ ἀπροσδυονύσων*, quibus nihil pulchrum, nihil amœnum, niſi quod pani, quæ vox eorum, lucrando eſt) vel ipſa raritas rerum propoſitarum non poteſt non eſſe gratiſſima. Ita in præſenti collectione primo loco conſpicitur *Deſcriptio libri rariſſimi, ſub ipſis typographiæ inventæ initiis excuſi*, quales etiam in præſtantiſſimis multis bibliothecis fruſtra quæſiveris. Liber averſo ſolio incipit, adverſo deſinit; prima autem & ultima pagina glutine tegmini vel involucro affixa eſt. Continet compendioſam rationem potiſſima quatuor Evangeliorum argumenta memoriæ mandandi: hinc cuilibet textus folio e regione poſita pagina ſiſtit figuras tabulis ligneis inciſas, quæ, numero ubique capitum adnotato, textui reſpondent. In folio minori impreſſus triginta abſolvitur paginis, haud opiſthographis: ad deformitatem autem vitandam duæ ſemper paginæ puræ conglutinatæ ſunt. Litteræ tabulis inſculptæ ſunt: ut vel ex hoc appareat, in antiquiſſimorum codicum claſſem librum referendum eſſe, cum haud mobilibus nec ſejunctis typis impreſſus ſit. Character Gothicus eſt, majuſculus, ater, craſſus & informis. Litterarum figura atramento ſæpe deformata, & venter earum, vacuus alias & albus, obductus & repletus, ut ſcilicet inde agnoſcas artis typographicæ infantiam. Nec deſunt crebra ſcripturæ compendia. Ad lacunas quaſdam paginarum explendas nunc ductus longius extenduntur, nunc aſteriſci, aut animalculorum quorumdam figuræ adjiciuntur. Ad ſeriem chartarum deſignandam circa ultimi verſus extremitatem ſignaturæ, ut vocant, apponuntur, ita ut prima pagina *a*, ſecunda *b* & ſic porro oſtendant. Plura ipſæ *Amœnitates* narrabunt; cum & illa, quæ nos inde protulimus, jam ſatis evincant, ad venerandæ vetuſtatis monumenta typographica jure ſuo iſtum librum Mnemonicum referendum eſſe. Sequitur erudita *de vita, moribus & ſcriptis Marſilii Ficini* Commentatio, a Cl. Schelhornio ex ipſis potiſſimum Marſilii ſcriptis collecta. Ea & propterea eruditis accepta erit, quod Vita Ficini, a Dominico Mellino, ut memorat Alexander Natalis, deſcripta, rariſſime obvia eſt. Conſtat *ſſ*. 30, & a pag. 19 procedit usque ad pag. 118.

Tanta

Digitized by Google

Tanta autem cum cura, tantaque circumſpectione conſcripta eſt, quantam in re tali a viro prudenti exigere queas. Hinc Commentationi ſubjungitur ſtatim *Apologia* Cl. Schelhornii *pro Marſilio Ficino, Magiæ poſtulato.* Vere autem doctiſſimus Autor oſtendit, omnem hanc ſuſpicionem in Ficinum ex libris ejus *de Vita*, maxime omnium ex tertio, *de vita cælitus comparanda* derivatam eſſe, ſeſe autem nihil magiæ diabolicæ, multum autem ſuperſtitionis anilis in Marſilio deprehendere. Et ſane, cum Ficinus non Philoſophus modo Platonicus, ut vulgo accipiunt, ſed etiam peritus, ut erant tempora, Mathematicus fuerit: adhoc propter infirmiſſimam corporis valetudinem ſtrictam diætam obſervaret, omniaque ad ſanitatem, etiam minutiſſima, examinaret; neceſſe erat, ut primo a vulgo multum diſſentiret, dein ſingularia multa ſectaretur, poſtremo Magus declararetur. In quo nobis ſimilia cum Apulejo Platonico, cujus ſimillimus erat, fata tuliſſe videtur. *Quarto* loco leguntur *Leonardi Lauredani, Venetiarum Ducis, litteræ ad reip. Memmingenſis proceres.* Datæ ſunt die XVI Julii, Indictione XII, anno MDVIIII, & comprehendunt querelam Ducis Venetiarum de bello, quod illis Maximilianus I inferebat, quod vulgo *bellum Cameracenſe* dicitur, quod Cameraci inter Imperatorem, Julium II Pontif. Ferdinandum Catholicum & Ludovicum XII Galliarum Regem fœdus contra Venetos initum eſt. Multa de amore & veneratione Cæſaris & Imperii Romano-Germanici diſſerit, & Ludovici XII artes aliorumque malevolorum depingit, ſed tali Latinitate, quæ ſit putida paſſim & ridicula. Excipit *Jo. Chriſtophori Wagenſeilii, JCti quondam & Philologi Altorfini famigeratiſſimi, Diſſertatio adhuc inedita de Joanna Papiſſa*: & mox adduntur pag. 195 *Argumenta potiora, quæ a viris eruditis contra hiſtoriam de* Joanna Papiſſa *afferri ſolent,* quorum tamen autorem neſcit Cl. Autor, etſi bene noverit, ſeculo ſuperiori in Academia Altorfina conſcripta eſſe. *Septimo* loco *de ſecunda Novi Teſtamenti editione, per Eraſmum curata*, diſſerit Cl. Schelhornius. Intelligit illam, quæ ex officina Frobeniana Menſe Martio A. MDXIX prodiit, quam non modo cum cura recenſuit, ſed & multa, quæ ad hiſtoriam hujus editionis pertinent, in medium protulit. Jungitur *Octavo* lepidiſſima illa & graviſſima Epiſtola *de Magi-*

ſtris noſtris Lovanienſibus, quot & quales ſint, quibus debemus magiſtralem illam damnationem Lutherianam, quæ olim A. 1520 typis impreſſa eſt. *Nono* apparet *obſervatio de Epiſtolis Caroli Ludovici Electoris Palatini & Degenfeldiæ Baroniſſæ amatoriis*, quas Cl. Schelhornius pro fictitiis habet, eo quod, paucis leviter mutatis, deſumtæ ſunt ex Æneæ Sylvii libello, qui inſcribitur, *Euryali & Lucretiæ amores*. Huic proxima ſunt *Julii Cæſ. Scaligeri Epiſtolia duo*, quæ inter Epiſtolas Scaligeri, Hanoviæ A. 1612 junctim editas, fruſtra quæruntur; edita tamen jam A. 1619 Lugduni Batavorum cura ac diligentia Joachimi Morſi; quam editionem doctiſſimus Autor plane expreſſit. *Undecimo* loco habentur ſeptem Epiſtolæ ineditæ, una per Caſparem Bruſchium, reliquæ per Wolfgangum Rychardum conſcriptæ: quibus multa ad ſtatum Reformationis Eccleſiæ Ulmenſis pertinentia traduntur. Et dignum notatu, Rychardum illum epiſtolis ſuis ita plerumque ſubſcribere: *Vale ex Ulma, tertio Calend. Mart. Anno ab adventu ſpiritus Heliæ quinto*, item *ab ortu, manifeſtatione ſpiritus Heliæ*, numerantem ab initio Reformationis. Ultima inter has amœnitates, ſed & ipſa eſt amœna, Deſcriptio *vetuſtæ editionis Lactantii*, quæ A. MCCCCLXXI Venetiis prodiit. Ex optimo codice eam expreſſam eſſe, variis exemplis oſtendit Cl. Autor; ſimul aliquot conjecturas V. C. C. A. Heumanni ex eadem confirmat. De eruditiſſimis Annotationibus, quas paſſim huic opuſculo adjectas reperies, ſingulatim dicere locus non permittit. Nos, qui non ſine voluptate inter has amœnitates verſati ſumus, doctiſſimo Schelhornio operam ſuam bene poſitam gratulamur: optantes, ut quam primum plures partes nobiſcum communicet, ac ut poſſit, faciles rariorum opuſculorum poſſeſſores inveniat.

DE SAXONUM ORIGINE CONJECTURÆ verosimillimæ; Autore M. CHRISTIANO HENRICO WEISSIO, Lycei Chemnitienſis Conrectore.

Chemnitii, apud Conradum Stœſſelium, 1724, 8.

Plag. 5.

SI quæ gens eſt, cujus de origine eruditi variis ſententiis inter ſe diſ-

diſſident, mireque fluctuant, ea profecto eſt Saxonica. Deficientibus enim certis ac luculentis de Saxonum populo monumentis, tot ferme de ortu initiisque ejus ſunt ſententiæ, quot unquam in origine ejus gentis evolvenda fuere occupati. In his tamen omnibus opinionibus Clariſſ. Autori noſtro adeo nulla arriſit, ut reliquis examinatis rejectisque, novam aliquam eamque veri ſimiliorem indagandam putaverit. Eo vero abit Clariſſ. viri conjectura in hiſce pagellis, non incomte ſcriptis, propoſita: non unum aut ſingularem populum fuiſſe Saxones, ut hodie ex. gr. ſunt Pruſſi Polonive, ſed potius concurſum complexumque multarum gentium, ad maris Balthici oram imprimis habitantium, quæ aliæ poſt alias coiverint, inque unum tandem corpus concreverint. Proinde quoque Saxonum nomen non tam ſanguinis ac nationis, quam certi vitæ generis, quod illi omnes, qui confluxere, populi tenuerunt, extitiſſe putat. Patriam eorum, unde in alias demum provincias excurſiones fecerunt, Jutiam, in borealem & meridionalem olim diviſam fuiſſe, opinatur. Plurium autem gentium congreſſui ortum debere Saxones, inde probare ſtudet, quod a piratica, quam exercuere, Saxones primum innotuerint: plures vero ad Mare Balthicum populi maritimo huic latrocinio fuerint dediti. Nullam enim probabilem rationem exquiri poſſe, cur veterum ſcriptorum nemo Saxonici nominis faciat mentionem, antequam latrocinia ipſorum percrebuerint. Graviſſimum huic rei argumentum præbere autumat vocem *Saxe*, quæ priſca Germanica lingua raptorem, prædonem, ſpoliatorem, piratam notaverit, qualem prima Saxonum turba ſeſe geſſit. Eoque minus de hac vocis ſignificatione dubitandi locum relinqui, quod in hodierna Anglica, e veteri Saxonica prognata, lingua *Suck* rapere, prædas agere, exſpoliare ſignificet. Neque abire ab hac notione veterem illam Germanicam locutionem, in Agricolæ proverbiis Germanicis occurrentem, *eine Stadt Sackmann machen*, i. e. urbem militibus diripiendam concedere. Denique huc accedere, quod *ſacire* ferreo Latinitatis ſeculo idem fuit, quod capere & diripere. Tandem quoque varia veterum teſtimonia pro ſententia ſua allegat: imprimis Amiani Marcellini illud, quo Saxones diffuſam & ferocientem variarum gentium plebem nominat. Quemadmodum autem

autem Clariſſ. Autor noſter a diripiendo Saxonum vocem unice arceſſit, ita & vicinos finitimosque eis populos, bellandi hoc genus in laude ponentes, Saxonum, id eſt, prædonum nomen, ſibi tribuiſſe cenſet. Refutat quoque Vir Clariſſ. eorum opinionem, qui Saxonum nomen a *Saks*, quo nomine certum genus cultrorum, quibus Saxones olim uſi ſunt, deſignabatur, derivant. Saxones quippe multo ante hoc nomine fuiſſe appellatos ſuſpicatur, quam cultris eorum inditum hoc nomen ſit. In fine ſchediaſmatis hujus Clar. Autor duas objectiones, quæ ſibi fieri poſſint, diluit. Altera nititur teſtimonio Bedæ, in Hiſtoria ſua narrantis, Anglos in Jutia Vitarum inter & Saxonum provincias ſediſſe. Altera illa eſt, quod credibile non ſit, Britannos Saxones, ſi ex latronibus piratisque collecti fuiſſent, in ſubſidium auxiliumque contra hoſtes vocaturos fuiſſe. Solutis his objectionibus, rariores quosdam libros, de origine Saxonum compoſitos, enumerat: in his *Roberti Sheringhami* librum de Anglorum gentis origine, qui anno 1670 Cantabrigiæ in 8 prodiit, & *Job. Andr. Angelini Bontempii* libellum qui Peruſiæ 1697 editus in 12 ſub titulo: *Hiſtoria dell' origine de Saſſoni*. Imprimisque ſe dolere, Cl. Autor ait, ſeſe hos libros nanciſci non potuiſſe, ex quibus forſitan certiora cognoſcere licuiſſet. Et ſane negari nequit, multa in Sheringhami opuſculo inveniri, quæ alibi fruſtra quæras. Minime tamen eundem cum Noſtro facere, vel iſte locus, quem ὡς ἐν παρόδῳ ex pag. 54 huc transferemus, declarat. *Errant*, inquit, *imprimis, qui Cimbros ita nuncupatos eſſe arbitrantur, quia prædones fuerint & per mare piraticam exercuerint: quia, quicquid ſit de Cimbrorum prædationibus & rapinis, quas omnes olim gentes, quantum poterant, agitarunt, Germanica vox* Cimber, *non furi ſed robuſto militi & ad pugnam parato quadrat*. Quo pertinent & illa, quæ de Saxonum origine pag. 207 pronuntiat. *Mihi*, inquit, *eorum ſententia maxime probatur, qui a ſaxis, i. e. incurvis & ſerratis enſibus, falcium & cultrorum æmulis, Saxonibus nomen deferunt*. Quod ad *Bontempii* librum attinet, non multam utique utilitatis Clar. Autori afferre potuiſſet: is enim quæ de Saxonum origine habet, & admodum pauca & ſterilia ſunt, & minime probata, ſiquidem parum apte Saxonum nomen a Germanici verbi *ſitzen* imperfecto *ſaſſ* deducit. Neque jam

Digitized by Google

tam id agit ut Saxonicæ gentis originem explicet, quam ut Reges, qui ab antiquiſſimis temporibus illi præfuerunt, præcipuaque eorum facta ex Saxone, Cranzio, Albino aliisque ſcriptoribus collecta ordine enarret.

CARPENTARIANA, OU REMARQUES D' HIſtoire, de Morale, de Critique, d'Erudition, & de Bons Mots de M. CHARPENTIER, de l'Academie Françoiſe.

hoc eſt,

CARPENTARIANA, SIVE OBSERVATIOnes Hiſtoricæ, Morales, & Criticæ, nec non ſales eruditi FRANC. CARPENTARII, Academici Gallici.

Pariſiis, apud Nicol. le Breton Fil. 1724, 12.

Alph. 1.

DUo jam effluxerunt luſtra, ex quo MSCtorum Carpentarii, quem A. 1702 diem obiiſſe ſupremum in Actis noſtris A. 1718 p. 343 annotavimus, edendorum curam in Bocheronium devolutam, ſpemque factam eſſe accepimus, fore, ut ex illis Carpentariana primum prodirent, ſive varia annotata, argute dicta, & carmina, vel ab ipſo Carpentario, vel ab aliis compoſita, & in Muſæo ipſius reperta. Hæc ipſa nunc demum prodeunt, &, quod in præfatione monetur, per incuriam typographi in ſingulis paginis totius operis minus recte *Carpenteriana* dicuntur, in Catalogum ſcriptorum in *ana* deſinentium, a doctiſſimo Lilienthalio in ſelectis literariis p. 153 concinnatum, omnino referenda, quippe de quibus idem, quod de reliquis ſcriptis in *ana*, ferri poteſt judicium, videlicet, variis, quæ facile & ſine reipublicæ literariæ detrimento ignorari poſſunt, immixta eſſe nonnulla lectu ſcituque digniſſima. Noſtrum eſt, ut ea, quæ nobis commemoratu præ reliquis digna videntur, cum erudito & curioſo lectore communicemus.

Ad hiſtoriam civilem ea potiſſimum ſpectant, quæ p. 141 & p. 316 ſqq. leguntur. Priore loco narratur, tres Franciſci I filios, Franciſcum, Henricum & Carolum, ab Helvetiis, ad luſtricam

neceſſitudinem exoratis, dictos fuiſſe Sadrach, Meſach & Abednego: poſteriore vero, qua de cauſa, & quo ſupplicii genere Chriſtina Sueciæ Regina, quam androgynam fuiſſe nonnulli crediderint, Marchionem Monaldeſchi, natione Italum, ſummum ſtabuli ſui præfectum, Fonte Bellaqueo interfici juſſerit.

Hiſtoria autem literaria plurimis in locis egregie illuſtratur, quandoquidem Carpentarius cum Coſtario juſſu Mazarini catalogum eruditorum Gallorum confecit, quoad maximam partem huic operi inſertum. Et merito laudanda eſt in eo, quæ in hac gente rarior eſt, ſinceritas, quod eruditos, nulla ſectæ vel Eccleſiæ, cui addicti fuerunt, ratione habita, dignis elogiis ſit proſecutus. Ut ſingularia quædam, ad rem literariam ſpectantia excerpamus, non prætermittendum ducimus, quod p. 1 de Turcarum ſcriptoribus hiſtoricis commemoratur, latere ſcilicet quam plurimos in Bibliotheca Regia, quorum, ſi Leunclavii annales, non ita magni faciendos, exceperis, nullus in linguam aliquam Europæam ſit translatus: ſumma etiam a Turcis laude celebrari hiſtoriam quandam Regum, verſibus Perſicis conſcriptam a *Ferdous*, ruſtico quidem, ſed ad Poeſin nato, cujus carminis diſticha ſingula Rex Perſarum nummo aureo compenſaſſe dicitur. P. 4 aſſeritur, Balſacium ipſum, & non Ogerium, autorem eſſe Apologiæ, in qua ſe ipſum plus juſto extulerit: p. 18, Franc. Eudeſium, in pago *de Mezerai* natum, & propterea Mezeræum dictum, primum operis ſui hiſtorici tomum minus bene, alterum non ita male, tertium vero peregregie conſcripſiſſe, atque in hoc ultimo perficiendo commentariis *Puteani* uſum eſſe: & quanquam opus hoc infinitis ſcateat erroribus, omnium tamen eorum, in quibus hiſtoria Francica deſcripta ſit, eſſe præſtantiſſimum: porro, Mezeræum hunc fuiſſe Secretarium Academiæ, parvum corpore, & infelici vultu (*un petit homme de mauvaiſe mine*): p. 20, Morinum, a Mareſio proditum, duobus tantum ſuffragiis eſſe damnatum; & primum quidem fuiſſe adjunctum rei pecuniariæ (*Commis des Finances*), poſtea vero uni alterive a manibus fuiſſe, & ſerviiſſe calamo, in literarum figuris ſcite formandis verſatiſſimum. P. 25 Claudium Quilletum, cujus Callipædia ſatis nota eſt, per aliquod tempus artem excoluiſſe Medicam, atque hoc titulo Romæ inſerviiſſe

viiſſe Mareſchallo d'Eſtrées, cui legato a ſecretis eum fuiſſe, perperam tradit Bælius. P. 29 Autorem libri, Italico ſermone ſcripti, & in Gallicum translati, cui titulus: *Explorator Turcicus*, in quo hiſtoria Turcica ſuperioris ſeculi deſcribitur, eſſe Joannem Paulum Maranam, Mediolanenſem, teſtatur: id quod ipſius autoris chirographo firmat, quod Carpentarius dari ſibi poſtulavit, cum juſſu Cancellarii librum hunc legiſſet, & loca quædam omitti oportere judicaſſet. P. 43, Menagium verſioni epigrammatum Martialis Marollianæ inſcribi curaſſe: *Epigrammes contre Martial.* P.53, Nicolaum Francum, Poetam Italum haud incelebrem, e patibulo ſuſpenſum eſſe juſſu Pii V, non tam ideo, quod in Paulum IV aculeos emiſiſſet, quam quod Papa odio ipſius flagraverit virulento, *(qui par une haine particuliere lui chercha querelle aſſez mal à propos.)* P.76, Johannem Launojum ſua ætate, poſt Arnoldum, omnium Gallorum doctiſſimum fuiſſe Theologum, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, recentioris imprimis, peritiſſimum, & pro candore ſuo veritates nonnullas, placitis Romano-Catholicorum adverſas, libere profeſſum eſſe; plurimos quoque Sanctos de throno ſuo dejeciſſe, a Feramo ſequentibus collaudatum verſibus:

Tu quoque, Launoi, veri indagator & index,
Addita qui faſtis numina falſa doces.

Eundem inter alia opuſcula quamplurima, Pariſiis obſidione cinctis, libellum edidiſſe de delectu ciborum in jejuniis, in eoque commonſtraſſe, carnem non tollere jejunium. P. 80, librum Helotii, cui titulus: *L'Ecole des filles*, in Belgio impreſſum, Pariſiis publice combuſtum, & Autorem, qui fuga ſibi conſuluerat, in effigie eſſe ſuſpenſum. P. 82, Peliſſonium, in linguis, Græca, Latina, Italica & Hiſpanica eruditiſſimum, qui præter alia hiſtoriam Academiæ Francicæ, & Gallicam paraphraſin Libri I Inſtitut. edidit, admodum deformem fuiſſe; mulierculis tamen ſeſe pergratum amatumque reddere potuiſſe, ut in illum quadraverint verſus Ovidii:

Non formoſus erat: ſed erat facundus Ulyſſes
Et tamen æquoreas uſſit amore Deas.

P. 127, Capellanum a nonnullis Academicis dictum fuiſſe *le Cheva-*

lier de l'ordre de l'Araignée, i. e. equitem ordinis telæ aranearum, ob ſorditiem, p. 277 & 471 quoque notatam: cui Carpentarius ſequens epigramma, manu incognita ſcriptum, offerri curavit, quod p. 455 legitur, & in quo ejus avaritiam & carmen *de la Pucelle* acriter perſtrinxit:

Ille Tigellinus, tota notiſſimus urbe,
Fraudibus inſignis verſibus atque malis;
Frigidus Heroum cantor, quem Regia torvo
Naſcentem adſpexit lumine Calliope:
Dona Ducum, & famam qui captans arte ſagaci,
Nomen & ingentes accumulavit opes:
Non potuit ſemper Nemeſin vitare potentem,
Ultoresque Deos ſenſit adeſſe ſibi.
Nunc exors famæ, nunc pondus inutile terræ,
Ediſcit ſannas ludibriumque pati.
Et male quæſito dum ſordidus incubat auro,
Et numerat nummos, Pontice; vivit inops.
Cauſa malorum in promptu eſt, illaudabile Carmen,
Atque malo pejor carmine avaritia.

P. 169 Racanus, ex illuſtri familia *de Beüil* natus, primus Gallorum Poeta Lyricus fuiſſe dicitur, ad linguam vero Latinam diſcendam adeo ineptus, ut ne ſuum *Confiteor* quidem ediſcere potuerit. P. 175 Calvino, cujus verum nomen fuit *Cauvin*, A. 1564 (non 1594 uti per errorem typographi poſitum eſt) demortuo, cum undecim morbis conflictandum fuiſſe, relatum legimus, altero ſemper alterum excipiente, eaque de cauſa adeo moroſum fuiſſe, ut nonnulli dixiſſe perhibeantur: ſe cum Beza, viro diſertiſſimo, in inferno eſſe malle, quam cum Calvino in paradiſo. P. 215 Colletet, bonus quidem, ſed non adeo dives Poeta, tres ſuas ancillas, unam poſt alteram, uxores duxiſſe, &, cum a Cardinale Richelio pro ſex verſibus aliquando ſexcentas accepiſſet libras, ſequens ſcripſiſſe dicitur epigramma:

Armand, qui pour ſix vers m' as donné ſix cens livres,
Que ne puis je à ce prix te vendre tous mes livres.

Digitized by Google

P. 284 lepida habetur hiſtoria, ex qua ea illuſtrari poſſunt, quæ in Actorum noſtrorum Supplem. Tom. V p. 541 recenſuimus. Cornelius ſenior carmen compoſuerat inſcriptum: *l'Occaſion perduë & recouvrée.* Hoc cum innotuiſſet, Cancellarius Seguierius Cornelium ad ſe acceſſit, & propter ſcandalum hoc carmine publice datum, quippe quo hominis diſſoluti notam ſibi ipſemet inuſſiſſet, graviter reprehenſum, ſtato die ſecum peccata coram Confeſſionario expiare juſſit. Cum itaque Cornelius, dicto audiens, coram P. Paulino, ſe verſus impudicos ſcripſiſſe, confiteretur, ab hoc illi per modum pœnitentiæ impoſitum eſt, ut primum librum de imitatione Chriſti Gallico, eoque ligato ſermone exponeret. Primo autem libro hoc ab omnibus magno cum plauſu recepto & multoties recuſo, Cornelius alterum quoque librum juſſu ac precibus Reginæ tranſtulit; nec non tertium, cum iniqua valetudine aliquando eſſet tentatus. P. 303 Varillaſium legimus viginti annos ſtylo eleganter formando impendiſſe, omnemque gnaviter navaſſe operam, ut duritiem ſermonis, quæ in ſcholis contrahi ſolet, evitaret. P. 340 commemoratur, Scuderium, cum ſorore ſua in diverſorio conſultantem, quo mortis genere Princeps, quem nempe in fabula ſua Romanenſi, quam *Cyrus* inſcripſit, ſibi finxerat, e medio tollendus eſſet, a mercatoribus in proximo conclavi cubantibus proditum, captumque Lutetias eſſe deductum. P. 398 feſtivum exhibetur epitaphium, quod Scarroni poſuit *Moiſant de Brieux*, Conſiliarius ſupremi tribunalis Metenſis:

Voir les ris tout en pleurs, eſt une étrange choſe,
Et qui ſurprend d'abord:
Mais qui ne ſurprend plus, quand on en ſcait la cauſe.
Helas! leur Pere eſt mort.

Commeleti dum pag. 472 Carpentarius meminit, Aſtronomi pauperis & egeni, in Bibliotheca Regia ſex Tomos in fol. ſe vidiſſe refert de infelicitate literatorum, eorundemque numerum facile augeri poſſe, arbitratur: ubi etiam caput, quod de eodem argumento ipſemet in libro de excellentia linguæ Gallicæ compoſuit, Huetio perplacuiſſe confirmat. Sed ne ea, quæ ad ipſum Carpentarium pertinent, prætermittamus, ex variis epigram-

matibus, in quibus Græcorum anthologiam paſſim imitatus eſt, illud tantum deſcribere juvat, quod rogatu pictoris, qui faciem ipſius accurate expreſſerat, de ſemet ipſo fecit, quodque pag. 287 legitur:

Le Rang, ou je ſuis parvenu,
N' eſt pas d'un fort grand revenu;
Un Doyen de l' Academie
Fait peu craindre ſon Tribunal:
Pour être eſtimé dans la vie
Il faut pouvoir faire du mal.

Sic etiam certiores nos eſſe jubet p. 159, verſionem epigrammatis Græci, quod in Menagianis Conrartio tribuitur, Græcarum & Latinarum literarum experti, cum annexa epiſtola, a ſe eſſe compoſitam: p. 369, ſe multum operæ contuliſſe in itinerarium Nicolai du Loir, Pariſiis An. 1654 impreſſum, & primum Tomum equitis Chardini, ac utrique præfixam dedicationem elaboraſſe: ſe maximam partem præfationis in Catullum a Cappello editum, itemque præfationem & epiſtolam Dictionario Academiæ Gallicæ præmiſſam, & dedicationem Athenarum Guilleti confeciſſe: p. 401, ſe anno ætatis XXII vitam Socratis edidiſſe, & totum transtuliſſe Xenophontem, cujus Cyropædiam non fabuloſam, ſed veram Hiſtoriam eſſe, contendit, P. 418, ſe etiam Autorem eſſe teſtatur libelli, cui titulus: *le Vojage du Valon tranquille*, & in illo quamplurimas perſonas, quin & ſuam quoque ipſius ſub Amaxitis nomine, graphice depinxiſſe: p. 460, ſe quoque ſcripturum fuiſſe librum de pictura loquente, ſeu de quæſtione, utrum picturis, res geſtas repræſentantibus, ſubjicienda ſit inſcriptio, nec ne: p. 487, ſibi denique ab Academia injunctum fuiſſe ſilentium, ne contra Fureterium ulterius ſcriberet, ad cujus invectivas in dialogo quodam jam acerbe ſatis reſponderat, quemque cum aranea comparaverat, proprio pendente filo. In antiquis ſcriptoribus ſæpius deſiderat judicium, notatque, quod naturam non intueantur nec ſequantur; ex. gr. p. 143, quando Horatius *nitorem* dicit *urere*, cum oculis offundere caliginem, dicere debuiſſet: p. 7, quando Ovidius moribun-

dum

dum *digitiſ morientibus fila lyræ retentaſſe* canit. &c. P. 59 Senecam dicit plus gratiæ conciliare aliorum ſcriptis, in quibus citatur, quam ſuis ipſius, eo quod ſtylus ipſius vinculis ſit deſtitutus.

Ex reliquis obſervationibus annotare quoque liceat ſequentes ad rem Theologicam maxime ſpectantes. P. 5 Bignonium, cujus ſtupendam memoriam p. 238 prædicat, dicenti, Romam eſſe ſedem fidei, reſpondiſſe ait: hoc quidem verum eſſe, ſed fidem illam ſimilem eſſe hominibus, qui nunquam reperiantur domi. P. 210, religionem Romano-Catholicam multiplicando populo valde eſſe contrariam, hincque in ſolo Electoratu Saxonico majorem hominum inveniri copiam, quam in omnibus Imperatoris provinciis Germanicis. Pag. ead. literas MCCCCLX, qui annum indicant 1460, prædictionem continere papatus Leonis X, quem eo ipſo anno Papam creatum eſſe dicit, & in hanc ſententiam poſſe explicari: *Multi Cæci Cardinales Creaverunt Cæcum Leonem X.* Sed Papam Leonem X A. 1513, non 1460, electum eſſe, extra omnem dubitationem poſitum eſt; & literas illas ab Hutteno ita expoſitas eſſe, ex codice quodam manuſcripto refert Cl. Burckhardus in eruditiſſimo de Ulrici Hutteni vita commentario, P. III p. 48. Hinc veram hujus expoſitionis originem facile nos divinare poſſe nobis videmur, videlicet Huttenum Romæ fuiſſe A. 1513, quo Leo X electus, & portam forte prætereuntem, An. 1460 procul dubio reparatam, ideoque numeris hunc annum indicantibus inſignitam, literas haſce ita ex ingenio ſuo de Leone X ejusque electione eſſe interpretatum. Porro p. 352 refert, Legatum quendam, Conſtantinopoli venientem, Romæ Pontificem in oratione ſua non ſolum Abelis, Noachi, Melchiſedeci & Aaronis nominibus compellaſſe, ſed etiam ſequenti titulo, quem longe eminentiſſimum duxerit, uſum eſſe: *Il Sultano della chieſa Catholica, è il Gran' Turco delli Chriſtiani.* P. 245 S. Maturinum perhibet Patronum dici ſtultorum, & pro ipſa ſumi ſtultitia, eo quod prima ſyllaba *Mat*, Italice *matto*, ſtultum ſignificet. P. 340, Eliam, in cœlum ſublatum, parabolice indicare, pietatem evolaſſe in cœlum; pallium vero relictum eſſe Monachis, ut perſonas honeſtorum hominum agentes, alios deciperent: qua occaſione etiam obſervamus, Monachos ſæpius (ut p.

18,

18, 28, 147, 280, 308) deridendos propinari; & primo quidem loco ſequens habetur epigramma Carpentarii:

Frere Roch de ſon froc bridé
Exorciſſoit un poſſedé;
Le diable à l' inſtant part du gite,
Redoutant moins en frere Roch
La puiſſance de l' eau benite,
Que la puanteur de ſon froc.

Pag. 240 Autor obſervat, ex quo doctrina Lutheri prædicata ſit, Romano-Catholicos in inſcriptionibus quoque ſepulcralibus teſtatum feciſſe, credere ſe purgatorium, a Lutheranis negatum. P. 325 Laurentii Raggi ridet ſimplicitatem, qui Epiſcopus primum factus Cataneæ in Sicilia, poſtea ob inſignem ſtoliditatem ab Urbano VIII purpura donatus, & Auditor cameræ Apoſtolicæ fuit. Hic, cum aliquando contra cauſam, cui favebat, Codex teſtari diceretur, iratus præcepit, ut Codex, teſtaturus, ſe præſentem ſiſteret in judicio; acceptoque reſponſo, inveniri illum poſſe in domo patroni hujus cauſæ, lictores miſit, ut illum adducerent; qui Codicem ſibi traditum attulerunt, librum illum damnatum eſſe opinantes. Quo facto Cardinalis hic fabula totius Romæ exſtitit. Ex obſervationibus denique moralibus, paſſim inſperſis, unicam duntaxat ex p. 293 ſq. annotabimus, dignam ſane, quæ diligentius perpendatur: velle ſcilicet nos quidem amari, ſed facere ea, quæ nos non poſſint non exoſos reddere: tyrannorum nos imitari mores, & velle ſuſpici ut Evergetas: pro fratribus haberi velle ab iis, quos hoſtili animo proſequamur; unum amorem & benignitatem facile parere amicos.

NOVA LITERARIA.

Theſaurus Italiæ & Siciliæ *Grævio-Burmannianus* propediem integer proſtabit, multo quidem pluribus, quam initio conſtitutum fuerat, Voluminibus; ſiquidem præter ſcripta in primo Operis Conſpectu memorata, acceſſere inſuper Libri octoginta duo, plerique vel rariores, vel hactenus inediti.

)o(

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXV.

Q. CURTII RUFI DE REBUS GESTIS ALEXANDRI M. Libri ſuperſtites, cum omnibus Supplementis, variantibus Lectionibus ac Notis perpetuis FR. MODII, V. ACIDALII, T. POPMÆ, J. FREINSHEMII, J. SCHEFFERI, C. CELLARII, N. HEINSII, ſelectis & excerptis PH. RUBENII, F. RUTGERSII, C. BARTHII, J. LOCCENII, M. RADERI, CL. SALMASII, J. FR. GRONOVII, M. TELLIERII, C. A. HEUMANNI, itemque J. PERIZONII Vindiciis & aliorum obſervationibus auctioribusque Indicibus. Curavit & digeſſit HENRICUS SNACKENBURG.

Delphis & Lugd. B. ap. A. Bemann, & Sam. Luchtmans, 1724, 4 maj. Alph. 6 plag. 2 Tabb. æn. 17.

QUid novi nova hæc Curtii editio apportet, index libri ſatis declarat. Blancardi certe, Schrevelii, & Pitiſci rationes deſeruiſſe Cl. Snackenburgium, primo patet intuitu: ac tot celeberrima nomina, quorum adnotationes promittuntur, magnifica omnia & exquiſita ſperare jubent. Nihilominus illi, qui uſu didicerunt, quam ſæpe quidam homines Salmaſiorum & Gronoviorum hedera abutantur, hæſitabunt paulliſper, cum libri molem, & tot virorum doctorum opera inter ſeſe conferent. Nos vero, quibus cum illo genere hominum depugnare non vacat, ſimpliciter pronuntiamus, Curtium hunc multa habere, quibus antea impreſſos omnes vincat. Et quamvis provide in fronte ſcriptum ſit: *curavit & digeſſit* H.

 Snacken-

Snackenburg; quippe quo nil niſi curam & laborem in digerendis aliorum obſervationibus Vir doctus ſibi vindicat; multa tamen inſuper ἰκιῶθεν ab eodem allata eſſe teſtamur, quæ vero, ut ipſe profitetur, per feſtinationem adſcripta ſunt. Noſtrum eſt, ſingulatim quædam adferre: cum ut legentium cupiditati ſatisfaciamus, tum ut judicii cuique materiam ſuppeditemus. Externus nitor libri & prima faciei elegantia ad morem hodiernum atque ad modum, quo eruditi imprimis Batavi, dum variorum notas emittunt, aliquam gloriam adepti ſunt, curatiſſime exacta ſunt, ita, ut ne nummos quidem aliasque imagines, nec expeditionis Alexandri deſignationem deſideres. Jam *variæ lectiones*, quas olim non ſine tædio in Freinshemianis editionibus ad calcem rejectas quærere neceſſe erat, ſeparatæ quidem ab adnotationibus, ſingulis tamen paginis ſubjectæ nunc viſuntur: ea forma, qua interpretationes ſubjiciuntur ab illis, qui olim in uſum Delphini veteres ſcriptores evomebant. Illæ tamen multum etiam auctæ ſunt. Nam & ex præſtantiſſimo, quantum conjectura aſſequitur, codice Florentino, ab N. Heinſio excerptæ lectiones diſcrepantes, & aliæ a Cl. Editore ex uno Leidenſi & duobus Voſſianis codd. deſcriptæ nunc immixtæ ſunt, quæ ſane haud parvum apud peritos libro pretium conciliabunt. Accedunt nunc primum editæ conjecturæ & notulæ Illuſtris N. Heinſii, quas oræ codicis ſui, prout in mentem venerant, adſcripſerat: non elaboratæ illæ quidem & ab Autore ad editionem paratæ; acceptiſſimæ nihilo ſecius omnibus, qui norunt eximium illud ingenium, quique ab aliorum tumultuariis cogitationibus ad inquirendum & maturiora proferendum excitari amant. Aliquot vero ex his non ſunt breviſſimæ; maturas potius diceres, niſi omnia ad notam Heinſii eruditionem exigere velis, qualis illa eſt ad Lib. VI Cap. XI n. 3. Porro & Brunonis, & Freinshemii atque Cellarii Supplementa integra ſuis quæque locis inſerta ſunt: neque minus, quæ Freinshemius de ætate, nomine, editionibus Curtii, & aliis hujuscemodi diſſeruit, commentariis præmittuntur, quæ hic illic auxit Snackenburgius. Sed ne omnia Freinshemianæ editioni reſpondere putes, omiſſa ſunt loca, ut vocant, parallela margini ab illo adſcripta, & ſummaria in ſuperiore parte paginarum denotata;

tata;

Digitized by Google

tata: quod inſtitutum, olim adamatum, hodie obſolevit. Indices eosdem, qui in editione A. 1670 expreſſi ſunt, non exhiberi, nemo gravabitur: cum ii, quos dedit Cl. Editor in Curtium, in Adnotationes & autorum illuſtratorum uſui ſint magis accommodati. Sequitur, ut de ipſis Adnotationibus pauca dicamus. Quæ primo loco indicantur Modii, Acidalii, Freinshemii & reliquorum integræ partim, partim ſelectæ tantum aut contractæ leguntur. Neque illud diſſimulavit Cl. Editor, qui conſulto conſilio ſolemne illud: *cum integris adnotationibus*, in fronte non appingit, & in Præfatione abunde demonſtrat, quod fuerit rationibus ſuis alienum, Freinshemii nominatim integrum Commentarium addere. Idque etiam exemplis cognoſcere licet. Nam ubicunque Freinshemii adnotatio fuit laxior, ibi aut plane omiſſa eſt, ut illa ad Lib. IV Cap. XV n. 28, aut, abſciſſa aliqua parte, contracta, quod ex notis ad ejusdem Libri Cap. XIV n. 24, Cap. XV n. 24, Cap. XVI n. 26 & aliis infinitis eſt videre. Ex Cellarianis obſervationibus illæ tantummodo omiſſæ ſunt, quæ totidem verbis apud Raderum, Freinshemium, aut alios legebantur: ne ſcilicet eadem crambe bis apponeretur. Quo conſilio ſi, qui variorum notas ediderunt, ſemper uſi eſſent, non ipſi profecto adſcripſiſſent, quod ab aliis jam præceptum erat. Aliter tamen ſtatuendum, ſi ex duplici citatione aliquod emolumentum ſperatur. Nam & ipſe Snackenburgius ad Libr. III Cap. II n. 2 Rubenii Electa citat, quæ jam citaverat Raderus: niſi quod hic Prælectiones vocaverat, & periculum erat, ne quis diverſum librum intelligeret. Quo etiam referres, quod hæc editio eandem fere Heumanni notam bis propinaverit: nempe ad Lib. IV Cap. XI n. 21 & ad Lib. XI Cap. X n. 7. De his, quorum ſelectas & excerptas notas ſuppeditat, multa dicenda forent. Id cuivis conſtat, eſſe in eis, qui numquam data opera totum Curtium illuſtraverint, ſed ſaltem, dum aliis auctoribus emaculandis aut illuſtrandis incumbunt, unum alterumque ex illo locum attigerint. Quorum nominibus jure ſuo adjungi potuiſſent Burmannus, Daviſius, Drackenborchius, Duckerus; ſi, quod aliis æquum videtur, editoribus etiam opportunum aut commodum eſſet. Satisfecit Cl. Editor officio ſuo, dum horum etiam nomina ſedulo adnotavit, illisque,

 quo-

quorum erant, obſervationes reddidit; & quidem non ſine laude, quod docebit nota ad Libr. III Cap. II n. 7, item ad Libr. VII Cap. XI n. 16, ubi ita Snackenburgius: „Meliorum codicum au„toritate morem gerens Cl. P. Burmannus hic *enis is* legit, ad Val. „Flacc. L. II v. 462. Quod ne mireris hic annotatum, antequam „limatiſſimæ ejus in optimum Poetam curæ lucem publicam ad„ſpicerent; his deliciis frui, dum apparantur reliqua, pro ſua, qua „nobis utitur, liberali humanitate, nobis largitur poeticæ venu„ſtatis columen. Hæc ille. At dum undique conquirit, quæ Curtio ſuo prodeſſent, humani aliquid paſſus videtur, ubi ad Libr. IV Cap. VIII n. 6 Cl. Drackenborchio tribuit emendationem quandam Curtii, quam tamen Vir ille doctiſſimus ad Silii Libr. XIII v. 766 Dan. Heinſio adſcripſit; ejusque eſſe, & Lugdunenſis & Cantabrigienſis Crepundiorum Heinſianorum editio docebit. Inſertæ ſunt etiam ſuo quæque loco Vindiciæ Curtii a cavillationibus Clerici, olim a Cl. Perizonio conſcriptæ. Verum cum is multas accuſationes non attigerit, aut, ut inanes, prætererit; negotium ſibi datum eſſe exiſtimavit Cl. Snackenburg, ut iis etiam reponeret, quæ eſſent veritati conſentanea. Ex multis hujusmodi obſervationibus unicam nominamus ad Libr. VIII Cap. X n. 8 prolatam, ubi bene & multis rem Curtii egit. Alibi paucis defungitur, uti ad Libr. III Cap. V n. 11; ad Libr. IV Cap. XVI n. 10, & alibi: quandoquidem inter criticæ artis peritos jam dudum conſtare noverat, quam non idoneus judex de Curtio fuerit Clericus. Reſtat, ut de emendationibus Cl. Heumanni, quæ nunc primum cum Curtio prodeunt, pauca moneamus. Deſumtæ ſunt maximam partem ex libello, cui *Parerga Critica* nomen fecit Heumannus: ſed vix ullam ſuam conjecturam impune tulit. Modeſte tamen, quod laudamus, refutatur a Cl. Snackenburgio, atque ita, ut plerumque lectores in hujus partes pertrahantur, qui operoſiores conatus & alia quædam illius ferre non poſſunt. Miramur tamen, Editori noſtro adeo ignota fuiſſe, quæ alibi Cl. Heumannus in Curtium meditatus eſt. Nimirum jam Anno 1719 communicavit cum eruditis *Specimen artis Criticæ, nova editioni Q. Curtii Rufi præmiſſum*, quod legitur in horum Actorum Supplement. Tom. VII Sect. II pag. 54 ſqq. quo viginti amplius loca Curtii

Digitized by Google

Curtii emendavit, & aut Modii aliorumque conjecturas confirmavit, aut quæ Heinſio & Snackenburgio in mentem venerunt, prævidit. Modio accedit Libr. III Cap. VI n. 11 legens: *oro quæſoque, omiſſo metu* cet. item Libr. IV Cap. XIV n. 10. Freinshemium & Acidalium tuetur Libr. V Cap. III n. 14; ac Libr. X Cap. VIII, n. 9; ut & Modium & Freinsh. ad Libr. VIII Cap. VIII n. 19. Heinſii conjecturam Libr. X Cap. IX n. 31 præcepit: ne de illis locis dicamus, quibus proxime ad ejusdem illuſtris Viri divinationes accedit. Denique cum Snackenburgio nervoſior ſenſus videatur, ſi Libr. V Cap. I n. 7 legeris: *jam Suſa, jam cetera ornamenta regni, cauſſam belli victorem occupaturum*; ſciat, hanc etiam elegantiam ab Heumanno occupatam eſſe: etſi tam contra hanc, quam aliquot alias emendationes eruditus adoleſcens jam olim publice quædam admonuerit. Verum ſi hæc diligentiam Cl. Editoris effugerunt, feſtinationi ejus ut hoc, quidquid eſt, condonemus, æquum eſſe putamus. Hactenus ea potiſſimum enumeravimus, quæ variis Virorum doctorum curis Curtius debet: non tamen nihil prorſus Snackenburgius in medium protulit; quin potius de ejus etiam meritis dicendi copiam habemus. Nam præter illa, quæ ſupra illi tribuimus, & præterquam quod ipſum contextum aliquot locis emendatiorem reddidit (ut quando *Philotan*, *Euphraten*, alioſque Accuſativos ad eandem formam excudi curavit; quando Libr. III Cap. V n. 8 *abrumpi* ex MSS. pro vulgato *abripi* reſcripſit, quando ſeptem voces, incuria aliorum omiſſas, Libr. VII Cap. I n. 26 reſtituit) igitur præterea etiam adnotationes ſuas ſubjecit, de quibus ſtatim dicemus, ſi prius unum hoc profeſſi erimus, ſumma cautione uſum eſſe in emendando contextu; quod vel ſolo hoc exemplo, ex Libr. IV Cap. I n. 3 deſumto, ubi pro vulgato *præripere*, & Modius & quatuor codd. manu exarati *præcipere* habent, verum & genuinum Curtio vocabulum, tanta auctoritate adductus, reponere non eſt auſus. Adnotationum duo maxime ſunt genera: breves aliæ & adſtrictæ; aliæ laxiores. Illarum tria exempla adnotabimus. Ad Libr. III Cap. II n. 5 ita notat: *Bipennis manifeſtum eſt id dici, quod ex utraque parte ſit acutum. Nonius.* [Nonium jam citaverat Pitiſcus.] Ad Libr. III Cap. VI n. 10 hæc habet: *Amiculo*] *Veſtimen-*

tum feminarum commune cum viris; *videſis Ferrarium de re veſtiaria L. III Cap. XIX.* [Pitiſcus ad Libr. III Cap. III n. 10.] Ad VIII Cap. VI n. 4 ſcripſit: *Actos ab agaſonibus*] *Agaſones, equos agentes. Feſtus Pompejus* [eundem & plures citat idem Pitiſcus] Hæ ſunt tres notæ integræ. Longiorum notarum itidem duo genera facere poſſemus, & ad primum referre, quæ pag. 54, 56, 130, 137, 147, 204, 208, 265, 276, 583, 803, aliisque habentur; ſed ne tædio ſimus, alterius tantum modo generis quædam exempla ſubjiciemus. Libr. III Cap. VI ineunte, non male conjicit, pro *Erat inter nobiles medicos*, ex Palatino primo, omiſſa poſtrema voce, legendum eſſe: *Erat inter nobiles*, uſumque vocabuli *nobilis* firmat. Sic Libr. IV Cap. I n. 22 verba, uti ſcribuntur in Voſſiano primo, *abluc corpus illuvie terreniſque ſordibus ſqualidum*, docte illuſtrat. Plura talia pag. 174, 175, 176, item 668, 669, 720, 721 reperias. De verbo *contribuere* proba eſt obſervatio ad Libr. V Cap. III n. 16: & elegantiorem uſum vocabuli *voces*, & particulæ *intra* adſtruit ad Libr. VII Cap. I n. 25. Tellierius peſſime Libr. VII Cap. XI n. 12 ſcripſerat: *eademque ſervabitur proportio*, cum in MSS. aliisque impreſſis omnibus eſſet *portio*. Hanc vocem revocavit, idemque, quod ille voluit, ſignificare docet. Libr. VIII Cap. II n. 6 recte tuetur ex MSS. *ſtato*, pro vulgari *ſtatuto*: nec contemnenda ſunt, quæ ad ej. libri Cap. IV n. 2 de *priſtino die* obſervavit, & quæ ad Libr. IX Cap. IV n. 25 de abſoluto poſitu particulæ *an*, ubi *incertum eſt* omittitur; & ad ej. Libri Cap. VIII n. 20 de *ſtrenua morte*, quæ *ſubita* vocanda erat, diſſeruit. Ex quibus omnibus de opera Cl. Snakenburgii juſtum ferri poterit judicium. Subjungimus unam noſtram conjecturam de loco Curtii, quem & Sebiſius & Heinſius tentarunt; alii vero tanquam bene ſanum tranſierunt. Is eſt Libr. X Cap. V n. 15, 16: atque leviſſima transpoſitione integritati ſuæ ita reſtituendus eſt: *Babylonii alius e muris, alius culmine ſui quiſque tecti proſpectabant. nec quiſquam lumina audebat accendere, quaſi certiora viſuri; & quia oculorum ceſſabat uſus, fremitus voceſque auribus captabant.* Certiora videlicet ex tenebris, quam ex luce videntur; ſed ubi oculorum uſus ceſſat, aures adhibemus. Notio verbi *audebat* paullo exquiſitior, & elegans compoſitio particulæ *nec* atque *&*, tum ſcribarum incuria omne verborum decus ſuſtulerant. *DAVI-*

Digitized by Google

DAVIDIS MILLII DISSERTATIONES SElectæ, varia S. Literarum & Antiquitatis Orientalis capita exponentes & illuſtrantes.

Trajecti ad Rhenum, apud Jac. Brœdelet, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 9.

DEcem hic exhibentur Diſſertationes, obſcuriora aliquot Sacri codicis loca illuſtrantes egregie. Ac *prima* quidem contra Druſium, Lightfootum, & Relandum oſtenditur, per *fluvium Ægypti*, qui *Geneſ. XV, 18* & *Joſuæ XIII, 3* terminus poſſeſſionum Iſraeliticarum una cum Euphrate conſtituitur, omnino ſignificari *Nilum*, ſimulque rationes laudatorum triumvirorum diluuntur ac refutantur. Cumque in Germania doctus quidam Vir per *Euphratem* iſtis locis memoratum intelligendum cenſeat fluvium *Eleutherum*, hujus quoque ſententiam Cl. Autor ſatis lucide refellit. *Diſſ. II* vulgaris ſententia de *vitulo aureo Exodi XXXII*, qua credunt, vitulum illum ab Iſraelitis formatum fuiſſe ad ſimilitudinem *Apidis*, ſacri Ægyptiorum bovis, impugnatur hoc argumento, quod non ſit veriſimile, Iſraelitas illud idolum coluiſſe, a cujus cultu ipſi in Ægypto abhorruerint, quodque viderint Moſis miraculis quaſi proſtratum eſſe a Numine potentiore. Statuit itaque, vitulum illum aureum fuiſſe figuram *Typhonis*, Ægyptiorum Cacodæmonis. *Nam*, inquit, *manifeſtum eſt, Iſraelitas vituli ſimulacro eum Deum exhibere voluiſſe, qui maximis calamitatibus Ægyptum affecerat, atque proinde infeſtiſſimum Ægyptiis Numen. Talis vero erat* Typhon, *terribilis ille Deorum atque incolarum Ægypti inimicus: unde & Iſraelitæ non ſine ratione ſibi collegiſſe videbantur, Deum, qui tot erga ſe ſingularis gratiæ, & in Ægyptios vehementis iræ argumenta ediderat, eundem cum Typhone fuiſſe.* Confirmat hanc ſuam ſententiam conſenſu Philonis, & hoc argumento, quod Ægyptii Typhoni tribuerint omnes calamitates ſibi immiſſas, itemque, quod Typhonis imago fuerit bos ruſus, adeoque *aurei* coloris. Hoc etiam ex fonte derivat fabulam de *ὀνολατρείᾳ* Judæorum, docens, Typhonem, ab Iſraelitis in deſerto adoratum, ab Ægyptiis vocitatum fuiſſe *aſinum*.

Diſſert. III agit de nomine ſingulari, quo Rabbini afficiunt altare

altare templi Hieroſolymitani, id appellantes *mediatorem*. Oſtendit ipſis Rabbinorum verbis, quo ſenſu ii putent altare vere dici mediatorem inter Deum & homines. Illas Rabbinorum interpretationes etſi non putat abhorrere a vero, id tamen ab iis peccari indicat, quod non typicum, ſed verum mediatorem in eo altari ſibi inveniſſe videantur.

Diſſ. VI de *Gad* & *Meni*, *Jeſa. LXV, 11*, diſputatur. Huetius per *Gad* intelligebat Lunam, per *Meni* Solem. Vice verſa Vitringa *Gad* Solis eſſe nomen exiſtimabat, *Meni* Lunæ. Noſter Autor per *Gad* & *Meni* non duos Deos, ſed unum Numen deſignari ſtatuit, nempe *Lunam*. Cum enim Iſraelitæ dicantur menſam exſtruxiſſe *τῷ Meni*, atque ethnicorum conſuetudo fuerit, ſingulis Diis menſam cibis refertam ſimulque poculo onuſtam apponere, hinc liquere putat, unum idemque Numen a Jeſaia deſcribi. Id quo minus dubitetur, oſtendit, aliis quoque locis ſacri codicis in diverſis commatibus eandem rem deſcribi duobus nominibus. Ipſum nomen *Gad* Arabicum eſſe docet, & ſignificare *benignitatem*, cujus nomine magna in laude apud veteres Lunam fuiſſe, manifeſtum facit. Eandem Deam *Atergatin* vocari contendit, atque hoc nomen ſignificare *Deam Aſſyriæ*: quam eſſe Lunam, ſatis jam demonſtratum eſſe ait ab aliis. Ceterum cum Venus veteribus eadem credita fuerit cum Luna, facile Cl. Autor concedit, nomine *Gad* etiam Venerem hoc loco intelligi. Nam & Venerem & Lunam olim creditam fuiſſe cauſam fœcunditatis & generationis. Imo cum Luna dominari crederetur in ſublunaria, & felicitatis mater haberetur, ideoque nomine *Fortunæ* ſignaretur, Cl. Autor putat, etiam Fortunam ſignari nomine *Gad*. Atque hinc locum illum *δυσνόητον Geneſ. XXX, 11* explicat, ubi Lea præ gaudio exclamat בְּגָד hoc eſt, *Feliciter*. Veniens hinc Cl. Autor ad alterum nomen *Meni*, ex linguarum conſenſu oſtendit, eo ſignificari *Lunam*, gaudens, multos doctiſſimos Viros jam ea eſſe in ſententia. Denique oſtendit, Lunæ cultum in oriente olim fuiſſe frequentiſſimum.

Diſſ. V de idolo אחד *Jeſaiæ LXVI, 17* diſſeritur. Plerique id nominis exponunt per *unum*. Alii, qui ſenſerunt, eſſe illud certi idoli nomen, innui crediderunt *Adadum*, idolum Phœnicium.

At

At Noſter, de *Hecate*, inferorum regina, ſermonem hic eſſe, contendit, idque probat primo ex ipſo nomine, cujus & natales docte inveſtigat, deinde ex cultu huic idolo exhibito: qua occaſione verba Jeſaiæ explicat & ex antiquitate luculenter illuſtrat.

Diſſert. VI duo veteris Teſtamenti idola conſiderantur, *Baalzebub* & *Miphlezeth.* Cl. Autor vulgarem opinionem, qua Baalzebub fuiſſe creditur Deus muſcarum averruncus, rejicit, eoque nomine *Plutonem* deſcribi ſtatuit, qui præſes inferorum ac princeps dæmonum a priſcis fuit habitus, itemque *Dominus mortis*, per ſacrificia imploratus, ut vitam hominibus prorogaret. Atque hoc nomine eum adoratum fuiſſe Cl. Autor credit a Rege Achazo *2 Reg. I.* Adducit etiam rationes aliquot, cur Deus ille dictus fuerit Baalſebub, inter alia docens, dæmones a Rabbinis vocari ſolere זבובים. Hinc de *Miphlezeth* agit, per eam intelligens *Hecaten*, inferorum Reginam, Plutonis conjugem, derivans ejus nomen a פלץ, *tremuit*, *terruit.*

Diſſert. VII Cl. Autor, quodnam divinandi genus אוב in ſacro codice vocetur, diſquirit. Vulgo putant, *ventriloquos* ſive ἐγγαστριμύθους intelligi. At hujus ſententiæ fundamenta Noſter oſtendit eſſe minus firma. Ac Juriæus omiſſa hac ſententia novam excogitavit, ſtatuens, per אוב intelligi *vas aqua plenum*, in quo imagines defunctorum conſpectæ fuerint edita ſimul exili voce. Sed & hanc opinionem argumentis inniti imbecillibus, Cl. Autor docet, hactenus tamen verum vidiſſe Juriæum largitur, quod ad necromantiam retulit hoc divinationis genus. Putat igitur Noſter, per אוב Manes fuiſſe evocatos, ut reſponſa darent conſulentibus: idque probat primo inſpectione locorum ſacrorum de illa divinatione agentium, tum ex conſenſu aliquot Rabbinorum, denique ex vocis אוב ſignificatione Arabica. Ceterum per אובות capi jubet ipſos νεκρομάντεις, qui Manes eliciebant elicitosque conſulebant: quorum ſuperſtitioſas opiniones ac ritus exponit pluribus.

Diſſert. VIII Magorum Orientis nomina in ſacro codice obvia, חרטמים, חברים, & כמרים, exponuntur. Ac primos quidem, LXX Interpretes ac nonnullos Rabbinos ſecutus duces, Cl. Autor interpretatur *rerum latentium interpretes.* Per ſecundi or-

dinis Magos eos capit, qui conſtringere efficaciter & ligare poſſe credebantur, adeoque nocendi facultate privare, vel dæmones vel ſerpentes aliaque venenata animalia certis carminibus magicis. Per tertium genus intelligit *incenſores* thuris, qui ſimul ex thuris ſuffitu divinabant.

Diſſ. IX legem *Deut. XXII, 5* contemplatur de commutatione veſtium utriusque ſexus prohibita. Hic primo Cl Autor aliorum de hac lege ſententias recenſet atque examinat, deinde ſuam exponit & confirmat. Scilicet multi & Rabbinorum & Chriſtianorum ita iſtam legem interpretantur, ut mulieribus armorum uſus interdictus ſit. Alii putant, hac lege vetari idololatriam Zabæorum, qua mulieres Martem indutæ armis virilibus, viri Venerem veſtibus muliebribus amicti, colebant. Utramque ſententiam Cl. Autor refellit, oſtenditque, ſingula legis illius verba erudite explicans, prohiberi hac lege promiſcuum veſtium utriusque ſexus uſum. Ad rationem hujus legis quod attinet, Cl. Autor ideo promiſcuum veſtium uſum a Deo credit prohibitum eſſe, (1) ne ordo naturæ confundatur, ſed diſtinctio ſervetur mares inter & feminas, (2) ne eo modo præbeatur occaſio libidini, (3) ne Iſraelitæ ea ſe idololatria contaminarent, qua inter ethnicos viri muliebri, mulieres virili veſte indutæ ſacra faciebant. Qua occaſione Cl. Autor etiam de illa ethnicorum ſententia diſſerit, qua Diis ii ſuis, e. g. Veneri, tribuebant ſexum utrumque.

Diſſert. X, quæ longior ceteris a p. 301 usque ad p. 447 procedit, *de Mohammediſmo ante Mohammedem* inſcripta eſt. Oſtendit enim hic Cl. Autor, Mohammedem, hominem minus doctum, neque adeo ad novam effingendam religionem idoneum, ethnicorum, Judæorum atque Chriſtianorum compilaſſe ſcrinia veluti graculum quendam Æſopicum. Et ex Arabum quidem, inter quos natus & educatus erat, inſtitutis, præter unius Dei cultum ac mortuorum reſurrectionem, quas doctrinas præſtantiſſimi Arabum jam dudum profitebantur, retinuit morem templum Meccanum frequentandi, faciem inter precandum ad Cabam convertendi, Meccam quotannis iter faciendi, ritum item lapillos in valle Mina conjiciendi. Imo Cl. Autor, Mohammedem etiam circumciſionis ritum, varias item lotiones & jejunia, abſtinentiam

tiam

tiam a carne ſuilla, cultum diei Veneris, accepiſſe ab Arabibus, contendit, docens, vetuſtas illas fuiſſe Arabum ethnicorum religiones. Cumque illo tempore etiam Chriſtiana religio radices egiſſet in Arabia, Neſtorianorum maxime ſecta, factum hinc eſſe oſtendit Cl. Autor, ut Mohammed non ſolum plurima e Novo Teſtamento insereret Alcorano ſuo, verum etiam e Tatianorum hæreſi mutuam ſumeret abſtinentiam a vino. De Judæis Autor initio manifeſtum facit, ingentem eorum multitudinem tum temporis in Arabia vixiſſe, ipſumque Mohammedem Judæi cujusdam, cui nomen Abdalla Ebn Salam, opera uſum fuiſſe ad novam ſuam exornandam religionem. Hinc ſingulatim recenſet doctrinas, fabulas, ac ritus, quas e Judæorum fontibus hauſit Mohammed, Rabbinorum loca cum Alcorano aliorumque Mohammedanorum libris diligentiſſime conferens. Nimis longum foret hæc omnia perſequi. Sufficiat igitur indicaſſe, ex hac diſſertatione luculenter apparere, Cl. Autorem cum in Rabbinorum, tum in Mohammedanorum ſcriptis eſſe verſatiſſimum.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE des Sciences. A. 1721.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM A. 1721, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem anni.

Pariſiis, ex typographia Regia, 1723, 4.

Alph. 2 plag. 9 Tabb. æn. 17.

IN *Phyſica generali* inter petrefacta in Gallia reperta duo prorſus ſingularia producit in medium de *Juſſieu*, granum ſcilicet arboris triſtis, quæ nonniſi in inſulis Canariis atque Indiis orientalibus effloreſcit, in Itinerariis decantata, & maxillam piſcis Sinenſis. Probat *Fontenellius*, quod *Leibnitium* ſenſiſſe conſtat, hiſtoriam globi noſtri terraquei deperditam aliquando ex iſtiusmodi foſſilibus reſtitutum iri. D. 27 Febr. anni 1723 ab hora tertia pomeridiana usque ad quartam *Maraldus* quatuor parhelia

obſervavit & phænomenon obſervationibus *Lycoſthenis*, *Hevelii* atque *Zahnii* conforme deprehendit. Ceterum probat *Hugenianum* de eodem ſyſtema. *De Mairan* ſuſpicatur, unum tantum eſſe parheliorum phænomenon; diverſitatem vero inde oriri, quod ex defectu materiæ refractivæ ſubinde tantum partes videantur. Idem *Maraldus* auroram borealem obſervavit aliquoties anno 1720 menſibus Februario, Martio, Novembri atque Decembri, & d. 17 Febr. anni 1721. Hoc phænomenon apparere arbitratur, ſi plures anni ſicci ſe mutuo conſequantur, inductione obſervationum confiſus. *De Reaumur* in geneſin ſilicis inquirit, quo ad excitandum ignem utimur. Cum ſilices inter lapides communes & in ſilicibus chryſtallos repererit, eandem omnium lapidum, quos in tria iſta genera partitur, originem eſſe cenſet; diverſitatem nonniſi ex accidente oriri. Diſtinctam *Succi lapidifici* notionem exhibet, quem conſiſtere ſtatuit in ſabulo quodam ſubtiliſſimo aquæ permixto. Si particulæ hæ exiguæ ſucceſſive deponantur, oriri chryſtallos. Sabulum iſtiusmodi poſſe formari ſolo aquæ in lapides irruentis attritu. Quodſi ſuccus lapidificus ſabulum atque arenam irretit, lapides naſcuntur communes; ſi vero lapides communes ſpongioſi ſuccum lapidificum attrahant, ſilices oriuntur. *De Mairan* perficit meditationes ſuas de cauſa generali frigoris hiberni & caloris æſtivi, quas in Commentariis anni 1719 propoſuit, dum accuratius determinare docet quantitatem luminis ab atmoſphæra intercepti pro diverſa Solis altitudine. Idem deſcribit varios ſilices, & repetitis ope hodometri obſervationibus didicit, paſſus in aſcenſu eſſe longiores, in deſcenſu breviores, cujus rei rationem ex ſitu crurum in aſcenſu & deſcenſu diverſo reddere conatur. D. 1 Junii ſeu ipſo die Pentecoſtes Sol inſtar Lunæ absque radiis viſus Pariſiis & in locis vicinis, aere licet ſereno. *De Mairan* obſervavit, colorem cœli fuiſſe obſcurum, qualis nocte ſerena obſervatur. Quidam mane Solem viderant obſcuratum, ita ut eclipſin pati ipſis videretur. Obſcuritas ejus diei ſimilis ipſi apparuit cum ea, quam d. 12 Maji A. 1706 in eclipſi Solis totali notavit. *Caſſinus* idem phænomenon in Picardia eodem tempore vidit, & de *Louville* autor eſt, quod etiam viſum fuerit Arvernis & Mediolani. Proſtat de hoc phæno-

no-

nomeno diſſertatio non inelegans phyſico-hiſtorica Cl. *Thümmigii*. In Inſula *S. Michaelis*, quæ eſt Acorum una, cum terræ motus perciperetur, ad 28 circiter milliarium Gallicorum diſtantiam inter eam & *Terceram* apparuit torrens ignis, qui duobus novis ſcopulis ortum dedit. *Maraldus* quantitatem aquæ pluvialis A. 1720 reperit 17 digitorum & 2 linearum, & menſe Septembri atq; d. 2 Jan. 1721 declinationem acus magneticæ 13 graduum verſus occaſum. *De Reaumur* de conſiliis meditatur lignorum proventum augmentandi, cum etiam in Gallia metuant damna ex defectu.

In *Anatomicis* tunicam internam inteſtinorum tenuium examinat *Helvetius* una cum nervoſa & carnoſa. Internam negat eſſe villoſam; affirmat eſſe papilloſam. Villos nonnullis viſos eſſe papillas diſſectas. In tunica carnoſa præter fibras circulares deprehendit etiam longitudinales, ſed valde tenues: quæ ratio, cur vulgo non fuerint animadverſæ. Circulares quæ dicuntur, integram perimetrum non abſolvunt, nec in ſe redeunt ad ſpiram accedentes. Membranam nervoſam non ex fibris nervoſis, ſed tendineis eſſe contextam, oblique ſe mutuo interſecantibus. *Winslovv* ſiſtit puerum ex imaginatione matris absque oculis natum. Idem obſervationes aliquot circa mechaniſmum muſculorum oculi, de iride & poroſitate tunicæ corneæ communicat.

In *Chymicis* alcali ſalis Armoniaci volatilius eſſe docet Lemery phlegmate ſive aqua, immo ſpiritu vini. Salia autem volatilia alcali cum acido unita volatilitatis minorem gradum acquirere, ita ut volatilitati aquæ æqualis fiat, nec ipſa vi caloris niſi cum hoc elevari poſſint. Quodſi vero ab acido liberentur, eadem ante phlegma in forma ſicca elevari. *Godofredus* junior ſalia plantarum eſſentialia ſub examen revocat. Miram hic occurrere notat naturæ varietatem, cum ſal eſſentiale non in integra planta, ſed nunc in radice, nunc in cortice, nunc in floribus, nunc in fructibus reperiatur, immo ne in his quidem partibus integris, verum in aliis minoribus. Imprimis autem notatu dignum eſt, quod oleum eſſentiale, unde odor corporis pendet, perinde ac pinguedo in animalibus, veſiculis ſeu cellulis concluſum contineatur. Ut una operatione citra rectificationes iteratas ſæpius idem obtineas, mixtum in ſpiritu vini menſtruo minimum ſpatio macerari & deinde in balneo

Digitized by Google

Mariæ deſtillari jubet. Reperit etiam, quæ hac methodo præparantur, per annos complures minime alterari.

In *Botanicis* nova genera plantarum cum floribus compoſitis condit *Vaillant*, & aliud *Iſnardus*, quod *Monoſperma-Althæa* ab ipſo appellatur.

In *Geometricis* problema Geometriæ practicæ ſeu ſtereometricum de inveſtiganda capacitate navis ſolvere tentant *Varignonius* atque *de Mairan*. Cum figura navis geometrica non ſit, ut ſoliditatem determinare poſſet *Varignonius*, navem ejus figuræ concipit, ut ſingulæ ſectiones, ſive horizontales, ſive verticales, ſint ellipſes. *De Mairan* ſub incudem revocat regulas uſitatas & eam ceteris præfert, qua partis ab onere impoſito ſubmerſæ duæ ſuperficies horizontales in unam ſummam colligi jubentur, hujus dimidio ulterius per altitudinem partis immerſæ multiplicato. Neque enim niſi partis immerſæ ab onere impoſito ſoliditas quæri ſolet. Conſideratur autem ea in praxi communi inſtar pyramidis truncatæ, non attenta curvedine laterali, & ea æqualis ſumitur priſmati ejusdem altitudinis, cujus baſis eſt medium arithmeticum inter baſes pyramidis truncatæ : quod in rigore Geometrico non eſſe verum, notiſſimum eſt. Tandem tamen largitur, has aliasque difficultates non eſſe tanti momenti, ut praxis illa admodum commoda ideo ſit rejicienda. Cum *Bouguierus* methodum *Varignonianam* & alteram a *Mairanio* probatam ad praxin transferret, illam $\frac{1}{71}$ hanc nonniſi $\frac{1}{104}$ a vero aberrare deprehendit.

In *Aſtronomicis* Venerem a Luna d. 31 Dec. A. 1720 eclipſatam obſervarunt *Caſſinus* atque *Maraldus*. Eclipſis erat centralis & Lunæ ætas nonniſi duorum dierum. Venus emergens arcui lucido in medio inſidebat, ut vulgus portentum judicaret. Contigit immerſio h. 3 18′ 17″ & emerſio h. 4 33′ 52″. Nullum ſeſe prodidit atmoſphæræ indicium. Cum eclipſis interdiu eſſet obſervanda, teleſcopium in Venerem directum ope machinæ parallacticæ a *Caſſino* ſeniori ad obſervationes ſtellarum diurnas inventæ, quæ cum a *Caſſino* juniore atque *Maraldo* fuerit perfecta, hic accurate deſcribitur. Idem *Caſſinus* theoriam parentis de motu librationis Lunæ uberius confirmat, quod is oriatur ex combinatione motus revolutionis circa Tellurem & motus vertiginis

circa

circa proprium axem, qui intervallo 27 dierum & 5 horarum abſolvatur, eodem ſcilicet tempore, quo Luna ad nodos reſtituitur. *De Louville* mutabilitatem eclipticæ, qnam in his Actis operoſe adſtruxit, novis obſervationibus confirmat. Nimirum cum eam A. 1716 deprehendiſſet 23° 28′ 24″, in Solſtitio æſtivo anni 1721 eam 3 ſcrupulis ſecundis imminutam invenit. Ex ipſius enim hypotheſi intervallo unius ſeculi non niſi unico minuto mutatur. Quanta cum circumſpectione ac ſcrupuloſitate altitudines meridianas obſervarit, ut ne in ſcrupulis ſecundis a veritate aberraret, cum cura exponit. *Caſſinus* d. 24 Jul. A. 1721 præſente Rege obſervavit eclipſin Solis, ſed tempeſtate minus favente. Hor. 7 min. 22 eclipſis erat digiti dimidii; ſed min. 32 integri. *Deliſle* ſenior juſſu Regis compoſuit mappam Geographicam de expeditione Cyri, ut ipſi uſui eſſet in lectione *Xenophontis*, ubi ea deſcribitur. Multas reperit difficultates in contextu *Xenophontis*, quas enucleat. Inter eas notatu dignum eſt, quod ſtadia *Xenophontis* fere dimidia modernorum deprehenderit: reperit enim gradum cœleſtem fere 1100 ſtadiorum *Xenophontis*, cum moderna 600 eidem ſufficiant. Idem annotationes exhibet in mappam geographicam maris *Caſpii*, quam Ruſſorum Monarcha ad Academiam Scientiarum miſit.

In *Mechanicis*, menſuram virium vivarum *Leibnitianam* impugnat de *Louville*, quod *Wolfius* eandem in curſu Mathematico adoptaverit, ne ipſius autoritate vires novas acquirat. Notum vero eſt, eandem quoque adoptaſſe *Joannem Bernoullium*, *Hermannum* & *Polenum*, ac nuperrime in eadem caſtra tranſiiſſe quoque *Graveſandium*, cum antea ſententiæ communi ſubſcripſiſſet. Neque vero *Bernoullius*, *Wolfius*, ceterique ex præjudicio autoritatis menſuram *Leibnitianam* receperunt. Etenim *Bernoullius* propriam invenit demonſtrationem, quam in Elementis Mechanicæ exhibuit *Wolfius*: integram de virium æſtimatione diſſertationem conſcripſit *Hermannus* & menſuram *Leibnitianam* ab objectionibus liberavit. *Polenus* per experimenta in veritatem theorematis *Leibnitiani* inquiſivit & *Wolfius* demonſtrationem invenit in motu æquabili, antequam ederet Elementa Matheſeos uniververſæ, quam jam A. 1710 cum *Leibnitio*, illuſtri Comite de *Herberſtein*, *Haſio*, Profeſſore nunc Wittebergenſi, aliisque communi-

cavit,

cavit, ſed quoniam eam ex genuinis Dynamicæ principiis deduxerat, poſtea Elementis ſuis inſerere noluit, quod *Leibnitio* non commodum videretur, aliquam principiorum *Dynamicæ* partem ante in publicum proferri, quam ipſi ad *Dynamicam* condendam animum appellere liceret. Et ſane ex *Dynamicæ* principiis facillime reſpondetur ad argumentum, quo *de Louville* impugnavit theorema *Leibnitianum.* Reducit enim aſcenſum gravium, juxta notiſſimum *Gallilæi* theorema, ad motum æquabilem, & in motu æquabili ſumit, vires eſſe ut ſpatia eodem tempore percurſa. Eninvero per principia *Dynamica* aſſumtum nagatur. Licet enim vires ſint in aſcenſu gravium ut altitudines, ad quas gravia aſcendunt; in motu tamen æquabili ſunt ut celeritates ad ſpatia applicatæ, corpore exiſtente eodem. Alia enim eſt ratio virium, quæ ab effectu abſorbentur; alia virium purarum, ubi vires ab effectu non abſorbentur, ſed eædem perſiſtunt. In priori caſu demonſtrationem dederunt *Leibnitius* atque *Bernoullius*; in poſteriori eandem repererat *Wolffius*, qui impetus ſeu facta ex maſſa in celeritatem ad ſpatia eodem tempore deſcripta applicaverat, propterea quod effectus puri ſunt in ratione compoſita maſſarum & ſpatiorum, actiones autem in ratione compoſita effectuum & velocitatum. *Saulmon* in formulas generales motus corporum elaſticorum inquirit & inter alia poſtliminio revocat theorema *Carteſianum* de eadem motus quantitate in univerſo conſervata. Arbitratur enim, motum, qui in conflictu perditur quoad apparentiam, recipi a materia ſubtili elaſticitatis cauſa & in ea conſervari. Tractat etiam de theoria centri gravitatis communis duorum corporum in ſe mutuo impingentium. *De Reaumur* medelam deſcribit, quam rhedæ attulit, ut per vias ordinariis anguſtiores & in orbitis admodum profundis absque difficultate vehi poſſet.

Mortuus eſt hoc anno *Marcus Renatus de Voyer de Paulmy d'Argenſon*, natus *Venetiis*, d. 4 Novembr. A. 1652, patre *Renato de Voyer de Paulmy* Comite *d'Argenſon*, qui Legati munere fungebatur. Patrono uſus Comite de *Pontchartrain*, rationum adverſarum Cenſore generali, ad dignitatem Magiſtri libellorum ſupplicum evectus & elapſo triennio ſumma Reip. in urbe *Pariſiorum* adminiſtratio A. 1697 curæ ipſius demandata. Muneri tam

arduo

Digitized by Google

arduo maxima cum laude præfuit & præclaras animi dotes abunde prodidit. Cum A.1709 & 1710 annonæ caritas exiſteret, plebs injuſta ira adverſus ipſum exarſit, etſi omni modo calamitati huic medelam afferre ſtuderet. Accidit itaque quodam die, ut in domo obſideretur, quam flammis feralibus tradere decreverat multitudo: at *Argenſonius* imperterritus, foribus apertis plebem male ſanam allocutus, turbas feliciter ſedavit. Meruit hoc facto, ut ad dignitatem Conſiliarii Status admitteretur. In incendiis ſemper primus adfuit &, quid fieri debeat, præcepit. Etſi publica urbis cura ipſi plurimum negotii faceſſeret, hoc tamen non obſtante Rex aliis quoque negotiis majoris momenti eum quam ſæpiſſime adhibuit. Quoniam ab ipſius imperio pendebant artifices & opifices, Academia, ſcientiarum, artium & opificiorum deſcriptionem molita, A.1716 eum in numerum Sociorum honorariorum recepit. Mox regni Adminiſtrator eum negotiis maximi momenti admovit & tandem initio anni 1718 ſigillorum cuſtodem conſtituit & ærario regio ſumma cum poteſtate præfecit. Cum quædam ipſius conſilia de ære alieno ſtatus diminuendo non probarentur & alia iisdem præferrentur, initio An. 1720 ærarium dimiſit & menſe Junio ejusdem anni conſultum duxit, ut etiam Sigilla ex cuſtodia ſua redderet, quamvis gratia Principis minime exciderit. Obiit d. 8 Maji A. 1721, duos relinquens filios, alterum ſucceſſorem in adminiſtranda re publica urbis, alterum vero Conſiliarium Status & Præfectum *Malbodenſem*, atque filiam unicam, nuptam *Colandio*, Mareſchallo campi & commendatori Ordinis S. *Ludovici*.

DANIELIS BERNOULLII, BASILEENSIS, JOH. Filii, Exercitationes quædam Mathematicæ.

Venetiis, apud Dominicum Loviſam, 1724, 4.
Plag. 12 Tab. æn. 1.

EXercitationes hæ enatæ ſunt occaſione controverſiæ, quæ Cl. Autori cum *Joanne Rizzetto* circa problema aliquod ad calculum probabilitatum de ludis pertinens, & cum Comite illuſtri *Jacobo Riccato* circa vim, qua aqua ex vaſe per foramen ejicitur, interceſſit. Controverſia intra privatos parietes agitata publici facta eſt

juris, ut obtrectationibus *Rizzettianis* & *Riccatianis* obex poneretur. Ut ſterilitati occurreretur, variæ hinc inde meditationes Mathematicæ interſeruntur. Controverſia prior concernit caſum ſimpliciſſimum ludi *Pharaon*, in quo calculando hallucinatos fuiſſe *Monmortium* in libro ſuo & *Joannem Bernoulli* in epiſtola eidem oppoſita, contendit *Rizzettus*. Anſam inde arripit Noſter adjiciendi diſſertationem de ludo *Pharaon*, ubi vitatis ambagibus *Monmortianis* ſortem œconomi breviſſimo calculo generaliter determinat & tabellam lucrorum œconomi in hoc ludo *Monmortiana* concinniorem & exactiorem condit. Occaſione vero ejusdem controverſiæ methodum tradit generalem inveniendæ ſummæ omnium ſerierum numerorum integrorum, differentias primas, ſecundas, tertias &c. conſtantes habentium, diverſam ab ea, quæ legitur in Actis A. 1720 p. 27, & ubi generalius, quam par erat, enuntiatur, ſeries omnes, modo certam progreſſionis legem ſervent, ad formulam aliquam generalem reduci poſſe. Univerſalitatem aſſerti inſtantia infringit Noſter. Sit enim ſeries 1. 3. 4. 7. 11. 18, 29 &c. in qua quilibet terminus duorum præcedentium ſumma. Se demonſtratum habere affirmat, quod ea nunquam ad terminum generalem reduci queat. Quod controverſiam alteram attinet, notari quidem meretur, Virum ſummum *Newtonum* in priori editione Principiorum vim, qua aqua per foramen ex vaſe ejicitur, feciſſe æqualem preſſioni cylindri aquei foramini ad perpendiculum inſiſtentis; in poſteriori autem cum *Hugenio* duplici preſſioni iſtius cylindri æqualem ſtatuiſſe. *Michelottus* in libro de ſeparatione fluidorum priorem *Newtoni* ſententiam ſtabilivit, at poſteriorem defendit *Riccatus*, invito *Bernoullio*, qui cum *Michelotto* facit. Multa afferuntur, quibus hoc argumentum oppido illuſtratur.

Subjicit appendicis loco explanationem notationum ſuarum, quæ extant in Actis Supplement. Tom. VIII Sect. II, una cum ſolutione problematis Riccatiani ibidem p. 73 propoſiti, quam proxime integram in Supplementis exhibituri ſumus. Subjungit ſecundæ appendicis loco problema aliquod Geometricum una cum controverſiola ejusdem occaſione orta. Problema Cl. Autori propoſitum ab amico tale eſt: *invenire methodum determinan-*

minan-

minandi infinita & omnia ſpatia ſeu lunulas inter duos arcus circulares ſe invicem ſecantes contentas quadrabiles. Ex ejus ſolutione porro deducit ſolutionem problematis alterius de lunulis circularibus a Cl. *Goldbachio* propoſiti.

RAYMUNDI DUELLII, VENDIBONENSIS, Regul. S. Auguſtin. Canon. & Bibliothec. Sand-Hyppolytenſis, Excerptorum Genealogico-Hiſtoricorum Libri duo. Accedunt Appendices II.

Lipſiæ, apud Petr. Conr. Monath, 1725, f.
Alph. 4 pl. 23 cum figg. æri inciſ.

QUæ in *primo Miſcellaneorum Tomo* expectari a nobis voluerat, excerpta e diplomatibus Sand-Hippolytenſibus, ad Hiſtoriam medii ævi, remque Genealogicam imprimis facientia, ea nuper accurata nitidaque editione prodire juſſit Plur. Rev. Duellius. Quamvis autem non unius incommodi evitandi cauſa, tum & alios, integra diplomata prodere dubitantes, ad ſimile inſtitutum adducendi animo, hanc excerpendi methodum elegerit, ſedulo tamen id operam dedit, ne quicquam memoria dignum, ac minime omnium conſuetas juris formulas, in chartis antiquis occurrentes, prætermitteret. Cumque eam ſerio præ ſe ferat intentionem, ut ad ſequendum alii hoc labore alliciantur, non ſolum in præfatione conſilia cautionesque ſuggerit, quomodo in judicanda chartarum ætate, edendisque diplomatibus docte ac prudenter verſandum ſit, verum & ſpecimina quædam ſcripturarum veterum a ſeculo VI ad Secul. XV uſitatarum, partim a *Mabillonio* mutuata, partim e codicibus chartisque ſuis collecta, quatuor tabulis exhibet, itemque in ipſo opere paſſim initia Diplomatum vetuſtiorum, notabili charactere exſcripta, profert. Libro I dedit excerpta e tribus chartulariis Canoniæ regularis Sand-Hippolytenſis, tresque idcirco ejus voluit eſſe partes. Chartularium primum, quod libri hujus Pars I refert, duobus membraneis voluminibus conſtat, olim ſeparatis, quorum prius chartas LXVIII complexum, Sec. XIV exeunte ſcriptum, alterum XXI chartas continens, Sec. XIII ſeneſcente exaratum judicat, præterquam

quod in poſtica parte ultimæ paginæ manu Sec. XV literæ Georgii Epiſcopi Patavienſis & Gerungi Præpoſiti Sand-Hippolytenſis
p. 29. adjectæ noſcantur. In parte hac I antiquiſſimum eſſe diploma *Henrici IV Imp.* A. 1058 datum, recentiſſimas vero Magiſtri Alberti & Joannis Præpoſiti Sand-Hyppolyt. chartas annum 1370 præferen-
36. tes, obſervavimus. Alterum chartularium, ad quod excerptorum Pars II ſpectat, membraneum, Sec. XIV a Joanne Præſule, qui circa A. 1370 Eccleſiæ colleg. præeſſe cœperit, conſcriptum, ex rubricis chartæ 28 & 33 probat. Extant hac parte chartæ CXXII
41. in quibus vetuſtate eminet *Ottocari R. Bohem.* diploma de A. 1270,
67 ſeqq. iterum vero chartæ quædam, nimirum a N. CX ſubſequentes, Sec. XV & N. CXV ſeculo demum XVI acceſſerunt. Tertium Chartularium, in partem III redactum, ex authenticis transſcriptum manu Sec. XVI nondum adulti, docet. Hujus voluminis chartæ CLXXV, quarum nulla annum 1540 ætate ſua attingit, niſi quas exiguo numero ſubſequa manus adjunxit, quemadmodum a chartis poſt A. 1500 conceptis Noſter in hoc opere omnino abſtinuit, præter eas, quæ antiquiores confirmare viderentur. Eſt inde ce-
118. teris omnibus ætate prior charta Ottonis Comitis de Eberſtain, A.
87. 1248 ſignata, interq; illas manu priore deſcriptas, noviſſima charta Wolfgangi Præpoſiti Sand-Andreani, quæ annum 1520 exprimit.
125. Sequitur *Necrologium Sand Hippolytenſe* Sec. XIV inchoatum, va-
166. riis poſthac ſcripturis ad finem Seculo XVI perductum, idque non integrum, ſed ejus potius excerpta, ſubnexis XXX *chartis confœderationum*, opera adm. Rev. *Ildephonſi Hierſchii*, Canon. reg. Sand-Hippolyt. Noſtro voti laborisque ſocii, producuntur. Qui jam ſuccedit Liber II excerptorum, primo loco ſiſtit 500 ſigilla & bullas, Imperatorum, Pontificum, Ducum, Nobilium, Epiſcoporum, Canonicorum, Univerſitatum, quæ e diplomatibus Sand-Hippolytenſibus propendent. Ea accurate in æs inciſa tabulis 41 ſecundum annorum ſeriem a Seculi XII anno 76 incipiendo, usque ad A. 1497 diſponuntur. Equidem Germanicarum Antiquitatum amatoribus ea res non poteſt non grata acceptaque eſſe, cum jam præclara quondam *Celeb. Heineccii* opera inſignem ſigillorum veterum uſum in Antiquitatibus non minus, quam in re Diplomatica, Heraldica, Genealogica, & in ipſa Hiſtoria, demonſtratum dederit.

Digitized by Google

derit. Alteram libri II partem conficiunt diplomata CCXCIX, quæ in chartulariis deſiderantur, ab A. 1160 usque ad A. 1500 prodita, initio facto a Bullis Ruperti & Wolfgeri Epiſcoporum Pa- p. 175. tavienſium, ob formam literarum, in lineis initialibus repræſentatam, conſpicuis. Luſtrabimus nunc Appendices, quæ ipſi operi magnitudine ſua parum cedunt. Prior *Joannis Hollandi* & *Jacobi Pütrichii Rhythmos* Sec. XV *de familiis Bojoariæ, quæ ludis Equeſtribus interfuere*, conſcriptos producit e Bibliothecæ Sand-Andreanæ codice Sec. XVI exarato, ſcutaque familiarum gentilitia e lateribus verſuum depicta referente, quæ in tabulis 5 junctim exhibentur. *Jo. Hollandus* Eckenfeldenſis Bavarus, Præco, Imp. Sigismundi aulam ſecutus, rhythmos ſuos poſt ludos equeſtres Schaphuſæ A. 1392 celebratos in honorem Nobilium Bojorum, monitu Caſp. Schlickii Cancellarii Imperat. compoſuit. Eos primum, in *Stemmatographia Bojoarica*, Hundius edidit, tribus exemplaribus uſus. Sed ab Hundii editione Duellianum exemplum, (olim a *Lazio* Biblioth. Cæſ. Præfecto communicatum,) in permultis diſcrepat, ut in margine ſtudioſe iſta annotari cernimus. *Jac. Pütrich*, Reichertshuſanus, e Nobili Bojorum familia oriundus, epiſtolam ſuam, quam vocat, den Ehren-Brief, A. 1462 ad Mathildem Ludovici Palatini filiam, Ludovici Würtemb. primum, deinde Alberti VI Archi-Ducis Auſtriæ, conjugem, elaboravit. Etſi vero in elogio ejus iconi ſubſcripto audiat: Ein Poet Teutſch nit unlieblich, hiulco tamen triſtique adeo ſcribendi genere, verbisque horridis, inſolentibus, & in rhythmos coactis utitur, ut inſtar omnium rudis iſtius ſeculi infelicium ſcriptorum eſſe queat, eoque unice, quod in familiis deſcribendis planior ſit, in lucem proferri meruerit. Appendix II *Syntagma Antiquitatum & Sigillorum incerti temporis, aut alienorum*, a Noſtro inſcribitur. Non contemnenda varii ævi monumenta in hac, ſed citra temporum ordinem, figuris in ære delineatis conſpicienda præbentur, obſervationibus partim illuſtrata, partim aliorum examini relicta. Nos extantiora recenſebimus. Primo depingitur litera initialis Antiphonarii membranei, ſub finem Sec. XV exarati, in qua Præpoſiti Sand-Hippolyt. quatuor ad genua Servatoris provoluti comparent, ipſi, ut & Servator, & Canonici 50 in eodem

 libro

libro depicti, mitellis rubris operti, adjectæque ſunt imagini literæ LI, quibus exiſtimat *liberos* Præpoſitos indicari, ut in ſigillis Herzogenburgenſis Monaſterii ſimile quid animadvertit. Poſt monumentum ſepulcrale vetus, præcipue tutelares Sand-Hippolytenſes, S.S. Auguſtinum & Hippolytum exprimens, ſigilla ſex conſpiciuntur, in quibus eminent ſigillum Liberæ civitatis minus, & ſig. *Leyſerianum*, qua occaſione hujus antiquæ Gentis Stemmatographia inſeritur, duabus aliis, nempe *Lasbergiana*, & *Geyeriana*, nunc *Comitum de Geyerſperg*, comitantibus. Sub N. 9 lapis vetuſtus eſt, prope Hippolytopolin effoſſus, in quo conſpicuas columbas ad amici lapidem ponentis affectum, delphines vero ad ſtatum liberti refert, inſcriptionemque ita legit: *Marco* NAMMIO *Marci* LIB*erto* SVRION*i* ANN*orum* L VLP*ius* SPERATVS AMICO FEC*it*. N. 10, Majoris formæ numiſma *Malateſtam Novellum* repræſentat, opus pictoris *Piſani* numiſmatum inſtauratoris. Sigilla iterum inſerta tria excipit N. 13 monumentum vetus Rom. peculiari diſſertatione a *Cl. Schvvartzio* aliquot abhinc annis illuſtratum, quod fœminæ infantem uberibus admoventis imaginem oſtentat, inſcriptione addita: T. CLAVDIVS. SVRVS, ET ULPIA. RESTITVTA. V. S. ET. CL. JVLIÆ. FIL. ANN. XX. H. S. EEC. N. 14-22 alia monumenta ſine inſcriptionibus ſiſtuntur e parietibus Eccleſiæ parochialis Pechlarienſis, diverſas figuras exhibentia, quæ tamen nec omnia Romana credimus, & imprimis lapidem N. 19 ſepulcralem duorum Eccleſiaſticorum agnoſcimus. N. 23 Icuncula muliebris ex alabaſtro confecta, minioque inducta, Noſtro Parcarum una videtur, propter coli & fuſi indicia, ſed obſcura ſatis. N. 24, 25, 26, Fundatores Eccleſiæ *Tirnſtainenſis*, cujus chartam fundationis *Miſcell. T. I p. 156* evulgaverat, e pictura vetuſta delineantur. N. 27, 28 extant inſignia *Tirnſtainiorum* & alia quatuor, ad familiam *Comitum de Riettenburg* ſpectantia. N. 29 lapis votivus Hippolytopoli etiamnum viſendus, cum inſcriptione: D. NEPTUNO. AQUARUM. POTENTI. *ob.* INDUCTUM. EI. (e) TRAGISA. FLVM*en*. MVR*is*. EIVS. A. V. P. L. L. M. Noſter explicat: *Accolæ votum poſuerunt libentiſſime merito*. N. 34 Epitaphium *Chriſtophori Nimptſchii* & 35 *Conradi Nimptſchii* Equitis Rhodii, deque illuſtriſſima hac gente tum alia quædam

dam tum præcipue excerpta e Regio Feudorum tabulario Princi- p. 312.
patus Suidnicenſis & Jaurienſis ſuppeditantur. In remotioris antiquitatis reliquiis ut deſinat, N. 36 ſſ. vaſcula fictilia tria in agro prope Hippolytopolin effoſſa, & numulum *Claudii Caſ.* in urnula repertum docte deſcribit, ſubjicitque numum *Auguſti* æreum cum triſulco Jovis fulmine, & nota reſtitutionis, item nummos *Conſulares duos* argenteos, quorum alter *Romæ* & *A. Spurilii*, alter, Victoriatus, *L. Piſonis*, forte iſtius *Frugi Conſulis*, nomina oſtentant. Sequitur poſt numum *Anaſtaſii* aureum, alius Macedoniæ primæ, *Dianæ* effigiem gerens, in cujus averſa facie clava Herculis cernitur, cum inſcriptione: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ, querna eam corona ambit, ſubjecto fulmine. De quo numo elegantiſſimo erudita *diſſertatio Romani P. Dom. Cæleſtini l'Orefice, Benedictini & Reg. Sicil. Hiſtoriographi*, inſeritur. Denique gemmæ 340 ſ.
duæ & numiſmata totidem aurea, unum *Romani & Conſtantii Impp.* alterum *Ottonis Archiep. Trevirenſis*, ob oculos ponuntur. Corollarii loco accedunt Epitaphia quædam Eccleſiæ B. M. in Wüntzendorff, inter quæ lapis, quo *Eliſabethæ, Conjugis Jo. Friderici D. Sax.* inteſtina obteguntur, item Epitaphia in Eccleſia Loſtorffenſi & in Eccleſia Capellen prope Hippolytopolin, ac in fine inſcriptio Romana, quam viridarium Arcis Transmurenſis, vulgo *Traiſenmaur*, ſervat: IMP. CAESARI. DIVI. HADRIANI. FILI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOTI. DIVI. NERVÆ. PRONEPOTI. T. AELIO. HADRIANO. ANTONINO. AUG. PIO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNICIAE. POTESTATIS. COS. III. P. P. ALA I. AVGVSTA. THRACVM. OPTIMO. PRINCIPI. Nemo nobis vitio vertat, quod in recenſendis Appendicibus longiores fuerimus, quippe ex iis Doctiſſimi Duellii ſingularis induſtria conſtare poteſt. Sed ne ipſis excerptorum libris eam parcius impenſam quis credat, commendandæ ſunt notæ & obſervationes perutiles doctæque chartis ubique fere ſubjectæ, quæ vel iis lucem afferant, vel uſum earum edoceant, & hiſtoriam medii ævi haud raro illuſtrent, teſtes aſſiduæ variæque lectionis. Ita ſtatim p. 4 ad *Diploma Rudolphi Habſp.* refellitur opinio de ſingulari ac proprio hujus conſilio abſtinendi a titulo Imperatoris, quia Romæ coronatus non eſſet: dein-

deinde obſervatio *de Advocatiis Monaſticis* inter regalia Imp. usque ad *Ottonis IV* tempora relatis, ſubnectitur. P. 24 in originem formulæ: *Apoſtolicæ ſedis gratia*, Epiſcopis uſitatæ, inquiritur. P. 51 annotatur, nobiles anno æt. viceſimo primo demum propriis ſigillis uti conſueviſſe. P. 220 monetur, in chartis Sec. XIV exeuntis & Sec. XV incipientis frequentiores fuſioresque cautionum formulas occurrere. P. 222 titulum: Erber, docetur, competiiſſe *Authentico*, ſeu *homini ſynodali*. Quæ ſpeciminis quidem loco ſufficiant: ſed nec id ſine præcipua commendatione indicandum eſt, excerpta hæc permultum adjumenti ad illuſtrandum Jus German. afferre, cum, quod initio laudavimus, ſolennes juris formulas & cautiones contractuum, aliorumque negotiorum, Noſter diligentiſſime enotaverit. Optamus ceterum, ut egregia iſta Noſtri opera plures ad excutienda ſcrinia clauſtraque, in quibus antehac monumenta vetuſta delituerunt, excitati, ejus in excerpendo induſtriam ſequantur, & eliminatis vulgaribus, quæque præter majorem voluminum molem nihil præſtare queant, exquiſitiora, & quæ uſum in Hiſtoria Germaniæ ſpondent, in publicum proferant.

THE SURVEY OF CORNWALL &c. BY RICHARD CAREW, of Antonie. &c,

hoc eſt,

RICHARDI CARÆI CONSPECTUS CORNwalliæ, & Epiſtola de præſtantia Linguæ Anglicæ, nunc primum edita. Acceſſit ejusdem Vita, Autore H. C.

Londini, apud Sam. Schapman & reliqu. 1723, 4.
Alph. 2.

CUm Conſpectus hic *Richardi Caræi, de Antonie*, Scriptoris, qui Cornwalliam illuſtravit, hactenus fere unici & accuratiſſimi, jam tum A. 1602 Londini prodierit, eoque caro hactenus pretio venerit, operæ pretium putarunt Angli, ut opus utiliſſimum recuderent. Ne tamen ſolus compareret, præmiſit vitam Autoris, qui in titulo primo ſub H. C. in altero ſub *Hugo C.* forte

ex

ex ipſa Caræorum familia, latere voluit, & acceſſit ſub finem Epiſtola nunc primum e ſchedis Caræi edita. Nos Conſpectu ipſo, cui nihil acceſſit, & Vita, quæ tota fere ex Ant. Woodi Athenis Oxon. nuper auctius recuſis, transſcripta eſt, prætermiſſis, ex Epiſtola pauca decerpemus. Probat in illa Autor, linguam Anglicam ſignificantem, facilem, copioſam & ſuavem eſſe. Quoad primum præſtantiam oſtendit linguæ Anglicæ præ Græca & Latina in literis, vocibus & phraſibus: plures enim habere Anglos literas quam Græcos, ut C; plures & quam Latinos, ut K & Y, & plures quam utroſque, ut W. In vocabulis monoſyllaba Anglo-Saxonica commendat, & virilem ſonum in Interjectionibus, ut levis doloris ***Ah!*** & majoris ***Oh!*** commiſerationis ***Alas!*** complorationis ***Alacke!*** deteſtationis ***Phy!*** attentionis ***Haa***, evocandi ***Whowpe***, ſiſtendi ***Waholovve***, quæ mire rebus apta putat. Compoſita, quibus aliæ linguæ ſubveniunt, ipſam naturam rei exprimere; nomina propria majoribus ob ſingularia, quæ patrarunt, facta, impoſita fuiſſe; raro autem a corporis defectu, quod ſolenne Romanis, quibus ita Naſonum, Labeonum, Frontonum, Dentonum nomina nata. In phraſibus proverbiorum præſtantiam extollit, ut cetera taceamus. Quoad alterum, facilitatem inde probat, quod voces in declinationibus & conjugationibus parum vel non inflectantur, & monoſyllaba facilius memoriæ mandentur. Quod vero Anglos ad alias linguas pronuntiandas aptiores putat aliis gentibus, in eo valde veremur, ne fallatur Autor. Quod tertio copiam attinet, eam haud difficulter ex eo probat, quod liberum ſemper Anglis fuerit, tum ab his, qui ſedes illic fixerunt, Saxonibus, Danis, Normannis, tum a transmarinis, cum quibus bella geſſere, ut Hiſpanis, vel apud quos iter fecere, ut Italis, vocabula mutuari, quibus accedunt tot in Anglia dialecti, ipſis etiam vocabulis diverſæ. Ita e. gr. τὸ ***Apage!*** viginti vicibus & amplius variari poſſe oſtendit. Denique & ſuavitatem e mixtura illa ipſa, qua Brittonum monoſyllaba cum poliſyllabis aliarum gentium apte permiſcentur, probat, atque ita mollitiei Italorum vocabulorum robur, additis conſonantibus, abruptis Gallorum verbis ſonum plenum conciliari, Germanorum conſonantes ingratas vocalibus emolliri &c. exiſtimat. Utque probet, veteres Græcos & Romanos pares in Anglia habuiſſe,

Platoni *Thomam Smith*, Ionibus *Thomam Morum*, Ciceroni *Aſchamum*, Varroni *Chaucerum*, Demoſtheni *Jo. Cheecum*, Virgilio *Comitem de Surry*, Catullo *Shakeſpearium* & *Barlovium*, Ovidio *Danielem*, Lucano *Spencerum*, Martiali *Jo. Daviſium*, omnes præſtantiſſimos illius ævi ſcriptores Anglos, opponit; *Philippum* vero *Sidneyum*, cum quo vix vindecenni Caræus anno ætatis decimo quarto publice Oxonii magno plauſu & ex tempore, quod ajunt, diſputaſſe in vita præmiſſa traditur, miraculum ſui ævi in proſa pariter & vorſa oratione vernacula appellat.

HISTOIRE DU CHRISTIANISME DES INDES.

id eſt,

HISTORIA CHRISTIANISMI INDORUM;

Autore M. V. LA CROZE, Bibliothecario & Antiquario Regis Pruſſiæ.

Hagæ Comit. ap. fratres Vaillant & N. Prevoſt, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 17 cum fig. & mappa Geogr.

REligionis Chriſtianæ, apud Indos Orientales quoque per XII Sæcula hactenus conſervatæ, & indies magis magisque ſuccreſcentis, hiſtoriam dum Autor celeberrimus compoſuit, non ſine ratione credidit, quod in præfatione indicat, in novo & eruditis etiam incognito ſe verſari argumento, quum Antonii de Govea hiſtoria expeditionis Alexii de Menezes Luſitanice ſcripta, quanquam non in Hiſpanicam ſolum, ſed & in Gallicam linguam translata ſit, perpaucis in his regionibus innotuerit, & verſio Gallica Monachi Belgæ, cui nomen fuit Joh. Bapt. de Glen, eccleſiæ Romano-Catholicæ præjudiciis ſit repleta, immo Abbas Renaudotus in collectione liturgiarum nonnunquam a veritate aberraverit, hoc nomine paſſim in hoc opuſculo notatus. Eccleſiæ quidem Malabaricæ hiſtoriam Londini A. 1694 ex Commentariis Antonii de Govea Luſitanicis Anglico ſermone edidit Michael Geddeſius, Cancellarius eccleſiæ Salesburienſis, qui etiam acta ſynodi Diamperenſis integra in Anglicam linguam transtulit, & brevibus quidem, aſt doctiſſimis annotationibus illuſtravit. Sed, ut taceamus, ſcriptum hoc Anglicanum vix uni vel alteri in his terris viſum

viſum eſſe, atque adeo nomen Chriſtianorum, uti vocantur, S. Thomæ heic ignotum manſiſſe, ſilentio non præterundum eſt, Geddeſii hiſtoriam, teſte Autore noſtro, cui copia illius demum facta, opere ſuo jam ſub prælo ſudante, cum expeditione Alexii de Menezes Archiepiſcopi Goenſis, A.1599 finita, deſinere. E contrario Autor noſter hiſtoriam, ab ovo, quod ajunt, inceptam, ad initium usque præſentis ſæculi perſequitur, & ex actis commemoratæ ſynodi in hoc opere, quod Gallico idiomate edere conſultum ipſi viſum fuit, tantum potiora capita recenſet, eadem in alio quodam opere Latino melius exhiberi ratus, in quo plurimarum eccleſiarum orientalium fidelem exactamque hiſtoriam ſe contexturum promiſit. Interim ex præſenti hiſtoria evidenter cognoſci poteſt, eccleſiam Indorum, quæ per XII ſæcula cum Romana, Conſtantinopolitana, Alexandrina & Antiochena nihil habuit commercii, dogmata Proteſtantium, ab eccleſiis adductis vel omnia vel ex parte rejecta, maximam partem credere & fovere, primatum Pontificis Romani omni niſu repudiare, transſubſtantiationem pernegare, & ſacramentum euchariſtiæ tantum figuram corporis Chriſti eſſe, aſſerere, confirmationem extremamque unctionem & matrimonium e numero ſacramentorum eximere, cultum denique imaginum pro idololatria habere, & purgatorium pro fabula; hinc etiam Antonius de Govea hæreticos recentiores, per quos Proteſtantes intelligit, errores ſuos ab Indis accepiſſe, ſibi perſuaſum habuit, quo nihil inſulſius dici ſcribique potuit. In præfatione etiam refert ex Coddeſio Autor eruditiſſimus, Alexium de Menezes, ex India reducem, factum eſſe Archiepiſcopum Bragenſem, Proregem Luſitaniæ per biennium ſub Philippo III, & Præſidem ſenatus ſupremi, res Luſitanicas Madriti, ubi mortuus eſt, dirigentis; inque Sanctorum numerum fuiſſe referendum, nisi rediiſſet in Hiſpaniam, ubi gloriam, quam abſens jactata infidelium in India converſione ſibi conciliaverat, præſentia minuit. Sic etiam Franciſcum Barretum, Lojolitam Luſitanum, A. 1645 Romæ ſermone Italico relationem edidiſſe de ſtatu Chriſtianiſmi in Malabaria; ſed præter Catalogum Prælatorum ſeu Epiſcoporum Chriſtianorum S. Thomæ ad Franciſcum Garciam usque nihil commemoratu dignum in ea haberi, nos certiores facit.

Digitized by Google

Tandem malorum, quæ nos premunt, maximum eſſe dicit Indifferentiſmum, & de nova conqueritur hæreſi, reliquis, quæ hactenus diſturbarunt eccleſiam, perículoſiore, quæ monumenta veterum cum ſacra tum profana ſupprimat, maximo cum zelo prudenterque reprimenda & coercenda.

Ipſa hiſtoria in ſeptem Libros diviſa eſt, ex quibus primo, ſecundo, tertio & ultimo, ne nimis arida videretur hiſtorica relatio, elegantiſſimas lectuque digniſſimas præmiſit obſervationes. In *primo* ſtatim Libro prolixa habetur Neſtorianiſmi hiſtoria, digniſſima ſane, quæ attentius perlegatur, & ſine partium ſtudio ponderetur, ut eo melius conſtet, quinam ſint Neſtoriani dicendi; quomodo diſciplina eccleſiaſtica poſt converſionem Conſtantini M. ſit corrupta; quibus in cauſis Neſtorius excuſari queat, Cyrillus e contrario accuſari: & inter alia Coſmam, Indicopleuſten dictum, Neſtorianum fuiſſe probatur, ex cujus teſtimonio, religionem Chriſtianam apud Indos jam ſexto ſæculo ſtabilitam fuiſſe, luculenter apparet: tumque in Chriſtianorum Indorum, Neſtorianis addictorum, qui ab Apoſtolo Thoma principia religionis ſe accepiſſe credunt, & propterea Chriſtiani S. Thomæ dicuntur, veram originem inquiritur, & ſtatus eccleſiæ deſcribitur, qualis fuerit ante adventum Luſitanorum, una cum rebus geſtis primorum Miſſionariorum, & ipſius Alexii de Menezes, usque ad iter hujus præſulis ad Chriſtianorum regiones & eccleſias viſitandas inſtitutum. In Libro *ſecundo*, enarratis prius moribus & conſuetudinibus Chriſtianorum Indorum, ipſa Alexii de Menezes expeditio enarratur, & pluribus oſtenditur, eum & vi & aſtutia uſum eſſe, ad veteres Chriſtianos, jugum Pontificis Romani reſpuentes, ſedi Romanæ ſubjiciendos, atque dogmata Pontificiorum, ipſis antehac inaudita, & obtrudenda & ſtabilienda: quem in finem etiam omnes Chriſtianorum libros, qui in ipſius & Jeſuitarum manus inciderunt, vel corruptos, vel combuſtos eſſe, plus ſimplici vice cum deteſtatione refertur. In Libro *tertio*, præmiſſa iterum eleganti diſſertatione de opinionibus & ritibus eccleſiaſticis Indorum Chriſtianorum, hiſtoria ſynodi Diamperæ A. 1599 coactæ, & quid in quavis ſeſſione actum ſit, recenſetur; qua de re ſatis dictum putamus, ſi prudentem lectorem monuerimus, decreta hujus ſynodi

ab

Digitized by Google

ab ipſo Alexio de Menezes & Franciſco Roz S. J. qui poſtea primus Epiſcopus latinus Chriſtianorum S. Thomæ a Clemente VIII conſtitutus eſt, in Cranganor, priusquam Diamperam proficiſcerentur, compoſita, & Chriſtianos S. Thomæ minis blanditiisque adactos eſſe, ut prælectis decretis auſcultarent, iisdemque externa profeſſione ſuffragarentur. In Libro *quarto* ea referuntur, quæ ſynodum Diamperenſem ſecuta ſunt, ad abitum usque Alexii ex India: & in Libro *quinto*, quæ poſtea facta ſunt, usque dum Batavi, expulſis Luſitanis, totam illam regionem ſub ſuam redegerunt poteſtatem, qui ad commoda & commercia ſua omnes ſenſus nervosque intendentes, Jeſuitis, quibus Chriſtiani S. Thomæ ſe rurſus oppoſuerant, omnis generis honorem, nullam vero Chriſtianorum rationem habuerunt. In Libro *ſexto* gentium, quas inter Chriſtiani vivunt, idololatria exponitur, quæ ab Ægyptiorum & Perſarum placitis originem traxit: & denique in libro *ſeptimo*, impedimenta felicioris ſucceſſus religionis Chriſtianæ apud Indos in medium proferuntur, videlicet, quod Indi doctrina Chriſtiana non ſatis inſtructi, nec ad ipſius Scripturæ S. lectionem perducti fuerint: quod miniſtri eccleſiæ non ex ipſis Indis electi: quod converſi ex paganiſmo & ſuis & Luſitanis exoſi ſuſpectique: quod denique ſpiritus violentiæ & perſecutionis religionem & nationem Luſitanorum Indis deteſtabilem reddiderit. Ea omnia ſublatum iri ſperat Autor noſter nova miſſione Danica, cujus inſtitutum & progreſſum usque ad obitum Ziegenbalgii & Grundleri, miſſionariorum Regis Daniæ ad colligendam ex Indis in Tranquebar eccleſiam, ex ipſorum relationibus ſtrictim percenſet, nulla, quod miramur, relationis Bövingii mentione injecta, in qua epiſtolis Collegarum ſuorum recte intelligendis & dijudicandis faculam accendit.

DESCRIZIONE DEL CELEBRE ARCO, ERETto in Benevento à Marco Ulpio Trajano XIV Imperadore dal Senato e Popolo di Roma &c.

i. e.

DESCRIPTIO CELEBRIS ARCUS TRIUMphalis, M. Ulpio Trajano Imp. XIV Beneventi a Senatu

tu Populoque Romano anno Chriſti CXII erecti, cum compendio antiquæ recentisque ejus urbis hiſtoriæ, factorum item illuſtrium Trajani Cæſaris; Autore
JOHANNE DE NICASTRO.

Beneventi, typis Archiepiſcopalibus, 1723, 4.
Plag. 16.

EXiguæ quidem molis eſt hic liber, Sereniſſ. Principi *Michaeli Friderico de Comitibus de Althann* dedicatus, ſed qui exquiſita arte atque induſtria antiquiſſimum illud fereque maximum Romani luxus monumentum Divo Trajano Cæſari quondam exſtructum depingit, ſimulque Beneventum oppidum, tanto urbis miraculo ſuperbiens, famaque in primis celebre, deſcribit. Illuſtris Autor, Patritius Beneventanus & Sipontinus, Legum Doctor, & Archidiaconus Eccleſiæ Metropolitanæ, aliis jam ſcriptis editis nomen ſibi peperit, in quibus unum inſcribitur *Pinacotheca Beneventana*, continetque virorum qui doctrina ac virtutibus ſuis imprimis Beneventanam urbem decorarunt, vitas luculenter expoſitas; alterum Italico idiomate conſcriptum ſub titulo prodiit; *Gladius Salomonis*. In limine præſentis ſcripti Beneventani Arcus effigies ea qua nunc conſpicitur, forma ante oculos ponitur, cum inſcriptione:

IMPERATORI. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. FILIO
NERVÆ. TRAJANO. OPTIMO. AUGUST.
GERMANICO. DACICO. PONTIF. MAX. TRIBUN.
POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. P.P.
FORTISSIMO. PRINCIPI. SENATUS P.Q.R.

In hac inſcriptione multi verba illa *NERVÆ F. Nervæ Fratri* legenda putant. Contrarium autem docet Cl. Autor, abruptas in
p. 73. inſcriptione voces ita explens: *Imperatori Cæſari Divi Nervæ Filio, Nervæ Trajano, Optimo Auguſto, Germanico, Dacico, Pontifici Maximo, Tribunitiæ Poteſtatis Decimum Octavum, Imperatori Septimum, Conſuli Sextum, Patriæ Patri, Fortiſſimo Principi, Senatus Populusque Romanus*. Ceterum Cl. Autor nobiliſſimum argumen-

mentum quinque capitibus abſolvit. Cap. primo antiquam Beneventanæ urbis hiſtoriam exponit. Fuit olim Beneventum metropolis bellicoſi Italiæ populi, qui Samnites vocatur; in coloniam poſtea Romanorum converſa. Fuit & Principum Longobardorum quondam ſedes. Natales ejus originemque, quam nonnulli Diomedi Ætoliæ Regi, alii idque minus recte, ex Autoris ſententia, Æneæ Sylvio deberi cenſent, in annum 432 ante Romam conditam, ante Chriſtum natum 1184, Chronologi rejiciunt: qua occaſione Cl. Autor doctiſſimi Fratris ſui *Jornandis de Nicaſtro* Hiſtoriam Beneventi IV Tomis diviſam, nondum editam, ſed jam dudum ab erudito orbe ſollicite expetitam, citat. Cap. II recentiorem Beneventi hiſtoriam æque docte perſequitur, in quo quidem *Thomaſii Mariæ Alſani*, Ordinis Prædicatorum inque S. Theologiæ Lectoris, mentionem injiciens, in animo illum habere ait, ad exemplum Emin. Cardinalis *de Aguirre*, Conciliorum in Hiſpania habitorum celeberrimi Collectoris, ea quæ in regno Neapolitano convocata ſunt, Concilia collecta edere notisque ſuis illuſtrare. Inter cetera urbis memorabilia refertur a Noſtro Beneventana Nux, circa quam certo tempore ſagæ a longe diſſitis locis noctu convenire & convivia celebrare dicuntur. Etſi vero neget Cl. Autor, vel olim id factum eſſe, vel hodienum fieri; cum Theologis tamen & JCtis Italiæ, Hiſpaniæ Germaniæque quam plurimis, rem extra dubium poſitam ſatisque probatam exiſtimat, vere nonnunquam ſagas, hirco vel aliis animalibus, vel arundini inſidentes, de loco ad locum transferri. Palmarium, quo hoc confirmatum ivit, argumentum eſt, quia, quod bonis angelis δυνατὸν eſt, idem & malis denegari nequeat, cumque Auguſtini atque Gregorii auctoritatem opponant nonnulli, oſtendit, ſecum potius facere iſtos Eccleſiæ Doctores, neque ex genuinis ipſorum ſcriptis opinionem hanc poſſe demonſtrari, & cum in Canone *Epiſcopi* 26, ii, qui hujusmodi næniis anicularum fidem præbent, excommunicari videantur, non inveniri reſpondet hunc Canonem in Græcis Latinisque Concilii Ancyrani exemplaribus, aut, ſi inveniatur, non fuiſſe tamen univerſale illud Concilium ſed provinciale, hoc eſt, particulare tantum. Cap. III pergit in enarranda recentiori Beneventani oppidi hiſtoria. Ubi inter alia eos refutat p. 34.

qui

qui aerem Beneventanum minus ſalubrem eſſe putant, ſalſeque
p. 40. Trajanum Boccalinum, hujus quondam urbis incolam, perſtringit,
quod in animadverſionibus ſuis in Tacitum cives ſuos omnibus
ſcelerum generibus deditiſſimos vocare non erubeſcat, quam meram
eſſe calumniam, ex odio atque invidia profectam, affirmat.
Sequitur Cap. IV, in quo patria, præclaraque facinora Marci Ulp.
Trajani XIV Imperatoris exponuntur. Sunt nonnulli ſcriptores
hiſtoriæ minus periti, qui Imperatorem Trajanum Tuderti
in Italia natum, memoriæ produnt. Sed egregie illi falluntur,
quum urbs Turditana in Bœtica Provincia illi natalis exſtiterit.
Germanici ac Dacici cognomentum inde tulit, quod ingenti
Germanos Dacosque prælio victos ad internecionem usque
delevit. Præter ceteros honores, a Populo Senatuque Romano
illi decretos, poſita ipſi fuit ſtatua in Trajano foro ad Quirinalis
collis, qui Viminali adjacet, radices ſito, foro omnium celeberrimo,
in quo & aliis ſummis in toga ſagoque Viris ſtatuæ olim ponebantur.
Non debet autem hæc Trajani ſtatua cum Antoniniana,
ut ſæpe fit, confundi. Victori a Parthis redeunti Parthici &
Arabici titulus fuit a Romanis aſſignatus. Errant vero, Cl. Autore
60. obſervante, doctiſſimi Diarii Italici ſcriptores, qui Beneventanum
arcum Trajano fuiſſe tum erectum ajunt, quum victoriam a
Parthis reportaſſet. Aperte namque inſcriptio arcui adjuncta contradicit,
in qua Trajano non Parthici ſed Dacici ac Germanici cognomen
datur, unde conficitur, poſt victoriam in Dacos Germanosque
hunc illi honorem fuiſſe habitum. Ceterum cum Trajani
animam poſt aliquot ſæcula Gregorii Magni precibus ex inferno
fuiſſe redemtam, plurimi Pontificiorum ſtolide affirment, Damaſceni
& revelationum S. Brigittæ, ſpuriorum ſcriptorum, auctoritate
fulti, falſiſſimum hoc eſſe, Cl. Autor judicat, quia probabile
non ſit, tantum Eccleſiæ Doctorem pro Cæſare adeo impuro &
in vitia effuſo ad Deum preces fudiſſe: non dubium enim eſſe,
quin S. Gregorius, qui A. 604 adeoque quinto poſt Trajanum
ſæculo vixit, qualem ſe in Chriſtianos geſſerit, habuerit exploratum;
ut plurima, quæ inde conſequuntur, abſurda & fundamento
fidei repugnantia ſilentio prætereamus. Capite tandem V usque
ad finem Triumphalis arcus Trajani, dictus *Porta Aurea*, quæ

moles

Digitized by Google

moles omnia reliqua monumenta Romanorum longe ſuperat, ample enarratur, ſimulque inſcriptio ſupra memorata quoad omnia verba erudite explicatur.

STATO DELLA S. CHIESA PAPALE LATERANENSE nell Anno 1723.

h. e.

STATUS ECCLESIÆ PAPALIS LATERANENSIS Anno MDCCXXIII.

Romæ, in typographia S. Michaelis a Ripa grande, 1723, 4.
Alph. 1 plag. 3 fig. æn. 6.

CUm jam pridem optarint Eruditi, ut Templi Romani Lateranenſis toto orbe celebrati monumenta, inſcriptiones, ornatusque ſplendidiſſimus, a Panvinio, Mellinio, Severanio, Raſponio, Ciampino, aliisque Viris celeberrimis, in deſcribendo hocce templo occupatis, prætermiſſa, accuratius exponerentur, opportune nunc prodit liber hic, Illuſtriſſ. Principi ac Cardinali ***Benedicto Pamphilio***, Eccleſiæ Lateranenſis Epiſcopo, inſcriptus. Continet ille duo opuſcula, quæ etſi non uno tempore neque ab iisdem autoribus confecta ſint, ambo tamen iſto conſilio ſunt ſcripta, ut rariſſima quæque, in Lateranenſi Templo hodie conſpicienda, Lectoribus exhibeant. Prior tractatus Abbatem ***Alexandrum Baldeſchium***, poſterior vero ***Johannem Mariam Creſcimbenium***, Præſulem Eccleſiæ S. Mariæ in Coſmedin ſacræ, variis jam præclaris ingenii fructibus inclutum, Autorem agnoſcit. In ipſo ſtatim frontiſpicio inſigne Pontificis, clavibus triplicique corona conſpicuum, videtur, appoſitis his verbis: ***Sacro ſancta Lateranenſis Eccleſia, omnium Urbis & orbis Eccleſiarum mater & caput.*** Prius opuſculum, a Baldeſchii ingenio profectum, primariam Templi navem, ut vocant, deſcribit. Inter alia monumenta poſitum hic vides Pontifici Martino V ſepulchrum ex ære conflatum, cum inſcriptione:

MARTINUS PAPA V.
SEDIT ANN. XIIII. MENS. III. DIES XII.

Digitized by Google

OBIIT A. MCCCCXXXI. DIE XX. FEBRUARII
TEMPORUM SUORUM FELICITAS.

Non procul ab eo ſepulchro aliud quoddam conſpicitur, Hannibali Albano erectum. In ſuperiori portæ primariæ parte hæc legitur inſcriptio:

INNOCENTIUS X.
PONT. MAX.
LATERANENSEM BASILICAM
CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS
RELIGIONE AC MUNIFICENTIA EXTRUCTAM
SUMMORUMQUE PONTIFICUM PIETATE
SAEPIUS INSTAURATAM
VETUSTATE IAM FATISCENTEM
NOVA MOLITIONE AD VETEREM
EX PARTE ADHUC STANTEM CONFORMATA
ORNATU SPLENDIDIORE RESTITUIT
ANNO JUBILAEI VI.
PONT. VI.

Eodem hoc tempore in honorem Innocentii cuſa moneta eſt, cujus figuram pag. 9 Clar. Autor expreſſit, uno in latere imaginem nomenque Pontificis, altero Baſilicam exhibens, adſcriptis his verbis DECOR DOMUS DOMINI. Frontiſpicio navis hæc inſcripta: SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM ET PROPHETARUM. Quibus verbis ornata & moneta, quam Clemens XI pictoribus olim duodecim, quorum præclara in pingendis tabulis Baſilicæ ornandæ deſtinatis fuerat opera, donavit. Tacemus imagines & ornamenta alia, quæ Pontificis hujus munificentia huic Templo illata ſunt; neque operæ eſſe pretium ducimus, carmen, alioquin elegantiſſimum, in Clementis honorem a celebri Poeta quodam compoſitum, Brevesque ac Epiſtolas, a Clemente XI ædificationis Templi occaſione ſcriptas, fuſius commemorare. Sed potius ad poſterius Clariſſ. Creſcimbenii opuſculum converſi, rariora ex eo deli-

delibabimus. Capite I varias templi appellationes, quibus nunc Conſtantinianum, nunc aureum, nunc Johannis Baptiſtæ, nunc Salvatoris dicitur, recenſet, tantam ei dignitatem atque præcellentiam aſſignans, ut cum alias ſemper olim, tum hodie quoque primatus ac magiſterium in reliquas omnes Eccleſias illi tribuatur. Cumque Regius in ea thronus poſitus ſit, vel ideo dignam eſſe judicat, quæ Dei Regia dicatur. Primum porro hoc eſſe templum putat, quod Imperator Conſtantinus, ſacro baptiſmatis fonte ablutus, extruxerit; &, quanquam ſæpe a fundamentis disjectum ac reſtauratum, eadem tamen ad hunc usque diem materia eademque forma conſtare, qua Conſtantinus olim Imperator eam donaverit, minime dubitat. Verſus Leoninos:

Dogmate Papali datur ac ſimul Imperiali,
Quod ſim cunctarum mater caput Eccleſiarum.
Hinc Salvatoris cæleſtia regna Datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt;
Sic ſumus ex toto converſi ſupplice voto
Noſtra quod hac Ædes tibi Chriſte ſit inclyta ſedes.

qui in limine porticus reperiuntur, quosque nonnulli, eo quo hanc Eccleſiam Silveſter conſecravit, tempore confectos fuiſſe conjiciunt, Noſter cenſet a recentiori quodam Poeta profectos eſſe. In Porticu alio ad latus conſpicuo extat inſcriptio ſtatuæ, Henrici IV Galliæ Regis memoriæ poſitæ:

RAULO V. PONTIFICE MAX. SEDENTE
ENRICO IV. FRANCORUM ET NAVARRO-
RUM
REGI CHRISTIANISSIMO
PIETATE ALTERI CLODOVEO
VARIETATE PRAELIORUM CAROLO MAGNO
AMPLIFICANDAE STUDIO RELIGIONIS
SANCTO LUDOVICO GENERIS PROPAGA-
TORI
STATUAM HANC AENEAM
SACRO SANCTAE LATERANENSIS BASILICAE
CAPITULUM ET CANONICI

GRATI ANIMI MONUMENTUM
COLLOCANDAM CURARUNT
CAROLO DE NEUVILLE D.D'HALENCOURT
REGIO ORATORE ANNO MDCVIII.

Miſſis inſcriptionibus Pauli Millinii, Julii Aquavivæ, Dominici Maximi, Cæſaris Raſponii, Antonii Cardinalis Portugall. Sylveſtri II, Ant. Sanctorii, Hier. Caſanatæ aliorumque; unam Alexandri III hic addere non dubitamus:

ALEXANDRO III. PONT. MAX.
NOBILI BANDINELLA GENTE SENIS NATO
QUI DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS EXIMIA
PIETATE SUMMA PRUDENTIA
AC DOCTRINA ECCLESIÆ PRÆFUIT ANNIS
XXII
INVICTA FORTITUDINE ATQUE CONSTANTIA
APOSTOLICÆ SEDIS JURA
AUCTORITATEM DIGNITATEMQUE RETINUIT
ET POST IMMENSOS LABORES
AC SOLLICITUDINES PACE PARTA
OECUMENICUM LATERANENSE CONCILIUM
CELEBRVIT
SANCTISSIMAS DE ELIGENDO
SUMMO PONTIFICE
DEQUE VI ET AMBITU COERCENDO LEGES TULIT
THOMAM CANTUARIENSEM ANTISTITEM
BERNHARDUM CLARAE VALLIS ABBATEM
QUOS VIVENTES AMICISSIMOS HABUIT
ODOARDUM ANGLIAE
CANUTUM DANIAE REGES SANCTORUM
NUMERO ADSCRIPSIT

PLU-

Digitized by Google

PLURIMISQUE ALIIS MAXIMIS REBUS GESTIS
VITAE DEMUM ET GLORIAE CURSUM CONFECIT
ANNO SAL. MCLXXXI. KAL. SEPT.
ALEXANDER VII. PONT. MAX.
NOMINIS ET MUNERIS
IN ECCLESIA SUCCESSOR
PONTIFICI TANTO
CIVI SUO PIOS CINERES VENERATUS POSUIT.

De altari Pontificis Cap. VII agens Autor, notat, quod inter tot incendia, totque ruinas, Baſilicam evertentes, divina providentia ſalvum ac intactum ſemper perſtiterit. Nimirum idem illud altare ligneum ſupereſſe urget, in quo Princeps Apoſtolorum Petrus ejusque ſucceſſores ad Sylveſtrum usque rem ſacram peregere: nec cuiquam, niſi Pontifici, ad illud accedere permiſſum. Habet hæc ara antiquiſſimas rariſſimasque reliquias: in his Petri Paulique Apoſtolorum crania: quæ quidam S. Laurentii eccleſiæ, *ſancta ſanctorum* dictæ, plerique vero Baſilicæ Lateranenſi illata fuiſſe a Sylveſtro, affirmant, quamvis certum interim Noſter putet, ſancta Apoſtolorum capita ab Urbano V in oratorio S. Laurentii A. 1367 inventa inque Baſilicam Pontificiam translata eſſe, id quod publico inſtrumento, quod exhibet, demonſtrat. Non potuit hoc tamen Illuſtriſſ. Iſabellam Galliæ Regis ſororem adducere, ut hæc Apoſtolorum capita genuina eſſe crederet: quin potius ſuum, quod a Græcis dono acceperat, Pauli caput verum ac germanum putavit. Colligitur id manifeſto ex epiſtola Clementis IV, quam ad eam dedit, quam, cum nuspiam alibi legatur, tuis B. L. oculis ſubjicimus: p. 98.

"Dilectæ Filiæ in Chriſto, Nobili Mulieri, Iſabellæ, chariſ" 112.
"ſimi in Chriſto Filii noſtri, illuſtris Regis Francorum, Germanæ."
"Scias, Filia, Apoſtolorum capita Romæ indubitanter haberi, "
"quæ fel. rec. Gregorius Papa IX, Prædeceſſor noſter, de Sanctis"
"Sanctorum ſuis manibus extrahens, Romano Populo patenter ex-"

„hibuit, & in locum ſuum reſtituit, cum debita reverentia, præſen-„tibus & ſcientibus univerſis. Quodſi forſitan Caput B. Pauli Apo-„ſtoli apud te eſſe putas, depone conſcientiam, ne fallaris, ne po-„nas ſcandalum Matri tuæ Romanæ Eccleſiæ, quæ deceptionem „hujusmodi non poſſet æquanimiter tolerare. Si vero Græci ali-„quo tempore ſe illud habere dixerint, ne mireris: nam odio Lati-„nos habentes facile tibi formaverunt mendacium, qui de fide „mentiri catholica, quod eſt majus, minime dubitarunt. Bene igi-„tur facies, ſi quid habes, dilecto Filio noſtro, Simoni Tituli S. Cæ-„ciliæ Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ ſedis Legato, nomine no-„ſtro reddideris, nobis perinde mittendum: ne, ſi ad alias manus de-„venerit, poſſit inde cum erroris periculo ſcandalum ſuſcitari. Da-„tum Viterbii XIV Kal. Maj. Anno IV.„

Ceterum in eodem templo Petro & Paulo Apoſtolis ſtatuæ dimidiæ ex argento puriſſimo conflatæ, gemmisque innumeris diſtinctæ, ab Urbano V Pont. poſitæ, in quibus, dubium, quo caſu, Paulus dextram, ſiniſtram Petrus occupat, appenſo etiam Pauli pectori nummo argenteo, cum inſcriptione:

Cedit Apoſtolicus Princeps tibi Paule, vocaris
Nam dextra natus, vas, tuba clara Deo.

Sed de his Cl. Autor prolixius egit in Hiſtoria S. Mariæ in Coſmedin & S. Johannis ad Portam Latinam. Exponuntur inde indulgentiæ, quas Pontifex iis, qui Baſilicam Lateranenſem frequentant, juſtoque tempore iſtas reliquias venerantur, indulget. Sed progredimur ad porticum Leoninam, a Leone I ſic appellatam. In qua primo occurrit Fulvii Urſini ſepulchrum elegantiſſima, ſed prolixiori, quam ut hic repeti poſſit, inſcriptione. Sepultus hic quoque Paulus V Pontifex M. cujus monumento hæc ſunt addita:

PAULO V PONTIFICI MAXIMO
ECCLESIASTICAE LIBERTATIS VINDICI
VIRTUTIS REMUNERATORI
OB REDEMTUM A SPOLIORUM ONERE
CLERUM ROMANUM
GRATI ANIMI MONUMENTUM

LATE-

Digitized by Google

LATERANENSIS SACRO SANCTAE
BASILICAE
CANONICI POSUERE.

Nec negligenda in eadem Porticu Laurentii Vellæ Inſcriptio ſepulcralis:

LAURENTIO VALLAE HARUM AEDIUM
SACRARUM CANONICO
ALPHONSI REGIS
ET PONTIFICIS MAXIMI SECRETARIO
APOSTOLICOQUE SCRIPTORI
QUI SUA AETATE OMNES
ELOQUENTIA SUPERAVIT
CATARINA MATER FILIO
PIENTISSIMO POSUIT
VIXIT ANNOS L.
OBIIT ANNO DCCCCLXV.
AUGUSTI CALENDIS.

Cap. XII & XIII Clar. Autor primum & ſecundum imaginum ordinem, quæ in ea Eccleſiæ parte, quæ *Tribuna* Italis vocatur, repeiuntur, explicat: earumque figuras tabula quadam adjecta depingit. Spectabatur olim in hac templi regione Pontificis Cathedra ſex gradibus innixa, quorum uni inſidebant Leo, Draco, & Baſiliſcus, quo quidem alludebatur ad vaticinium illud Propheticum: *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem*: infra vero ſcripti erant hi verſus:

Hac eſt Papalis ſedes & Pontificalis,
Preſidet & Chriſti de jure Vicarius iſti,
Et quia jure datur, ſedes Romana vocatur,
Nec debet vere niſi ſolus Papa ſedere,
Et quia ſublimis, alii ſubduntur in imis.

Denique Cap. XIV tertium picturarum ordinem enumerat; ſimulque omni ſtudio id agit, ut ſupra memoratam Salvatoris imaginem non artificis manu elaboratam eſſe, ſed ſubito per miraculum populo congregato apparuiſſe, demonſtret. Quamvis ſcriptores,

Digitized by Google

ptores, ad quos provocat, vel anonymi, vel inventu ſint rariſſimi. Pancirolus vero in libro, quem *Teſori naſcoſti* h. e. theſauri abſconditi vocat, in longe alia, quam ceteri dicunt, Eccleſiæ parte imaginem conſpectam, ait. Cap. XV probere conatur, eandem imaginem eſſe, quæ hodie picta cernitur, cum ea, quæ olim apparuit. Cap. XVI de veneratione imaginis diſſerit, ejus æquitatem inde in ceteris probans, quod Regina Sueciæ, Chriſtina, ſummo illam cultu affecerit.

JO. ZACHARIÆ HILLIGERI, CHEMNIC. Ord. Phil. in Ac. Witteb. Aſſ. Inſtitutiones Logicæ Eclecticæ, ex veterum & recentiorum Scriptorum monumentis ſtudioſe collectæ & brevibus Theſibus ac perſpicuis Ectheſibus inſtructæ, in uſum lectionum Academicarum, cum gemino Indice.

Wittebergæ, apud Ge. Marc. Knochium, 1725, 8.

Plag. 17½.

CL. libri hujus Autor, qui in Academia Wittebergenſi Philoſophiam per ſeptennium docuit, initio quidem cum Cl. Ridigeri tum Celeb. Buddei veſtigiis inſtitiſſe ſe profitetur; aſt ſucceſſu temporis obſervans, hunc præſertim, ***variis præjudicatis, novis & non ſatis limatis opinionibus ſæpenumero teneri, quæ facile in juvenum animis inſidere poſſunt;*** ipſe animum ad novum Logicæ Eclecticæ ſyſtem ſcribendum applicuit. Præmiſit operi ***Protheoriam generalem*** de Philoſophia generatim agentem, in qua definire Philoſophiam ipſi placuit per ***habitum, Intellectum cognitione veri, Voluntatem actione boni, atq; totum hominem utiliſſimis in vita artibus, ductu rectæ rationis, informantem atque perficientem, in ſingularem ejus felicitatem.*** Poſt definitionis hujus explicationem, in Ectheſi ſubjunctam, ſequitur diviſio Philoſophiæ nova, in ***Inſtrumentalem & Directivam:*** ad ***Inſtrumentalem*** pertinere aſſerit (1) Grammaticam, (2) Matheſin abſtractam, (3) Logicam exotericam, (4) Hiſtoriam compendiariam, (5) Ethicam præliminarem, (6) Rhetoricam Progymnaſmaticam atq; (7) Ontologiam. ***Directiva*** ab Auto-

Autore, more antiquioribus familiari, in Theoreticam, Practicam & Effectivam diſpeſcitur, in quarum ſpeciebus enumerandis multa occurrunt ſingularia, nobis brevitati ſtudentibus non attingenda. In *Protheoria Speciali*, præter ſuccinctam Logicæ hiſtoriam, inde a Zenone Eleate ad ſua usque tempora deductam, ejus exhibet definitionem, docens, Logicam eſſe *doctrinam Luminis naturæ, qua intellectus operationes ſpeciatim tradit, earundem vitiis medetur, virtutes viciſſim amplificat, atque adeo cogitationes convenienter formare, ab aliis formatas ſolide eruere, & proprias nervoſe cum aliis communicare oſtendit*. Sequitur Logicæ ipſius Pars I, Autori *Rationalis* dicta, ut ſecundæ, quæ *Sermonalis* audit, contradiſtinguatur. Medicorum methodus cum ſe probaverit ipſi, Capite I Sectionis primæ *Phyſiologiam* ſive naturam intellectus in genere tradit, receptam de tribus mentis operationibus doctrinam proponit, & ſequ. Cap. II, III & IV uberius explicat, ubi varia tum in Peripateticorum tum recentiorum Logicorum ſcriptis obvia, ſatis prolixe partim adducta videas, partim etiam ex mente Autoris refutata. Doctrinam ſyllogiſticam non probat tantum, ſed quatuor etiam figuras ejus admittit, licet exempla nulla regulis ſuis interponere conſultum duxerit. Cap. V de intellectus puri actibus agit, ac tres numerat, *Judicium, Ingenium* & *Memoriam*; impuri totidem addit, *imaginationem* nimirum, *phantaſiam* & *memoriam ſenſualem*; in quibus explicandis Malebranchii fere ſententiam ſecutus eſt. Sect. II *Noſologiam* Logicam proponit, & Cap. I de intellectus humani vitiis in genere agit, quæ cum a protoplaſtorum lapſu derivet, per rationem non niſi a poſteriori cognoſci ea poſſe, docet. Addit tamen & alias vitiorum intellectus cauſas, nempe conſtitutionem corporis, educationem, imitationem & converſationem cum aliis. Capita II, III & IV in exponendis ſingularum mentis operationum vitiis occupantur, quarum primæ Ignorantiam, mentis anguſtiam, Obſcuritatem Confuſionem & Errorem, ſecundæ Præjudicia, Dubitationem, & Fictionem, tertiæ tandem Sophiſmata, cum quoad materiam tum quoad formam talia, tribuit. Sequuntur Caput V vitia intellectus in actibus ſpecialibus, puri nempe æque ac impuri, e. g. Enthuſiaſmus & Fanaticiſmus, quorum multæ ſpecies recenſentur. Se-

ctione III *Hygienen* tractat Autor noſter, ubi Cap. I de intellectus virtutibus in genere agit, & contra eos diſputat, qui veram eruditionem ſine pietate eſſe non poſſe, contendunt. In ſequentibus Capitibus ſpeciatim virtutes trium mentis operationum aggreditur; primæ claram, diſtinctam & adæquatam rerum cognitionem; ſecundæ judiciorum veritatem & cognitionis evidentiam; tertiæ convenientiam Syllogismorum in materia & forma &c. tribuens. Intellectus puri virtutem Cap. V facit abſtractionem; Imaginationis convenientiam idearum cum objectis adæquatam, & quæ ſunt reliqua. Sectio IV *Therapeveticam* proponit Logicam, ubi Capite I, emendationem non a voluntate, ſed ab intellectu incipiendam eſſe, inculcat. Cap. II, III & IV ea, qua cœpit, methodo ſingulis mentis operationibus ſua præſcribit remedia, actus ſpeciales etiam ut a vitiis ſibi familiaribus liberari poſſint, Cap. V docet, & ſic Parti I Logicæ ſuæ finem facit.

Pars ſecunda *Sermonalis* Autori dicta, dimidio brevior eſt priori, agitque Sect. I *de Interpretatione*, cujus Cap. I naturam & indolem, Cap. II vitia, Cap. III virtutes & Cap. IV remedia exponit. Sectio II circa *diſputandi artificium* verſatur, & methodo ſemel recepta Cap. I de Diſputationis natura & indole, Cap. II de diſputantium vitiis, Cap. III de eorundem virtutibus, Cap. IV de Diſputantium remediis, regulas non contemnendas & tironibus neceſſarias tradit. Laudanda eſt in Autore, quæ ubique in eo obſervatur, ſentiendi libertas, qua in nullius magiſtri verba jurans, quicquid rectum, quicquid verum ſibi videtur, defendit, & ſecus ſentientes modeſte refellit. Unde Logica hæc eclectica Academicis Lectionibus & ab aliis fundamenti loco ſubſterni poterit, dummodo eadem, quam Autor ſecutus eſt, philoſophandi libertate in eadem explicanda verſari voluerint.

MEMOIRES CHRONOLOGIQUES ET Dogmatiques &c.

i. e.

COMMENTARII CHRONOLOGICI ET DOgmatici ad inſerviendum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ab An. 1600 uſque

Digitized by Google

uſque ad A. 1716, una cum Obſervationibus & Diſquiſitionibus criticis.

Volumina IV.

A. MDCCXXIII, 12 maj.

Alph. 6 pl. 13.

UT de præſenti opere, cujus & Autor nobis, & locus impreſſionis ignoratur, quantum ſatis eſt, conſtare poſſit, principio ſummatim monendum eſt, Commentarios hos nequaquam ad laudatiſſimum Tillemontii exemplum compoſitos, ſed undique ex recenti rerum eccleſiaſticarum memoria conflatos, & ita fere inſtructos eſſe, ut, memoratis ad ſingulos annos potioribus factis, plus propemodum ſubinde diſputationi & affectui, quam fidei hiſtoriæ datum videatur. Liceat nobis illud quoque adjicere, quod ex prima operis lectione perſpeximus, Autorem nempe, qui nimiis in præfatione laudibus extollitur, & Gallum eſſe, atque in Galliarum regno degere, & eccleſiæ Romano-Catholicæ, in eaque Lojolitarum Ordini addictiſſimum eſſe. Quæ quidem Lectorem noſtrum non neſcire, haud parum refert. Sed agedum, perluſtremus ſingula volumina, & quædam ſaltim inde afferamus. Pleraque enim omnia jam ſatis nota ſunt. *Tomus I* ab A. 1600 us- p. 18-30.
que ad 1626 procedit. Autor noſter ad A. 1604 copioſe nec ſine propenſiſſimi animi ſignificatione de Edicto, quo hoc tempore Socii Jeſu in Galliam reſtituti ſunt, exponit, neque diffiteri poteſt, id vel maxime invito ſupremo Senatu regio factum eſſe, cum & Præſes illius Harlæus, & Advocatus generalis Servinus Societati iſti plane adverſarentur. A. 1605 obitum memorat Cle- 39 ſſ.
mentis VIII, & Leonis XI, cujus utriusque P. R. prioris maxime, laudes decantat. Quid Paulus V cum Venetis de Immunitate eccleſiaſtica, & cum Jacobo I M. Brit. Rege de Catholicis juramento non obſtringendis egerit, prolixe enarrat: neque ipſe tamen 46-59
omnia iſto in Pontifice probare videtur. Subjungit poſtea am- 71-102.
pliſſimam hiſtoriam certaminis inter Dominicanos & Jeſuitas de prædeterminatione & præmotione phyſica agitati, itemque Congregationum de Auxiliis, ſed ita, ut aperte ordini faveat ſuo,

diſſentientes invidia variiſque ſuſpicionibus oneret. Jus illud re-
104 ſq. gium in Galliis, quod *Regale* vocant, deſcribit, & fatetur, anti-
quiſſimum quidem illud eſſe, ſed olim non perinde ac nunc am-
106. plificatum. De Thuano, ejusque Hiſtoria, ab officio Inquiſitionis
Romanæ damnata, agit, & quamvis autorem, ejusque mores,
ſtylum ac eruditionem ſic ſatis laudet, indigniſſime tamen fert,
Thuanum Calviniſtis amicum & tantum non Indifferentiſtam
156. fuiſſe. Cenſuram Sorbonæ in Mornæi Myſterium iniquitatis
(quem Autor noſter *librum miſerabilem* vocat) commemorat, ea-
p. 178. 188, que occaſione ipſum Mornæum naſo adunco excipit. Ad A. 1612
247. docet, quomodo in concilio provinciali Edmundi Richerii liber
de poteſtate eccleſiaſtica & politica condemnatus fuerit, neq; ipſi
Richerio parcit, de cujus morte, quæ Moriſotus in Epiſtolis refert,
refellit. Scripſerat ille nimirum, Richerium, a P. Joſepho S. J. ad
prandium invitatum, cum comparuiſſet, a quatuor ſicariis, pugi-
onibus pectori ejus admotis, coactum fuiſſe retractationi, quam
literis conſignatam ipſi offerebant, ſubſcribere, eumque ingenti
terrore perculſum biduo poſt A. 1633 exſpiraſſe. At Noſter, Ri-
cherium anno integro & ſex menſibus poſt factam retracta-
tionem & quidem jam A. 1631 d. 29 Novemb. deceſſiſſe, aſſerit.
[242. A. 1617 effunditur Autor in hiſtoriam controverſiæ de imma-
culata Conceptione B. M. V. & placet ei ſententia, quæ pla-
cet eccleſiæ, ejusque parti potiori, ridetque ſimul Quesnellium,
262-282. & qui cum eo faciunt. Ad A. 1618 de auſpicio Synodi Dordra-
cenæ commentatur, jactatque, quantum inde commodi & præ-
ſidii pro eccleſia Romana ejusque auctoritate colligi poſſit. Mit-
timus plura alia.

Tomus II ab A. 1627 usque ad 1665 pertingit. Sub initium ſta-
14 ſq. tim occaſione decreti cujusdam Carentonenſis contra Luthera-
31 ſq. nos æque ac Calvinianos more ſuo diſputat. De celeberrimo
Mathematico, Galilæo, ejusque altera condemnatione Romæ fa-
cta diſſerit, ſed ita, ut mitiorem fere in partem inclinet. P. Schei-
87--122. nerum autem Galilæi delatorem fuiſſe, negat. Ad A. 1638 pluribus
verbis de Abbate de S. Cyrano, & fatis ejus exponit, & ex rariore
149. libro ejus: *Queſtion Royale &c.* excerpta quædam inſerit. Ad
A. 1642 incipit Autor Janſenianas controverſias enarrare, qua-
rum

rum plenus inde omnis fere liber eſt. Imaginem quoque exhi- p. 288 ſq.
bet Innocentii X P. R. & de abjuratione Lutheraniſmi exponit, 291 ſq.
a Chriſtina, Sueciæ Regina, facta, quam glorioſam vocat converſionem: neque tamen audet affirmare, Chriſtinam cum hac religionis mutatione mores quoque emendaſſe vitamque. Paſcalii Li- 309.
teras Provinciales ita recenſet, ut, quod facile ſuſpiceris, abjectiſſime de iis pronuntiet, qua occaſione Probabilismum quoque defendit & emollit.

Tomus III complectitur hiſtoriam ab A. 1666 usque ad 1694.
Ad A. 1666 adducit Autor decretum Alexandri VII de attritione, 24.
ſimulque de hac ipſa doctrina diſputat. De eodem, quem dixi- 33.
mus, Pontifice fuſius agit, ejusque ingenium moresque deſcribit. 38 ſq.
Suppreſſionem Novi Teſtamenti Montibus editi copioſe commemorat, nec ſine affectu, qualem ab hujusmodi ſcriptore exſpectes.
Docet, quomodo de libro Kempiſiano de Imitatione Jeſu Chriſti 103.
variis ſcriptis diſceptatum fuerit, ipſo quidem Autore rem fere in medio relinquente, & de dubia MSS. fide conquerente. Com- 113.
mentationem illam: *Avis ſalutaires de la B. V. Marie a ſes devots indiſcrets &c.* memorat, & more ſuo librum vocat miſerabilem. Quesnellianas controverſias primo quidem ob novam Opp. 122 ſq.
Leonis M. editionem, deinde ob Meditationes in N. T. acerbiſſime excitatas referre incipit, ſed non ſine fuco. Michaelem de Mo- 320.
linos deſcribit, ejusque hiſtoriam breviter perſequitur. Innocentii 331.
XI P. R. imaginem exhibet. Decretum memorat Alexandri VIII 336.
contra errorem de peccato philoſophico, quem ipſum tamen haud parum mitigare conatur. Reliqua maximam partem ad Janſenium pertinent, & Arnaldum, niſi quod & de Dupinii Bi- 381.
bliotheca nova Scriptorum Eccleſiaſticorum nonnulla commonet, & incertum, qua fide, teſtatur, Dupinium non ipſum verum Bibliothecæ illius autorem eſſe, ſed nomen tantum ſuum operi alieno commodaſſe.

Tomus denique *IV* res in Eccleſia geſtas exhibet ab A. 1695 usque ad finem A. 1715. Hunc enim annum, quo Ludovicus XIV exceſſit, operis ſui terminum ſtatuit. De Guyonia hic iterum, il- 25. 33.
liusque Teſtamento, agit. In Bailletum invehitur, eumque plane 35.
contemnit. De Actis Sanctorum, ab Inquiſitione Hiſpanica da- 41.

Digitized by Google

p. 106. mnatis, &, quid eam in rem diſputatum ſit, exponit. Noallium
118-142. notat, qui Queſnellii N. T. probarat. Fenelonii, ob editum de Re-
143. gulis Sanctorum librum, fata commemorat. De Miſſione Indica ſic diſputat, ut Socios ſuos ubique defendat. Conſultationis Theologi Helmſtadienſis, A. 1707 in favorem eccleſiæ Romano-Catholicæ promulgatæ meminit, quam perperam putat a nonnullis, ipſoque Picteto, in dubium vocari, cum res ipſa negari
148. non poſſit. De Conſtitutione *Unigenitus*, ab Epiſcopis Gallicanis Pariſiis recepta, agit, ac reliqua quoque, quæ de Conſtitutione & Bulla Clementis XI in Galliis acta ſunt, ſubinde porro, ſed more ſuo, explicat. Tandem in elogio Ludovici XIV definit, quem cum Conſtantino M. comparare haud veretur. Ceterum mone-
T. III. mus, Autorem paſſim P. Bælium ſugillare, de quo non dubitat affir-
p. 377. mare, eum reditum in Gallias ad profeſſionem religionis R. Catholicæ certis propoſitis conditionibus molitum eſſe, ſed tuliſſe repulſam. Eundem neque Proteſtantem, neque Chriſtianum omnino fuiſſe, exiſtimat.

NOVA LITTERARIA.

IN Anglia nuper ſtudium Artis Heraldicæ ingens incrementum cepit. Prodiit enim anno ſuperiori *Johannis Guillim* opus Heraldicum, ſexta editione, triplo quidem prioribus auctiore, & innumeris fere inſignibus aliisque figuris & iconibus, imprimis Principum virorum, elegantiſſimis adornata, qua quid contineatur, vel titulus ſatis prolixus docebit. Eſt vero hic: *A Diſplay of Heraldry, by JOHN GUILLIM, Purſuivant at Arms. The ſixth Edition, improved with large Additions of many hundred Coats of Arms, under their reſpective Bearings, with good Authorities from the Aſhmolean Library, by Sir* George Mackenzie *&c. with his Tract of Precedency, containing all his Rules, Obſervations, Arguments, and chief Inſtances. To which is added a Treatiſe of Honour military and civil, according to the Laws and Cuſtoms of England, by Capt.* John Logan, *illuſtrated with the Arms, Creſts, Supporters and Motto's of the Royal Family, and Nobilty: the Arms of the Sees of the Engliſh Biſhops, and ſeveral of the Gentry, together*

Digitized by Google

ther with the proper Habits of the different Degrees of the Nobility of England and the Emblems of the chief Orders of Knighthood in Europe, all fairly eugraven on Copper Plates. Alſo an exact Liſt of the Baronets, from their firſt Creation to this preſent Time, and moſt of their Arms blazoned: with an Account of the Cuſtoms, Government and Privileges of the City of London, the other Cities of England, and Shire-Towns of each Couuty and their Arms. Likewiſe a Supplement of ſcarce Tracts relating to the Office of Arms, taken from avthentik Copies: and a Dictionary explaining the ſeveral Terms uſed by Heralds, in English, Latin and French. London 1724, f. Hoc opus dum Angli pararent, prodiit in Scotia: *A Syſtem of Heraldry Speculative and Practical: with the true Art of Blazon, according to the moſt approved Heralds in Europe; illuſtrated with ſuitable Exemples of Armorial Figures, and Archievements of the moſt conſiderable Sirnames and Families in Scotland &c. together with hiſtoricel and genealogical Memorials relative thereto. By ALEXANDER NISBET, Gent. Edinburgh. 1722, f.* In hunc cenſum venire etiam poterit, vel eo nomine quod præmiſſa habet ſubſcriptorum inſignia 75, æri accurate inciſa, opus elegantiſſimum, duobus Tomis abſolvendum, quorum primus hoc titulo nuper prodiit: *Weſtmonaſterium, or the Hiſtory and Antiquities of the Abbey-Church of S. Peters Weſtminſter, containing an Account of its antient and modern Building, Endowments, Chappels, Altars, Reliquies, Cuſtoms, Priviledges, Forms of Governement &c. with the Copies of ancient Saxon Charters &c. and other Writings relating to it; together with a particular Hiſtory of the Lives of the Abbats, collected from ancient MSS. of that Convent and Hiſtorians, and the Lives of the Deans of this Time; and alſo a Survey of the Church and Cloyſters, taken in the Year 1723, with the Monuments there, which, with ſeveral Proſpects of the Church, and other remarkable Things, are curiouſly engraven by the beſt Hands. In 2 Vol. By Mr. JOHN DART. To which is added Weſtminſter Abbey, a Poem, by the ſame Author. Vol. I. London, fol.* Opus eſt plane regium, figuris nitidiſſimis, ſi primum hunc tantum Tomum ſpectes, LXXIV illuſtratum, quæ non modo Anti-

Antiquariis, Hiſtoricis, Haraldicis, verum & Architectis & Pictoribus inſignem uſum præbere valeant. Qua occaſione non poſſumus prætermittere, Cl. *Johannem le Neve* jam tum An. 1718 edere cœpiſſe librum non inelegantem, ſub titulo: *Monumenta Anglicana, being Inſcriptions on the Monuments of ſeveral eminent Perſons, deduced into a Series of Time, by way of Annals*, cujus quinque hactenus Volumina, ſi Supplementa computes, Virorum illuſtrium inde ab An. 1600 ad 1718 paſſim in Anglia demortuorum Inſcriptiones ſepulcrales complexa, in forma octava prodierunt, e quibus non modo Hiſtoria civilis, ſed & Literaria Anglorum ingens capere incrementum poterit. Nec incommode ceteris hic jungere poſſumus librum nitidiſſimum variisque antiquitatis monumentis, ſigillis, inſignibus, tabulis genealogicis conſpicuum, qui ſub titulo: *Regiſtrum Honoris de Richmond, exhibens terrarum & villarum, quæ quondam fuerunt Edwini Comitis infra Richmundshire Deſcriptionem: ex libro* Domesday *in Theſauria Domini Regis: nec non varias Extentas, Feoda Comitis, Feoda Militum, Relevia, Fines & Wardas, Inquiſitiones, Compotos, Clamea, chartasque ad Richmondiæ Comitatum ſpectantes; omnia juxta exemplar antiquum in Bibliotheca Cottoniana aſſervatum exarata. Adjiciuntur in Appendice Chartæ aliæ, Obſervationes plurimæ, Genealogiæ & Indices ad opus illuſtrandum neceſſarii. Londini A. 1722 fol.* ſeu potius ſuperiori demum anno editum, in quo id, quod ad impreſſionem attinet, ſingulare, quod ea, quæ ex Codice illo Cottoniano depromta ſunt, pariter hic, ut ibi, minio ubique diſtinguuntur & exornantur.

Mediolani prodiere Celeb. *Muratorii* Scriptorum rerum Italicarum Tomus V & VI, quos proximo M. Aprili excipiet Septimus. Ibidem prelo paratum eſt cenſuramque exſpectat opus pereruditum, cui titulus erit: Lælii Palmæ, *JCti, Commentarii de Imperii Romani & Regni Italici cum Germania conjunctione, ex Hiſtoriarum monumentis deducti, & antiquis tabulis, partim nunquam antea, partim nunc accuratius editis, illuſtrati.* Fol.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno MDCCXXV.

EDMUNDI MARTENE ET URSINI DURANDI, Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum e Congregatione S. Mauri, veterum Scriptorum & Monumentorum hiſtoricorum, dogmaticorum, moralium ampliſſima Collectio.

Tomus I, II & III.

Pariſiis, apud Montalant, 1724, fol.
Alph. 29.

NOn adeo effœta eſt res literaria, ut non adhuc egregia multa commodo eruditorum e tenebris in lucem proferri poſſint. Teſtantur id imprimis hoc exemplo Viri erudititiſſimi, *Edmundus Martene* & *Urſinus Durandus*, qui poſt editam, cujus in Act. A. 1718 p. 481 rationem habuimus, Anecdotorum Collectionem hanc novam Collectionem novem Tomis adornare ſatagunt. Congeſſerunt eam in itinere ſuo literario, quod ſuaſu Illuſtriſſimi Domini de Dagueſſau, Franciæ Cancellarii, quod Andreæ Cheſnii collectionem non rariorem tantum eſſe, verum & maxima ſui parte augeri aptiorique ordine diſponi poſſe obſervaſſent, adornandæ iterum hiſtoriæ Francicæ cauſa ſuſceperunt. Igitur non Belgium tantum & Ardennam, verum etiam, quæ his propiores ſunt, Germaniæ partes perluſtrarunt, & ex cartariis, Prumienſi, Trevirenſi S. Maximini, Epternacenſi S. Wilbrordi, Valciodurenſi, Stabulenſi & aliis, quicquid ad rerum olim memorabiliter geſtarum conſervandam memoriam pertineret, deſcripſerunt. Reverſis in Galliam, cum nova appareret rerum facies, neque de hiſtoriæ Francicæ editione amplius cogitandum

 eſſet,

eſſet, mutato conſilio minora ſaltem monumenta colligere, & reipublicæ literariæ conſignare, viſum eſt operæ pretium.

Diſtribuerunt collectionem ſuam in quatuor claſſes, quarum prima tota eſt diplomatica & epiſtolaris, ſecunda hiſtorica, tertia & quarta moralis & dogmatica. Prima claſſis, quæ jam tum lucem adſpexit, tres Tomos habet. Tomus primus miſcellanea diplomatum & epiſtolarum virorum illuſtrium ſupra mille & trecenta complectitur. Videas in iis innumera manifeſta, quæ antea tam in hiſtoria politica quam eccleſiaſtica ſpiſſis tegebantur tenebris Ut ab hiſtoria Franciæ, imprimis politica, rem ordiamur, multa ex his ſupplementa accedere poſſunt Commentario Mabillonii de antiquis regum Francorum palatiis, quem libro IV de re diplomatica edidit, qui propter ſummam Viri accurationem in iis quæ occupaverat, eruditorum omnium calculum meruit. Simili ratione emendari & augeri ex his egregie poſſunt, quæ Mabillonius de Regum Franciæ Notariis ſcripta reliquit; quod utrumque exemplis comprobatum daremus, niſi in his ſufficere viderentur generalia materiarum πιττάκια. Dabimus potius id hiſtoriæ patriæ noſtræ, ut in ea Priapum illum Deorum omnium ſalaciſſimum a Slavis cultum, ex his literis doceamus. Narrant rem Adelgorius Archiepiſcopus Magdeburgenſis & ceteri in ſynodo Saxonica A. 1110 cum eo congregati Epiſcopi in literis, quas ad Epiſcopos Saxoniæ, Franciæ, Lotharingiæ dederunt, p. 625, & quibus Concilium, pro tuenda religione & ad reprimendos infideles Slavos, qui facta irruptione in terras Albim fluvium adjacentes Chriſtianos inauditis cruciatibus afficiebant, coactum profitentur. *Phanatici autem illorum quotiens comeſſationibus vacare libet, feriis indictis, capita inquiunt vult noſter Pripegala. Hujusmodi fieri oportet ſacrificia. Pripegala, ut ajunt, Priapus eſt, & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis ſuæ aras Chriſtianis & horrendis vocibus ululantes, agamus, inquiunt, dies lætitiæ, victus eſt Chriſtus, vicit Pripegala victorioſiſſimus.* Ceterum negandum non eſt, imprimis ætati Regum Franciæ tertiæ ſtirpis inſignia ornamenta accedere poſſe e diplomatibus, & epiſtolis hic editis. Unum enim Philippi Auguſti, quo uſi ſunt Noſtri, Cartarium ea fere exhibet, quæ annis amplius cen-

Digitized by Google

centum geſta ſunt in regno Franciæ bella, pacis tractatus, integras fere provincias armis aut fœderibus comparatas, fœdera ipſa, matrimonia, teſtamenta, aliaque multa, quæ omiſere ſcriptores, vel leviſſime tractavere. Ut ab obſervationibus politicis ad eccleſiaſticas tranſeamus, multorum hic Conciliorum memoria ſupereſt, quorum aut nulla, aut parum accurata, neque ſatis integra hiſtoria in vulgatis omnibus Conciliorum editionibus occurrit. Sic A. 888 celebrata fuit Moguntiæ Synodus tempore Arnulphi Imperatoris, cujus quidem canones protulere doctiſſimi Editores, at de numero & nomine Epiſcoporum illam celebrantium altum apud eos ſilentium. Verum ex diplomate Friderici Colonienſis Archiepiſcopi pro Corbejæ novæ monaſterio p. 661 diſcimus, Præſules tantum novendecim cum viceſimo Wilberto, Archiepiſcopo Colonienſi, huic Concilio interfuiſſe, quorum omnia nomina profert ſolenne decretum, quo ſua Corbejenſi & Herivordenſi Monaſteriis privilegia aſſeruntur. Adſunt deinde nonnulla, quæ juvando ſtudio Juris Canonici & hiſtoriæ Pontificum utilia eſſe poſſunt. Huc pertinent Nicolai I Papæ epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, p. 149, de parricidis & fratricidis pœnitentibus, & de conſanguinitatis gradibus matrimonium dirimentibus, & Urbani II epiſtola ad Salzburgenſem aliosque de electione ſua, quæ A. 1088 III Id. Martii contigit, & quæ eo magis notabilis eſt, quod de creatione Urbani, quæ per ſchiſma ſine requiſitione conſenſus Imperatoris Henrici IV facta eſt, multa continet, quæ aut leguntur nusquam, aut plane aliter referuntur, quare magno ſe earum videndarum deſiderio ferri olim profeſſus eſt Baronius. Porro hiſtoriæ etiam Epiſcoporum multum lucis ex monumentorum horum collatione accedere poteſt, cum haud pauci in medium proferantur antea ignoti, aliorum vero patria, natalis & res geſtæ detegantur: quod exemplis eccleſiarum, Trevirenſis, Metenſis, Moguntinæ, Paderbornenſis, Argentinæ, Halberſtadenſis, Colonienſis, Leodienſis & aliarum oſtendere, ſi vacaret, proclive eſſet. Denique hiſtoria etiam monaſteriorum & Sanctorum, imprimis S. Bernardi, & S. Nicolai, notarii ejus, mire inde illuſtrantur. Exhibentur inter hæc quædam, quæ ab aliis haud genuina aut mutilata edita erant, ſincera & integra, quo pertinet te-

Digitized by Google

tum S. Irminæ, p. 9, quod Chriſtophorus Browerus deflexis in puriorem latinitatem verbis ediderat. Injiciunt Collectores ejus occaſione mentionem in præfatione p. 72 epiſtolæ Epiſcoporum in Concilio Papienſi congregatorum de electione Victoris Antipapæ, a Goldaſto editæ, ſed truncatæ maxima ex parte, inprimis vero eo in loco, ubi *Romana eccleſia mater & caput omnium eccleſiarum* dicitur, quæ Collectores Goldaſtum partis ſtudio omiſiſſe cenſent, forte immerito, cum in exemplar mutilum incidiſſe potuerit. Proinde illiberale & ab indole ſtudii literarii, quod mores emollire deberet, alienum eſt, quod fidem Goldaſti ac Proteſtantium accuſant. Quid enim dicetis, o boni, de Abbate illo veſtro monaſterii Farfenſis, quem in Chronico a Mabillonio edito, Muſei Italici T. I parte poſteriore p. 58, legimus, diploma protuliſſe, pro cauſa ſua aſſerenda, quod ſtatim falſitatis convictum ſit. Quam foret incivile, ſi quis vos imitari, & hoc argumento uti ad concitandam omnibus religioſis invidiam vellet.

In Tomo II comparent *primo* vetera monumenta Imperialis Monaſterii Stabulenſis in Arduenna. Hujus primi Abbates, quod dignum notatu, fuerunt ſimul Epiſcopi, & utroque nomine mactantur in antiquiſſimis hujus collectionis epiſtolis. Poſſis ex his monumentis multum augere Abbatum Stabulenſium catalogum, quem olim Mabillonius texuit: narratur enim in iis, quicquid in Stabulenſi monaſterio contigit memorabile annis ſexcentis, quo pertinent primordia ejus, progreſſus & excidia, Abbatum mores & conditiones variæ, frequentes regularis diſciplinæ defectiones, ejus reparationes, ſingulæ denique rerum mutationes. *Secundo* Wibaldi, Abbatis Stabulenſis & Corbejenſis, Epiſtolæ, quæ eventus rerum inſigniores XII ferme ſæculi attingunt, Eugenii Papæ III adventum in Gallias, procuratas ab ipſo expeditiones, alteram in Orientem adverſus infideles, alteram in Slavos in Germania, celebrata ab eodem Pontifice concilia duo, unum Treviris, alterum Remis. His accedit Conradi fœdus cum Emanuele Conſtantinopolitano Imperatore adverſus Rogerium Siciliæ Regem, Filii ejus Henrici Romanorum Regis victoriæ in Welphum, Friderici I creatio, primordia ejus Imperii, plurimarum denique rerum cum eccleſiaſticarum tum civilium, ſed Colonienſium

Digitized by Google

enſium maxime, Moguntinarum, Leodienſium, Bremenſium, imo & Polonarum continuata ſeries. *Tertio* regiſtrum Epiſtolarum Alexandri Papæ III & aliorum Pontificum, quibus hiſtoria cum eccleſiaſtica, tum civilis, præſertim Francica, & Ludovici VII Francorum Regis fratrisq; ejus Henrici Remenſis Archiepiſcopi atque inſigniorum quorundam Principum acta illuſtrantur: ſedes etiam epiſcopales, res monaſticæ, eccleſiaſtica diſciplina & ritus ſacri ſæpe enarrantur. *Quarto* Epiſtolæ variorum ad S. Hildegardem cum ejusdem ad eos reſponſis. Hæ epiſtolæ pleræque itidem hiſtoricæ ſunt, & modo de ſchiſmate ab Alexandro III adverſus Victorem IV ſuſcitato, modo de inſtauratione diſciplinæ regularis in collapſis Monaſteriis agunt. *Quinto* Friderici II Imperatoris Epiſtolæ variæ, quas olim collegit Petrus de Vineis ejus Cancellarius. Repetierunt Collectores hic editionem, quam Mabillonius e codice manuſcripto Chriſtinæ Reginæ Sueciæ, collato cum editionibus impreſſis, evulgavit. Sequuntur Summaria privilegiorum eccleſiæ Romanæ, quæ Innocentius papa IV in concilio Lugdunenſi in Gallia, cum Fridericum II throno ſuo exturbare conſtituiſſet, quadraginta Prælatorum ſigillis obſignata, diverſis in locis aſſervari juſſerat. Summaria hæc tantum hodie ſuperſunt, quæ ex bibliotheca Cardinalis Ottoboni, qui poſtea fuit Alexander Papa VIII, eruit Mabillonius. *Sexto* Epiſtolæ Pontificum, Clementis IV, Gregorii X, Nicolai III & Nicolai IV, ſelectæ, quas partim ex codicibus Italicis deſcribi curavit Mabillonius, partim Collectores noſtri ex Colbertinis acceperunt. *Septimo* Epiſtolæ ſelectæ Joh. de Monſterolio, Præpoſiti Inſulenſis ac Caroli VI Franciæ Regis Secretarii, quibus hæc Regis tempora illuſtrantur. *Octavo* denique excerpta ex Sixti IV Papæ regiſtro anni 1474, quibus quæ tum in Europa geſta ſunt, eluceſcunt.

Tomus tertius exhibet primo Ambroſii, Sacræ Eremi Camaldulenſis Prioris ac totius ordinis Præpoſiti generalis, Epiſtolarum libros XX. Agunt de vita ejus ampliſſime Collectores in præfatione huic Tomo præmiſſa, ejusque inter cetera ad Concilium Baſileenſe legationem illuſtrant. Epiſtolas has ex quatuor codicibus Italiæ collegit Mabillonius. Teſtes ſunt eæ luculentiſſimæ, quibus artibus e tenebris barbariei inſtauratæ ſint literæ,

cum eo tempore ſcriptæ ſint, quo bonarum artium ſtudiis excellentium ingeniorum ferax extitit Italia, cum quorum pleriſque literarum commercium interceſſit Ambroſio noſtro. *Secundo* Epiſtolæ ſelectæ Alberti Sarthianenſis, ordinis Minorum Vicarii generalis. *Tertio* Petri Delphini, Camaldulenſis ordinis, Epiſtolæ. *Quarto* Ægidii Viterbienſis, Thomæ Volſæi Cardinalis Eboracenſis, & Alfonſi Ciacconii Epiſtolæ, quibus de momentis plerumq; criticis & philoſophicis, interdum etiam negotiis civilibus inter ſe verba miſcent. Ceterum integer Tomus hic, epiſtolas virorum Sæculi XV clariſſimorum continens, totus eſt Mabillonii, qui eas olim ſummo ſtudio in Italia collegerat. Dederunt operam Collectores, ut, quod in monumentis his obſcurum videretur, annotationibus ſuis planum facerent, qui & commodis lectorum diligenti præfatione in limine uniuscujusvis Tomi & indice in calce proſpexere. Monuerunt etiam, ſi qua ab aliis diplomata antea edita noviſſent. Multa autem præterea exſtant in Collectionibus in Germania editis, prout vel ſolum Spicilegium Eccleſiaſticum Cl. *Lunigii* conferentibus patebit.

Sächſiſche Merckwürdigkeiten.

id eſt,

MEMORABILIA SAXONICA, SEU HISTOria Saxoniæ Antiqua, Media & Nova.

Lipſiæ, apud Maurit. Georg. Weidmann, 1724, 4.
Alph. 6 pl. 9.

Cum dudum in votis habuerint hiſtoriarum cupidi, ut hiſtoria Saxonica more hodierno paullo ſolertius perpolita & probis teſtibus firmata in publicum prodiret, cujus rei ſpem vanam nonnulli augurabantur, haud infelici nuper ſucceſſu negotium hoc ſuſcepit Anonymus operis hujus Autor, qui eo imprimis animum intendit, ut Corpus hiſtoriæ Saxonicæ, quantum potis erat, abſolutum, nec tamen mole ſua nimis laborans, ex Autoribus & monumentis optimis, quorum copioſum ſatis numerum recenſet in Præfatione, compilaret, fontes ubi-

ubique adderet, & ſubjunctis annotationibus, ab erroribus præ-
ſertim Chronologicis atque Genealogicis hiſtoriam ſedulo pur-
garet. Ut cognoſcamus ex ungue leonem, ſingularia quædam
breviter decerpemus. Ptolemæus primus Saxonum mentionem p. 2.
fecit. Anglorum, qui ab Angulo mundi, vel Polo, vel hamo i. e, 54.
Angel, ſunt nuncupati, jam meminit *Tacitus Germ. c. 40.* Plures
e Saxonibus, Britanniæ Dominis, prodierunt familiæ illuſtres, 57.
inter quas memorantur *Flaminii* ſeu *Flemmingi*, quorum e po-
ſteris unus ex Anglia redux medio ævo terras gentis ſuæ in Po-
merania ſitas ſibi vindicavit. Genealogia Witekindea multis 134 ſq.
dubiis obvoluta; unde nec Imperatores Saxonicos, niſi forſan ex 152.
Giſela, Witekindi filia, derivandos, nec ſat tuto Saxoniæ nunc 254.
feliciſſime imperantis origines inde deducendas cenſet Noſter,
Eccardi ſententiam, a nobis A. 1722 M. Mart. p. 98 propoſitam,
ſecutus. *Otto M.* Saxoniam Transalbinam tantum jure hæredita- 184.
rio conceſſit Hermanno Billingo, reliqua terra ſibi retenta, donec
extinctis Ottonum poſteris omnis Saxonia ad Billingianos devol-
veretur. *Albertus Degener*, patre adhuc vivo, Kunegundem du- 318.
xit in matrimonium. *Fridericus Admorſus*, a Brandeburgicis 344.
captus, Pliſnenſium virtute liberatus eſt, quandoquidem illi
antequam hi promiſſi fidem feciſſent, inconſulto Fridericum
in viciniam Altenburgi adduxerant, unde violatæ fidei reus, ob
conditiones haud ſervatas, fruſtra incuſatur. Dicemannus, ut ab 354.
inſidiis Præſulum Miſnicorum ſibi caveret, clam monitus, ſuo
damno id neglexit. Ex *Friderici Sapientis* diplomate probatur, 426.
Vicariatum Saxonicum a Mareſchallatu ortum, & A. B. fuiſſe lon-
ge antiquiorem. Idem A. 1507 non Vicarii, ſed Locumtenentis 436.
Imperii vices geſſit; ejusque curæ debetur, quod, abolito idiomate
Latino, Germanica lingua primum in Cancellaria introduce- 441.
retur; etſi primus inter Principes Saxoniæ literis operam navare 442.
dignatus ſit. *Jo. Friderico* Electori, artis militaris minus gnaro, 473.
culpa melioris fortunæ prope Ingolſtadium neglectæ tribui- 488. 769.
tur; idem non invitus, ut quidam ſibi finxerunt, ſed conventis 478.
prius cum Imperatore pactis, libertatem obtinuit. Strauchius
ruricola, qui vadum Cæſareanis Albim tranſeuntibus monſtra-
verat, binos equos, 100 coronatos, & uſumfructum prædii Bor-

ſchi-

p. 528. ſchizenſis ad dies vitæ præmium tulit. Nullum, qui *Jo. Caſimiro*
divortium ſuaſit, felici fato defunctum, ex *Nic. Rebhahnii hiſt.*
Iſenac. Eccleſ. MSCta notatur. Carmen Heroicum rariſſimum
664. *Jo. Wimpinæ de vita Alberti Animoſi, Lipſiæ 1497* excuſum, typis
denuo vulgandum commendat Autor, id quod præſtabit Cl. Men-
ckenius noſter in Collectione Scriptorum rerum Saxon. Miſnic.
789. &c. quam proxime typis ſubjiciet. Carolum V Imperatorem & Fer-
dinandum Regem Rom. diu hæſitantes, tandem ad pacem Religi-
onis pangendam eo conſilio permovit *Auguſtus* Elector, quod alia
ratione haud obtineri poſſe auxilia contra Turcas, doceret; num
825. vero lapidem Philoſophorum invenerit idem Auguſtus, quod ex
875. ipſius literis probare ſatagunt, noſtrum non eſt dijudicare. Annam
Conjugem, vel quod nimis videretur imperioſa, vel quod diſſidiis
Religionis ſe immiſceret, paullo ante obitum Auguſti gratia fere
excidiſſe, uti nonnulli exiſtimant, alii rectius negarunt. Morte
875. *Chriſtiani II* audita, Rudolfus II Imperator adeo perculſus fertur,
ut toto corpore perhorreſceret: eundem vero Electorem, a ca-
lumniis quorundam vindicatum, ſobria placidaque morte obiiſſe,
1085. demonſtrat Autor. Joſephus Imp. Jus expectativæ in Friſiam
Orientalem conceſſit Regi noſtro Potentiſſimo, Electori Saxo-
niæ, quod Carolus VI Imp. confirmavit. Ceterum lubet & dubia
178. quædam, quæ nobis obvenerunt, paucis ſubjicere. Ottonem M.
Imperatorem in Fioniam penetraſſe, & Ottonium de ſuo nomine
ibi condidiſſe, ut Noſter quidem arbitratur, alii non levibus addu-
186. cti argumentis negant. Eundem Epiſcopis jura ſecularia primum
conceſſiſſe, haud omnes ſibi perſuadebunt. Libelli: *Sachſen Lau-*
223. *enburgiſcher Stammfall*, autorem Chriſt. Frid. Franckenſteini-
um noſtratem haud fuiſſe, certo compertum habemus, quippe
qui Imman. Webero, Prof. Gieſſenſi, meliori jure ab aliis tribui-
338. tur. Albertum Auſtriacum ſua manu peremiſſe Adolfum Im-
peratorem, apud Scriptores coævos vix invenias. *Jo. Fridericum II*,
519. Saxoniæ Ducem, Gotha capta, non Dresdam, ſed Miſenam fuiſſe
deductum, plerique tradunt. Principem Juniorem Hilpershuſa-
661. num non Joſephum Mariam, ſed Joſephum Annam nominari,
701 ſq. relatum accepimus. Quæ de Henrico Pio I Freidigerus inique,
nec ſine calumniæ ſuſpicione effutivit, a *Frid. Strunzio* in Ora-
tione

tione Vitebergæ A. 1714 habita, ibidemque typis expreſſa, ſatis confutata ſunt. Ceterum nihil magnopere in Hiſtoria deſideramus, niſi quod optandum fuiſſet, ut Autori ſumma controverſiarum & transactionum illuſtrium capita repetere, & in rebus dubiis ſententiam ſuam expromere libuiſſet.

ANASTASII DE VITIS PONTIFICUM A Petro Apoſtolo ad S. Silveſtrum, cum notis Variorum. Sub Auſpiciis Sanctiſſimi Domini noſtri INNOCENTII XIII Pontificis Opt. Max.

Tomus II.

Romæ, ex typogr. Vaticana, apud Jo. Mar. Salvioni, 1723, f. Alph. 6 Tabb. æn. 6.

ANaſtaſius, Bibliothecarius quondam Vaticanæ, quantum de ſede Romana meruerit libro *de vitis Pontificum*, inter cætera argumenta ſatis luculenter indicat editio ſplendidiſſima, quæ annis proxime elapſis, auſpiciis Clementis XI & Innocentii XIII, P. P. M. M. a V.C. Franciſco Blanchino, Veronenſi, Prælato domeſtico Innocentii XIII, nuper adornata eſt. Tomum priorem, quo Anaſtaſii imprimis contextus continebatur, annus 1718 nobis præſtitit; ejusque rationem habuimus in Act. A. 1719 p. 425. Nunc diligentiam noſtram deſiderat Tomus ſecundus, quem Innocentio XIII P. M. gratitudinis lege nuncupavit Joannes Maria Salvioni, Typographus Vaticanus. Continentur eo primo Franciſci Blanchini prolegomena, quæ, ſi ſeparatim compingantur, juſti voluminis molem efficere poſſunt; ſecundo variorum in Anaſtaſium notæ. Sequemur editionis ordinem, & inde de prologomenis primum diſpiciemus. Exhibetur iis *primo* Catalogus Pontificum Romanorum antiquiſſimus, ſub Liberio Papa, ſæculo quarto collectus, tanquam baſis & fundamentum hiſtoriæ Pontificalis. Ediderat eum olim Cuſpinianus in *Faſtis* & Ægidius Bucherius *Commentario in Canonem Paſchalem Victorii* p. 269 ſequ. qui & alia eademque breviſſima opuſcula de *depoſitione Epiſcoporum & Martyrum* adjecit, quæ typis itidem

 repe-

repetierunt editores. Hunc Catalogum erudito Commentario illuſtrat laudatus Blanchinus. *Secundo Catalogi* tres Epiſcoporum Romanæ urbis, quos olim edidit Schelſtratenius in *Appendice ad Opus Chronologicum*, cum duobus aliis e Mabillonii *Analectis* deſcriptis. Quibus omnibus notas ſuas adjecit Blanchinus. *Tertio* Emanuelis a Schelſtraten, Belgæ & Canonici primum Antwerpienſis deinde bibliothecæ Vaticanæ Præfecti primarii, diſſertatio de antiqui Romanorum Pontificum Catalogis, ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit, & de Libri Pontificalis autore & præſtantia, cum Blanchini appendice, quo inter ceteras obſervationes rei diplomaticæ amatoribus ſpecimen donationis Caroli M. ex Farneſiano codice, eodem fere ſæculo ſcripto, offertur. *Quarto* ejusdem Blanchini diſſertatio de antiquis Romanorum Pontificum catalogis, eorumq; comparatione & delectu inſtituendo, ex genuinis documentis Romanæ eccleſiæ, ad uſum Hiſtoriæ & Chronologiæ. Scilicet cum nondum omnia a Cl. Schelſtratenio in hoc argumento adeo exhauſta Blanchinus exiſtimaret, quin ſuæ diligentiæ multa adhuc relicta eſſent, inquirendum ſibi ſumſit in hiſtoriam & chronologiam Paparum, qui patriarchalibus in Baſilicis urbis, Lateranenſi, Vaticana & S. Pauli in Oſtienſi depicti antiquitus viſebantur. *Quinto* opuſcula tria chronologica, ex archivo Farvenſi ab eodem Blanchino nunc primum edita. Primum, ex codice membranaceo circa finem XI ſæculi ſcripto depromptum, complectitur epochas Imperatorum, a Julio Cæſare ad Henricum III, inſertis etiam Regibus Gothis & Longobardis, qui Italiæ imperarunt, nec non Principibus ejusdem gentis Longobardicæ, tam ante quam poſt Deſiderium Regem. Alterum opuſculum ſiſtit Catalogum Pontificum a S. Petro ad Benedictum III, ex regeſto Gregorii Monachi Caſinenſis, perductum ex anno Chr. 661 ad A. 1140. Ex eodem regeſto deſumtum eſt tertium opuſculum, Chronicon ſcilicet a Gregorio Caſinenſi, monacho Farvenſi, collectum ex diplomatibus Pontificum Romanorum, Imperatorum, Regum Longobardorum, Ducum, Comitum aliisque publicis tabulis ibi aſſervatis, ex anno 660 ad annum 1098, in quo apparet ſeries Pontificum Romanorum, Imperatorum, Regum, Ducum, nec non ejusdem cœnobii Abbatum, per ſingulos annos Æræ Chri-

Digitized by Google

Chriſti diſtinctos, cum notis Indictionum. *Sexto* Deſcriptio regionum Urbis. Hanc ideo adjecit Blanchinus, quod difficile eſt in lectione Anaſtaſiana verſari ſine aliqua notitia ædium ſacrarum, cœmeteriorum, viarum aliorumque urbis Romanæ ornamentorum, quæ longa ætas deſtruxit atque diruit. Eſt autem illud opuſculum recenſio præcipuorum locorum memorabilium dextra lævaque occurrentium, tum intra muros urbis Romæ, tum in ſuburbanis, juxta ductum viarum. Reperit illud celebris veterum codicum vindex Mabillonius in bibliotheca Monaſterii Einſidlenſis in Helvetia, idque retulit inter Analecta veteris antiquitatis T. IV p. 506; ex quo deſcripſit Editor, ſuamque ei appendicem adjecit. *Septimo* enumeratio topographica cœmeteriorum martyrum prope Urbem, deſumta ex hiſtoria Malmesburienſi circa finem Sæculi undecimi. *Octavo* denique Chronologia Pontificia, Cæſarea & Conſularis, a Julio Cæſare ad S. Silveſtrem Papam, diſpoſita per Franciſcum Blanchinum ſecundum annos Romanorum civiles, comparatos Æræ Chriſti communi & periodo Julianæ Scaligeri. Adjecit huic chronologiæ Blanchinus lapides duos, illuſtrandæ temporum ſeriei; unum Latinum, alterum Græcum. Latinus, in litore Antiati ante annos aliquot inventus, exhibet fragmentum Kalendarii Juliani complectens ſemeſtre poſterius anni a Kalendis Juliis ad Kalendas Januarias, quo multa illuſtriora geſta Cæſaris & Auguſti ad certos dies referuntur, in quibus & dies victoriæ Pharſalicæ V Idus Auguſti, olim ignotus. Lapis Græcus exhibet Epiſtolam Tyriorum, apud Puteolos degentium, quam ex ſchedis Pighii haud ſatis accurate olim ediderat Gruterus, cum in editione ejus, ea quoque quam Batavi recudi fecere, obliteratum ſit Æræ Tyriorum monumentum.

Pergimus ad Partem ſecundam hujus Tomi ſecundi, qua notas & obſervationes variorum ad Anaſtaſium contineri, ſupra annotavimus. Præmittuntur iis in ſingulis Pontificibus verba Anaſtaſii, ex priori editione repetita, ſingulisque verſibus in margine nomina apponuntur eorum, quorum notæ deinde ordine nominum Alphabetico ſubjiciuntur. Harum quædam alias editæ ſunt; aliæ nunc primum in lucem prodeunt. Quæ nunc primum eduntur, ſigno ſtellæ notabimus. Sunt vero Autorum ſequentium:

Digitized by Google

tium: 1 Emanuelis a Schelſtraten (quem ſupra laudavimus) ex Tomo I Antiquitatis Eccleſiæ; 2 Antonii Dadini Altaſerræ, Galli, Profeſſoris Juris in univerſitate Toloſana; 3 Severini Binii, Eccleſiæ metropolitanæ Colonienſis Canonici, & Philippi Labbei, Soc. Jeſu Theologi, ſelectæ ex editionibus, quas fecerunt, Conciliorum; 4 Franciſci Bencii, Præfecti bibliothecæ in Collegio Urbano de propaganda fide; * 5 Franciſci Blanchini, cujus fere induſtria, ut ſupra monuimus, cetera omnia evaluerunt; * 6 Alphonſi Ciacconii ſelectæ ex vitis, quas reliquit, ſummorum Pontificum & Cardinalium; 7 Franciſci Pagii excerptæ ex tribus ejus Tomis geſtorum Pontificum Romanorum; 8 Joannis Claudii Somierii, Doctoris Theologi, Sereniſſ. Lotharingiæ Duci a conſiliis ſanctioribus, ſelectæ ex Hiſtoria dogmatica S. Sedis, Gallico idiomate ab Autore editæ, Latine redditæ, eidemque Romæ agenti in hac verſione recognitæ & probatæ. Inter has variorum obſervationes quin judicio, accuratione & eruditione præcipuæ ſint eæ Franciſci Blanchini, nemini dubium eſſe debet; quare diu nobis deliberandum non erit, an ex alio magis quam ex ipſo ſpecimina noſtra delibanda ſint. Cenſemus vero, recte nos initium ducere poſſe a vexata illa chronologia annorum Petri, in qua adſtruenda mire deſudavit Vir Clariſſimus. Igitur ex ipſius calculo CHRISTUS DOMINUS NOSTER, cum duobus Geminis Romæ Coſſ. anno biſſextili Æræ communis 28 V Kal. Aprilis reſurrexiſſet a mortuis, paulo poſt in apparitione apud Capernaum Petro Pontificis maximi munus ſeu eccleſiæ univerſalis regimen & Epiſcopatum, ante promiſſum, contulit verbis, *paſce oves meas*, Joh. XXI, primusque proinde annus Petri Pontificis completur circa finem menſis Aprilis anni ſequentis Æræ communis 29. Refertur vero poſtremum Paſcha ante martyrium a Petro celebratum in catalogo Liberii, Pontificis ævo, id eſt, ſæculo quarto contexto, ad conſules Nervam & Veſtinum, qui conſules ſignant annum vulgaris Æræ Chriſti 65, iisdemque Coſſ. tertio Kal. Julii, Petrus Romæ pro evangelio cruci affixus eſt: ex quibus conſequitur, Petro tribuendos eſſe Epiſcopatus annos 37 & menſes duos circiter, quot etiam S. Hieronymus enumerat in lib. de Script. eccleſiaſticis. Ex his annis 37 duodecim in Oriente impendit illius

Digitized by Google

lius tractus eccleſiis ordinandis, antequam Romam veniret, conjectura ducta ex Euſeb. Hiſt. Eccl. L. V C. 18, ubi Apollonius, ſecundi ſæculi Scriptor Eccleſiaſticus, tanquam ex veteri traditione refert, Dominum Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ne intra XII annos Hieroſolymis ſive, quod idem videtur Blanchino, Syriæ, cui Hieroſolymæ ſuberant, excederent ad Epiſcopatus alibi conſtituendos. His ita præmiſſis, anno quinto Conſtitutionem ſedis Antiochenæ a B. Petro factam tribuit Blanchinus, idque auctoritate S. Gregorii & Clementis Alexandrini, qui Petrum Antiochiæ ſeptem annis, antequam Romam digrederetur, ſediſſe affirmant. Quæ ſi ita eſſent, commode in catalogis veteribus B. Petro tribuerentur anni 25 acti in ſede Romana, cum hic numerus ſuperſit, ſi a 37 demantur 12. Retulimus hæc bona fide, eorumque dijudicationem iis relinquimus, quibus cum Friderico Spanhemio & Jacobo Baſnagio de Petri Romam adventu, ejusque ſedis annis alia plane ſtat ſententia. Progredimur ad obſervationes Eccleſiæ antiquarias. Narrat Anaſtaſius in vita S. Lini, ſucceſſoris B. Petri, Linum ex præcepto B. Petri conſtituiſſe, *ut mulier velato capite in eccleſiam introiret*. Obſervat Blanchinus, quod Paulus Corinthi per literas præceperit, hoc Petrum Romæ ſanciviſſe, idque primo honeſtatis cauſa, præcavendis paganorum contra Chriſtianos calumniis, ac ſi ad Thyeſtæas cœnas, & ſcelerata convivia convenirent, deinde etiam compeſcendæ impudentiæ muliebri ac ſuperbiæ, ne ſcilicet ſe quoque ſacerdotii novæ legis participes arbitrarentur. Scilicet, cum Diaconiſſarum miniſterio uterentur fideles imprimis in circumtegendis feminis, ad baptiſmi fontem acceſſuris, & adoleſcentularum cura, quibus etiam in repetitionibus eorum aderant, quæ a Catechiſtis audiviſſent, periculum fuiſſe, ne ſibi quoque ſacerdotii, ſolis viris conceſſi, dignitatem arrogarent. Eſſe hujus audaciæ exemplum in literis S. Firmiliani ad S. Cyprianum: *Inter cetera*, inquit, *quibus plurimos deceperat, hoc etiam frequenter auſa eſt, ut invocatione non contemptibili ſanctificare ſe panem & euchariſtiam facere ſimularet, & ſacrificium Domini ſine ſacramento ſolitæ precationis offerret. Baptizavit quoque multos, uſitata & legitima verba interrogationis uſurpans, ut nihil diſcrepare ab Evangelica regula videretur*

Ad vitam Alexandri, anno Chriſti 121 ſub Adriano Pontificatum Romanum gerentis, qua Anaſtaſius, *hic conſtituit* ait *aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum:* ideo ſalis admixtionem benedictioni junctam arbitratur Blanchinus, quod in veteri fœdere nulla oblatio fieret niſi adjecto ſale, quod præceperit Dominus Levitici II, 13: Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies: nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo: in omni oblatione tua offeres ſal. Nimirum, Pontificem, ut doceret preces vim a Dominica paſſione, cujus oblationis veteris typus fuerint, percipere, congruum duxiſſe, ſal aquæ miſcere in memoriam mortis DOMINI, quare hanc aſperſionem memoriam dedicationis Chriſti appellet Tertullianus. Invocari vero a ſacerdote Redemptoris noſtri præſidium contra ſpiritus malignos, felicitati noſtræ invidentes, & inſidias parantes, ad impetus rebellium in nos ſpirituum virtute Chriſti frangendos, & coercendos. Tranſimus, quæ de anachorciſmo p. 96, jejunio quadrageſimali p. 97, clero in gradus diſtributo p. 107, de tonſura clericorum p. 114, de celebratione Paſchatis die Dominica p. 121, de ordinatione ſacerdotum & officio Subdiaconorum in portandis ante ſacerdotes eccleſiam petentes patinis vitreis p. 170 ſequ. de translatione prima corporum Petri & Pauli p. 205, de miſſis ſupra ſepulcris martyrum celebratis p. 238, de ſepultura martyrum p. 243, animadverſione digna dicuntur, & unicum adhuc locum de baptiſmo Conſtantini delibamus. Eſt in Anaſtaſio in vita Silveſtri: *Hic in exilio fuit in montem Soractem perſecutione Conſtantini concuſſus, & poſtmodum rediens cum gloria baptizavit Conſtantinum Auguſtum.* Annotat Blanchinus hæc verba, quanquam Nicomediæ demum ab Euſebio, ejus civitatis Epiſcopo, baptizatum Conſtantinum affirmet Euſebius, cujus ſententiam inter innumeros alios Pagius in Critica, contra Baronium ſentiens, præfert Anaſtaſio, ſtabiliri poſſe per verba Malalæ, qui ſæculo V vixit & hiſtoriam ſuam produxit ad A. C. 474 libri XIII Chronographiæ. Is initio poſt enumeratam crucis viſionem, & victoriam ſub ejusdem auſpiciis reportatam a Magno Conſtantino, memorat *Principis victoris ingreſſum in urbem Romam & legem editam, ut Chriſtianorum eccleſiæ ubique aperirentur.* Tum vero per-

pergit: *ubi jejunaſſet & rudimentis Chriſtianæ religionis imbutus fuiſſet*: „*Baptizatus eſt ipſe, cum Matre Helena a Silveſtro Epiſcopo Romano: Baptizati etiam ſunt propinqui ejus omnes & amici; Romanorumque inſuper aliorum multitudo ingens.*„ *ſic itaque Imperator Conſtantinus Chriſtianus factus eſt.* Nec refragari Malalæ Euſebium, qui de Eccleſiæ ſacramento, a baptiſmi lavacro diverſo, licet appelletur perfectio baptiſmi, nempe *confirmatione*, loquatur; quare Romæ a Silveſtro baptizatus Conſtantinus, Nicomediæ demum confirmatus eſſe intelligendus ſit; quod Hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis ulterius examinandum relinquimus.

THE DOCTRINES CONTROVERTED between Papiſts and Proteſtants.

h. e.

DOCTRINÆ PONTIFICIOS INTER AC PROteſtantes controverſæ, ſigillatim diſtincteque propoſitæ, quarum illæ refutantur, cum Introductione enarrante initia & progreſſum Papatus, ejusque decrementum circa tempora Reformationis. In fine libri ſolide reſpondetur cavillationibus Romanæ Eccleſiæ contra Proteſtantium religionem & Doctores.

Londini, apud Jac. Roberts, 1724, 8.
Alph. 1 plag. 10.

ET nomen ſuum, quo inſignitur, & quod ſuſtinet, munus Cl. Autor plane reticuit; niſi quod in Præfatione eundem ſe eſſe ait, qui haud ita pridem Articulos fidei, quibus pura continetur Eccleſiæ doctrina, dederit explanatos. Fatendum autem eſt, graviſſimos Romani cœtus errores ea eruditione, puritate, ingenio, & judicii acrimonia pleroſque detegi ac refutari in hoc libro, ut ſummo cum fructu ab iis, qui contra hos Eccleſiæ noſtræ inimicos in aciem deſcendere cupiunt, legi poſſit. Dicimus pleroſque. Quod enim ad articulum de transſubſtantiatione attinet, cum iis, qui Calvini ſententiam de ſacramento Cœnæ ac ſpeciatim de humanæ Chriſti naturæ in illa præſentia ſequuntur,

Clar.

Clar. Autor facit, in eaque infirmanda non Pontificios tantummodo aggreditur, ſed & ipſos Lutheranos tecte impugnat. „Si „ad finem ſeculi, inquit pag. 185, Chriſtus demum rediturus in „mundum eſt, aſſequi cogitatione non poſſumus, Chriſtum quo„ad corpus in ſacra Cœna præſentem eſſe. Pag. 197 ſacramentum hoc relationem tantum habere ad Chriſtum, nullaque alia re panem & vinum, in eo appoſita, reliquis cibis præferenda eſſe, quam quod ſanctitatis aliquid habeant, in peculiarem uſum conſecrata: & p. 200, ex his, inquit, manifeſtum eſt, panem vinumque ſignificare ac repræſentare tantum Chriſtum. In his locis a nobis adductis uti ſatis ſectam ſuam prodit Cl. Autor, ita eandem ſpirant, quæ p. 189 legis, ubi certo credere nos debere aſſerit, nullam revelationem a Deo eſſe, quæ ſenſibus rite ſe habentibus repugnet; & pag. eadem: omnes, inquit, ratione præditi homines ſenſualem apprehenſionem pro optimo certiſſimoque veritatis divinæ indice immo fundamento fidei Chriſtianæ habent. Ut plura alia loca brevitatis gratia omittamus. In reliquis articulis, iis ſcilicet, in quibus communis nobis cum Reformatis Pontificios contra cauſa eſt, ſatis candide verſatur. In præfatione ad lectorem Proteſtantium improbat conſuetudinem, qua omnia a Pontificiis e Patrum ſcriptis adverſus doctrinam noſtram allata teſtimonia enervare, ac ſi vel maxime ſecus explicari non poſſint, alium tamen in ſenſum deflectere laborent. Melius eſſe contra exiſtimat, falſis heterodoxorum Patrum teſtimoniis recta recte docentium opponere. In opere ipſo hunc ordinem obſervat, ut, antequam ad articulos ipſos diſciplinæ Pontificiæ accedat, in Introductione præmiſſa originem, progreſſum & incrementa Papatus, ut & ejusdem decrementa, tum in reliquis orbis terrarum partibus, tam ſpeciatim in Regno Britannico oſtendat, ſimulque varias incrementorum ad decrementorum cauſas penitius inveſtiget.
p. 40. Hiſtoriam reformationis, per Henricum VIII laudabili conatu ſuſceptæ, perſequitur, quo tempore tantus monaſteriorum numerus fuit, ut non niſi ingens quoddam mona-
47. ſterium tota Britannia videretur. Locum Apocalypſ. XVII, 13-16 ad Henricum Regem applicat, publico ſcripto primum vindicantem Romanam eccleſiam, poſtea vero eam graviſſime impeten-

tentem. Clarendonii Comitis Hiſtoriam rebellionis ac civilium p. 76.
bellorum, quam alii optimæ notæ opus cenſent, propterea carpit,
quod princeps hiſtorici officium, ſingulorum nempe factorum
cauſam atque originem evolvere, ſæpius neglexerit, eosque viros,
quos minime decebat, in crimen vocaverit. Librum εἰκων βασι- 75.
λικὴ, Carolo I Angliæ Regi abjudicatum, Doctori Gaudenio aſſi- 129.
gnat. Introductione abſoluta ipſas religionis Pontificiæ doctri-
nas aggreditur: qua in re ea methodi via incedit, ut *primo*, eas
revera ſententias Romanæ Eccleſiæ eſſe, ex ipſorum publice rece-
ptis libris demonſtret, *ſecundo* eas labefactet ac deſtruat, anti-
theſi ſimul Proteſtantium aſſerta, *tertio* objectionibus atque argu-
mentis ſecus ſentientium ſolide reſpondeat, *quarto* denique uni-
cuique articulo monita nonnulla moralia aut dogmatica, ex
dictis fluentia, annectat. Capite I Papæ Primatum impugnat: 129.
quod dum facit, non, ut fieri vulgo ſolet, eo ex capite adverſus
Pontificiæ ſedis vindices pugnat, ut nunquam Romæ fuiſſe Pe-
trum evincat, quod fidei hiſtoriæ eccleſiaſticæ repugnare putat,
ſed hac Petri Romæ præſentia conceſſa, nullam ab eo ad ſucceſſo-
res poteſtatem unquam fuiſſe transmiſſam traditamque confir-
mat. Neque appellationes olim ab aliis eccleſiis ad cœtum Ro-
manum factas Pontificis ſedem ſtabilire poſſe, ex eo probat, quod
hæc provocatio ad Pontificem Romanum non tanquam ad ſupe- 154.
riorem Judicem, ſed tanquam ad Arbitrum ſit facta. Cap. II fal- 156.
ſam illam de infallibilitate Papæ opinionem explodit, quam etſi
nonnulli Romanorum non ſoli Papæ ſed Conciliis ſimul ac Ponti-
fici vindicent, non tamen re vera ita ſentiunt, ſed cum in ipſa
praxi de infallibilitate quæritur, vel in Pontifice vel in Conciliis
eam ſtatuunt. Cap. III articulum de Transſubſtantiatione impu- 183.
gnat, non tamen eo, quo debebat, modo, quippe, dum Charybdim
vitare ſtudet, in Scyllam incidens. Deductionem illam ad ab-
ſurdum, qua ex transſubſtantiatione Pontificia ſequi dicitur (quod
tamen impium ac blaſphemum ſit) ipſum Chriſti corpus vel a
muribus arrodi, vel a canibus devorari, nullam refutandi vim
continere, Cl. Autor ea ex ratione cenſet, quod in diebus carnis 191.
Salvatoris noſtri corpus flagellatum ſputisque ignominioſe ob-
tectum ſit, & ſanguis ejus profuſus atque ab impiis impurisque

nebulonum pedibus conculcatus ſit; cum tamen majoris multo
impietatis ſcelerisque hoc ſit, quam a canibus ſanguinem Chriſti
p. 209. lambi. Ad objectionem Lutheranorum contra periculoſam Re-
formatorum de non præſentia Chriſti in ſacra Cœna ſententiam,
qua multa alia in corpore Chriſti accidiſſe ajunt, quæ, licet exter-
nis ſenſibus percepta non fuerint, minime tamen neganda ſint, e.
g. tertio die ex ſepulchro ſaxi mole obſtructo incolume eva-
ſiſſe, clauſasque fores penetraſſe, reſpondet Cl. Autor, ſine omni
miraculo ac ſenſuum deceptione hæc facta eſſe, quum non niſi de-
voluto ab angelo ſaxo, & ſepulchri janua aperta, Chriſtus ſurre-
xiſſe dicendus ſit: verba autem illa Joh. XX, 19, quibus Salva-
tor, obſtructis foribus, in medium congregatorum diſcipulorum
pervaſiſſe narratur, ita interpretatur, ut dicat, non ſignificari hoc
loco penetrationem miraculoſam corporis Chriſti per clauſas &
obſeratas fores, ſed indicari tantum, eo tempore, quo mos fuerat
apud Judæos januas claudere, Chriſtum ad diſcipulos ſuos, remoto
212. peſſulo, veniſſe. Lutheranos etiam ridet, putantes, ob arctiſſimam
218. divinæ & humanæ naturæ copulationem, corpus Chriſti omni-
235. præſens eſſe. Cap. IV Sacrificium Miſſæ, Cap. V communio-
nem ſub una ſpecie tantum, Cap. VI purgatorium & ſatisfa-
271. ctionem, Cap. VII indulgentias, Cap. VIII confeſſionem auri-
282. cularem, Cap. IX preces pro mortuis fuſas, Cap. X extremam
296. 299. unctionem, Cap. XI merita & opera ſupererogationis, Cap. XII
318. ſacra ignota lingua peracta, Cap. XIII cœlibatum Clericorum,
352. Cap. XIV idololatriam Romanæ Eccleſ. & divinum creaturarum
397. cultum ſub examen vocat. Cap. XV objectiones Pontificiorum
de novitate Proteſtantium religionis diluit, ſic ut planum faciat,
omnibus ſeculis extitiſſe viros, Rom. Eccleſ. nævos indicantes ac
veritatem tuentes. Notandum autem eſt, in teſtibus adducendis
minus dextre egiſſe Cl. Antorem, dum eos qui pro Evange-
lica veritate teſtimonium præbuerunt, ad partes Reformato-
400. rum pertrahit. Sic Bertramum Gallum, qui ſeculi *IX* teſtis eſt,
418. veram Chriſti in S. Cœna præſentiam impugnaſſe, falſo tradit.
434. Cap. XVI ſecundæ Pontif. objectioni de non conſentientibus in-
441. ter ſe Proteſtantibus, Cap. XVII tertiæ de non probata a Pro-
teſtantibus ſucceſſione reſpondet. Cap. XVIII probat, Rom. Eccl.

cum

Digitized by Google

cum ſociis ſuis eſſe Antichriſtum, præſertim ex Apocal. I, it. ex p. 474.
II Cap. ſecundæ Epiſt. ad Theſſalonic. refutans Grotium, Hammondum, alioſque, Pontificem hic indicari diffitentes. Deſtructionem Antichriſti probabiliter, ſi a prima Antichriſti epocha in Annum C. 470 cadente ſupputemus, circa ann. 1730, ſi vero a ſecunda, quæ ab anno 606 incipit, inſtituatur ſupputatio, circa annum 478.
1866 futuram conjicit. Cap. XX Mahumedem eſſe orientalem Antichriſtum, vel potius utroſque Papam & Mahumedem unum magnum Antichriſtum conficere, demonſtrat, paralleliſmo inter eos inſtituto.

GOTTFRIDI KOHLREIFFII, THEOL. Licent. & Philoſoph. M. ad Æd. Cathedr. Raceb. Paſtoris Præpoſ. & Conſiſtorial. Chronologia Sacra, a mundo condito usque ad ipſius interitum, nova, facili & jucunda, ex interioribus fontium receſſibus eruta, & majori ex parte apodictica, nullo hiatu, ex ſcriptis humanis redintegrando, laborans, præcipuorum tamen antiquitatis monumentorum conſenſu ſtipata, integritatis atque eminentiæ divinæ, qua S.S. ubique ſibi conſtat ac ſufficit, teſtis ac vindex, plurimorumque locorum Biblicorum, pro difficillimis adhuc habitorum, interpres.

Hamburgi, ſumtu Theod. Chriſt. Felgineri, 1724, 8.
Alph. 1 plag. 10.

CUm maxima exiſtat Chronologiæ S. difficultas, imprimiſque laboraverint hactenus eruditi, ut in emendandis Scripturæ locis, quæ corrupta cenſebant, ingenium experirentur, id ſibi datum putavit Max. Rev. Autor, ut Codicis S. integritate vindicata & accentuationis imprimis, de qua juſtum opus molitur, præſidiis adhibitis, accuratius, quam adhuc a pleriſque factum eſt, univerſam Chronologiæ rationem explicet, ea fere methodo, qua conſcriptas vidimus in Actis noſtris A. 1723 p. 270 & Suppl. T. VIII p. 402 Diſſertationes de Regno Medo-Perſarum & de

tempore Eſtheris, quas adeo Noſtro nunc vindicare non dubitamus. In præfatione, qua præcipuos Chronologiæ S. ſcriptores enumerat, Theod. van Thuynen eo imprimis laudem commeruiſſe cenſet, quod non, ut reliqui fere Calviniani ſolent, tam multa S. Scripturæ loca mendis male affecta, arbitretur, & contra Vignolium notat, quod locum primarium 1 Reg. VI, 1 depravatum falſo ſuſpicetur. Dolet vero, e noſtris Theologis præter Strauchium & Calovium paucos, neque ita eosdem omnes aggreſſos eſſe Chronologiam S. ut Scripturæ teſtimoniis potiſſimum uterentur, & falſæ Eccleſiæ doctores expediendis evolvendisq; rerum Chronologicarum dubiis ideo ineptos eſſe, cenſet, quoniam his S. Scripturæ codex obſignatus ſit. Qua occaſione locum Dan. XII, 10 pro ſententia ſua adducit, eoque nixus, vel jam adeſſe, vel proxime inſtare tempus exiſtimat, quo Deus majori fideles luce in hac quoque ſcientia donaturus ſit. Inter ſcriptores, Sacri Codicis integritati vim inferentes, Whiſtonum, Anglum, refert, in libro imprimis, cui titulus: *an Eſſay towards reſtoring the true text of the old Teſtament*: h. e. Conamen reſtituendi verum V. T. textum; qui cum una cum multis aliis ſimilis notæ ſcriptoribus ad nodos Chronologicos ſubinde tanquam ad ſacram anchoram confugiat: hoc ipſo ſe adductum Noſter ait ad hunc laborem ſuſcipiendum. Novam vero hanc Chronologiam vocat, quod plane aliam, quam vulgo ſit, rationem in ea ſecutus ſit, & quamvis non neglexerit ſcripta Chronol. alia, exoticis imprimis linguis conſignata, minime tamen ea ideo adhibuerit, ut Scripturam ad ea accommodet, ſed ut illius ſumma præſtantia eo lucidius eniteſcat. Partitus eſt librum in duas Partes, quarum priori continetur Canon Chronologicus, algebraica quadam ratione, ſed unicuique plana atque aperta, demonſtratus, & in decem periodos diviſus. Prima a condito mundo usque ad diluvium; altera hinc usque ad exitum Abrahami in terram Canaan; tertia ad exitum Iſraelitarum in eandem; quarta ad ædificationem templi Salomonis; quinta ad captivitatem Babylonicam; ſexta ad Hieroſolymam reſtitutam; ſeptima ad natalem Chriſti; octava ad excidium Hieroſolymæ; nona ad ortum Antichriſtum; decima ad finem mundi pertingit. Pars poſterior uberiorem continet Canonis Chronici explicatio-

nem,

Digitized by Google

nem, demonſtrationem, confirmationem atque illuſtrationem.
Cap. I de conſtituta ſtatim cum mundo condito temporis menſu-
ra ipſiusque mundi conditi tempore agit; ubi de creatione mun- p. 118.
di ex phyſicis varia erudita in medium profert, de tempore vero, 121.
quo hæc mundi ſpectabilis machina a Deo conſtituta eſt, agens, iis
accedit, qui aſſerunt, mundum cum æquinoctio, quod nobis au-
tumnale dicitur, ſive cum ingreſſu luminis in cardinale cœli pun-
ctum, libræ poſtea aſſignatum, conditum eſſe. Cap. II de neceſſa-
ria cautione circa annos completos & non completos adhibenda
Lectorem inſtruit, eoque conſilio certas quasdam regulas præ-
ſcribit. Prima hæc eſt: *Ubicunque vocabulum anni vel nudum,* 126.
vel cum præfixo ב *in ſtatu regiminis, attamen ſine* ה *demonſtrativo*
ſequentis genitivi ponitur, ſequens numerus ad annum præteritum,
ſecus autem ad annum præſentem pertinet. Improbat hic obiter 132.
ſententiam eorum, qui cum Celeb. Buddeo diluvium anno Noachi
ſexcenteſimo ineunte incepiſſe ſtatuunt: felicius enim omnes
difficultates poſſe tolli, ſi poſt illum annum exactum ingruiſſe di-
catur. Infirmo quoque fundamento Copernicanum æque ac 116.
alia ſyſtemata niti, demonſtrare conatur: ampliusque id ſe pro-
baturum pollicetur peculiari ſcripto, quod Coſmotheorum Bibli-
cum inſcribet, non ſolum obſervationibus ſacris, ſed & experi-
mentis phyſicis ornatum. Alteram de annis completis ac incom- 134.
pletis regulam hanc communicat: *In quacunque hiſtoria S. parte*
vel ſemel annus non completus completis aperte adnumeratur, aut
non completos non annumerari, vel ex unico certo conſtat indicio, in
eo id conſtanter fieri putandum eſt. Cap. III de numeris agit Chro-
nologicis ſeptuaginta Interpretum, ubi principio monet, ſe-
ptuaginta viralem verſionem non Ptolemæi Ægyptiorum Regis
juſſu, ſed ab invidis Judæis ſuſceptam eſſe. Expedire quidem,
verſionem iſtam extare, & pro magno Dei beneficio habendum,
quod miſeris gentilibus verbum hac verſione innoteſcere volue-
rit; nec tamen abuti hoc beneficio quenquam debere ad obli-
terandum majus illud, quo fontes Hebræos ab omni, vel in unica
literula, etiam in numeris, a corruptione usque ad præſentem
diem tutata ſit divina bonitas. Cap. IV de numeris Chronologicis
Joſephi diſſerit Cl. Autor, ubi inter alia obſervat, Joſephum, ubi 153.

 nume-

Digitized by Google

numeris Biblicis utitur, nonniſi etiamnum in Bibliis noſtris Hebraicis extantes agnoviſſe, proindeque, quoties ſeptuaginta Interpretibus accedere videtur, in mendo jacere; ceterum certum eſ-
p. 155. ſe, multis Joſephum præjudiciis laboraſſe, ſpeique in Chriſtum exſortem plane extitiſſe. Cap. V accedit ad regnum Terræ Sinear, quod vulgo dicitur Babylonicum, omnium primum. Varia hic ſcitu
166. digna de turri Babylonica inſpergit. Nec ſine animadverſione prætermittendum judicat, quod homines diſpergendi, ad relinquendam nominis ſui famam, urbis turrisq; ſtructuram ſuſcepiſſe nonnullis dicantur. Accentum enim Atnach finem, quem ſibi propoſuerint, a mediis nimis manifeſto diſtinguere, & prohibere, quo minus comparatio nominis ad finem referri poſſit, in mediis potius cenſenda. Cap. VI progreditur ad regnum Terræ Uz, poſtea ab Edomo nomen adeptæ, deque ætate Jobi, Melchiſedeci & Abra-
187. hami agit. De auctoritate libri Job loquens, ultimum hoc antiquitatis monumentum ab ipſo Jobo conſcriptum tuetur, quæque de Arabismis in hoc libro occurrentibus Philologi, & in his Kromayerus, ſentiunt, probari poſſe, negat. Cap. VII de Dynaſtiis Ægyptiorum, Cap. VIII de Chronologia Aſſyriorum, Cap. IX de
237. Sinenſium Chronologia commentatur. In hoc capite ceu rem admirandam notat, Chriſtianos cum Sinenſibus, ex diverſis licet principiis, eidem anno mundi, ſcil. 4541, Salvatoris noſtri mor-
238. tem aſſignare: eosque refutat, qui eclipſi Sinicæ cum tenebris die mortis Chriſti coortis nihil commune fuiſſe dicunt. Minime quoque tolerandam opinionem Origenis ac Iſaaci Peyrerii ducit, qui deliquium Solis tempore mortis Chriſti eclipſin tantummodo particularem fuiſſe, nec alibi extra horizontem Hieroſolymitanum videri potuiſſe, idemque vel ex vaporibus aerisque obnubilatione vel alia tempeſtate natum, putant. Cap. X Aſſyriorum regnum exhibet, deque Nimrodi origine varia immiſcet.
250. Sardanapalum quoque, Ninivitarum Regem, concionibus Jonæ ad
354. pœnitentiam perductum eſſe, temporis ratione habita, haud improbabile putat. Ceterum Canoni Ptolemæi non ubique fidem habendam judicat. Cap. XI agit de Iſraelitarum commoratione in Ægypto, & exitu ex Ægypto in terram Canaan; ſtatimque initio locum illum Exod. XII, 37, 40, 41, ab obſcurationibus Chronologo-

logorum liberat, tropum, quem fingunt, ſcil. nomine filiorum Iſraelis hic comprehendi Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, repudians. Probe etiam obſervandum urget, duplicem genealogiarum rationem in populo Dei fuiſſe, alias nempe ſolum genus deſcribentes, alias vero præter genus & temporis notitiæ inſervientes. Cap. XII de tempore ab introitu in terram Canaan usque ad ædificationem templi Salomonæi diſſerit. Cap. XIII locum 1. Reg. VI, 1, omnium difficillimum, ad quem tanquam ad lapidem offenſionis per tot ſeculorum decurſum Chronologi impegerint, ita explicat, ut ad multa alia loca feliciter evolvenda viam ſimul ſibi pariat, duplicem nempe epocham in eo deſignari docens, alteram minorem, ubi diſerte indicatur, annos numerari ab exitu ex Ægypto, alteram majorem, qua non exprimitur, unde anni derivandi ſint, quemadmodum & hodie raro annis Chriſti, unde deducantur, adjicimus. Cap. XIV, de Chronologia Regum Iſraelis & Judæ, ad dilucidandam Regum hiſtoriam, quinque aphoriſmos proponit: ſimulque voce בִּשְׁנַת conſtanter annum poſt illum, qui numeratur, ſignificari, notat. Cap. XV de annis agit a primo Cyri usque ad primum Artaxerxis I, ex Scriptura reſtituendis. Hic ex eo, quod Cambyſes in Esd. IV, 6 Ahasverus nominetur, evincit, Ahasverum maritum Eſtheris non alium eſſe, quam Cambyſen. Tum e clauſula epiſtolæ Ahasveri, quam pro Judæis ad omnes regni ſui provincias miſit, quamque Noſter neutiquam pro ſuppoſititia habendam putat, ex illis item, quæ apud Herodotum de ignominia idolis eorumque templis a Cambyſe illata leguntur, apparere putat, Cambyſen ab Eſthere ad agnitionem veri numinis adductum eſſe. Cap. XVI ſermo inſtituitur de annorum hebdomadibus usque ad Chriſtum numerandis, Dan. IX, 24. Cap. XVII de anno nati Chriſti ſententiam ſuam exponit. Cumque in ſuperioribus a priori ex prædictis Danielis Propheticis demonſtraſſet, annum poſt trigeſimum primum Artaxerxis primi quadringenteſimum trigeſimum quartum, qui in canone Ptolemæi numeratus ut trigeſimus poſt pugnam Actiacam, eſſe annum nativitatis Chriſti: nunc a poſteriori hunc annum verum eſſe nati Chriſti, ex Evangeliſtarum teſtimoniis, cum monumentis profanis, imprimis Joſepho, collatis, reddit perſpicuum. Præterea Chri-

Margin: p. 286. (beside "pudians. Probe etiam…"); 360. (beside "usque ad primum Artaxerxis…"); 365. (beside "Tum e clauſula…"); 395. (beside "nis, imprimis Joſepho…")

p. 396. Chriſtum natum anno 35 Regis Herodis pro certo ponit, & eorum ſententiam probat, qui ſtatuunt, in Epocha Chriſti vulgari figenda nullum errorem commiſſum. Hinc ipſum adeo diem natalem
399. Chriſti pateſcere indicat. Si enim Herodes initio menſis Niſan deceſſit, nihil magis probabile eſſe, quam Chriſtum ipſo Paſchatis die, quo & ſe aliquando Deo in morte ſacrificaturus erat, ob-
401. latum eſſe Domino. Ex eo porro, quod Chriſtus anno poſt pugnam Actiacam trigeſimo vergente natus eſt, concludit, annum ſequentem non poſſe non eſſe primum annum Julianum poſt Chriſtum natum, incidentem ſecundum calculum Scripturæ S.
427. in annum mundi 4510. Cap. XVIII pergit ad annos Miniſterii & Mortis Chriſti, docens, ante annum vigeſimum Tiberii paſſum eſſe Chriſtum, cumque annus Chriſti vigeſimus nonus ſit decimus ſextus Tiberii, reſtare pro annis Miniſterii annos Tiberii decimum ſextum, decimum octavum & decimum nonum. Hinc quoque ſequi putat, eclipſin Solis extraordinariam, quam in commentarios ſuos retulit Phlegon Trallianus, Hadriani Cæſaris libertus, vel ſi mavis ipſe Hadrianus, eandem fuiſſe cum ea, quæ in
409. Chriſti morte accidit. Idem probat de terræ motu tempore mortis Chriſti, quem non ſolum in Bithynia, ſed per univerſum orbem obſervatum fuiſſe, docet. Diem, quo crucifixus Salvator eſt, primam Paſchatis Judaici feriam fuiſſe, evincit, nec audiendos putat, qui eum non una cum Judæis agnum paſchalem comediſſe tradant. Cap. XIX de annis bis mille & trecentis, Danielis VIII, 14, & demum Cap. XX de imperio urbis Romæ, ortu Antichriſti, & ultimis temporibus, ex Dan. XI & Matth. XXIV accurate agit. Acceſſere poſtremo appendicis loco 1 Dynaſtiæ Ægyptiacæ Manethonis, maxime ſecundum Julium Africanum; 2 Reges Thebani ex Eratoſthene; 3 Canon Claudii Ptolemæi. Tandem Cl. Autor Supplementa elegantiſſimis obſervationibus partim Chronologicis partim Exegeticis referta attexuit.

FRIDERICI GENTZKENII, POLIT. ET PHYS. Prof. Ord. Syſtema Philoſophiæ, in uſum Juventutis Academiæ Cimbricæ adornatum.

Kiliæ,

Digitized by Google

Kiliæ, literis J. C. Reutheri, 1722, 4 & 8.
Alph. 6 pl. 18.

CEleberrimi *Buddei* exemplo, qui in uſum ſtudioſæ juventutis, quam privatis ſcholis quondam erudiebat in omnibus Philoſophiæ partibus, concinnatas ex optimis Philoſophis *Inſtitutiones Philoſophiæ eclecticæ* edidit, etiam Celeb. Gentzkenius totum Philoſophiæ Syſtema theſibus, quam fieri potuit, breviſſimis ac pauciſſimis complexus eſt, quas explicaret & illuſtraret ſuis auditoribus. Separatim jam ante plerasque hujus Syſtematis partes ediderat: at nunc recognitas ſingulas ac locupletatas in unum volumen conjungendas duxit. Exhibentur autem hic libri duodecim: 1 Diſſertatio de natura & indole Philoſophiæ in genere, 2 Hiſtoria Philoſophiæ, 3 Metaphyſica, 4 Logica, 5 Theologia naturalis, 6 Phyſica, 7 Pneumatologia, 8 Juris divini naturalis prudentia, 9 Ethica, 10 Pathologia, 11 Politica, cui adjungitur Diſſertatio de matrimonio clandeſtino, Gallis dicto *le mariage de conſcience*, 12 Juris divini poſitivi prudentia. Non exigent a nobis Lectores noſtri, ut pluribus recenſeamus ſingulas hujus Syſtematis partes: cum tamen de ſingulis nonnulla videantur commemoranda, breviter noſtro fungemur officio. *Diſſertatione* itaque *proœmiali* generatim exponitur natura *ſapientiæ*, *prudentiæ*, & *virtutis*, ac ſimul omnes ſub Philoſophiæ ambitu comprehenſæ doctrinæ juſta methodo ſuccincte exponuntur, atque ex ſolidis fundamentis demonſtrantur. In *Hiſtoria Philoſophiæ*, quæ anno ſuperiori Hamburgi, paſſim aucta, imprimis Vita G. G. Leibnitii (quem virum appellat ultra hominum ſortem doctum) ſigillatim recuſa eſt Hamburgi in forma octava, Philoſophorum celebrium omnis ævi vitæ, eorumque hypotheſes notabiliores, ac ſectarum fata, compendioſe deſcribuntur, ducibus ſcriptoribus accuratiſſimis. Ac pertexta quidem hæc hiſtoriæ tela eſt ad hanc noſtram ætatem, ne omiſſo quidem Illuſtri *Chriſtiano Thomaſio*, quem *ſtrenuum* vocat *libertatis philoſophicæ in Germania vindicem:* ut fatendum nobis ſit, melius & concinnius Compendium Hiſtoriæ Philoſophicæ vix exſtare. In *Metaphyſica*, ſequeſtra-

Digitized by Google

tis inutilibus, generaliores ideæ, ſolidum fundamentum habentes, commodis terminis exprimuntur, ac univerſales inde fluentes veritates breviter exhibentur & perſpicue. Hic *p. 17* rejicit Scholaſticam diviſionem ubietatis in *repletivam, definitivam, & circumſcriptivam. P. 43 ſubſtantiam* definit *ens extenſum & per ſe ſubſiſtens.* In *Logica* Cl. Autor p. 18.-34 ſingulari induſtria agit de *probabilitate*, ejus criterio, gradibus, & ſpeciebus, ſcilicet probabilitate phyſica, practica, hiſtorica, & hermenevtica. Ac ſub finem hujus libelli exhibetur ſingularis Diſſertatiuncula de uſu doctrinæ de probabilitate. In *Theologia naturali*, præmiſſa exiſtentiæ divinæ demonſtratione, oppoſitisque erroribus, atheiſmo, Spinoziſmo, ac ſuperſtitione, confutatis, non ſolum ſecundum inſitæ rationis lumen Dei perfectiones ex ſolidis fundamentis adſtruuntur, ſed & jus Dei eidemque reſpondentia hominum officia exponuntur, atque ita cognitio Dei cum modo eum colendi conjungitur. Quod hic *p. 20 ſqq.* exhibetur *de ſuperſtitione* Caput, lectu digniſſimum eſt. *P. 29* Deo tribuitur *extenſio immenſa*, hujusque doctrinæ indicatur fundamentum. *P. 76 ſqq.* exhibet Cl. Autor criteria religionis vere divinæ, eaque ad Chriſtianam noſtram religionem applicat. In *Phyſica* præcipuæ Phyſicorum hypotheſes, pro demonſtrandis rerum naturalium phænomenis conſtitutæ, ſuccincte exponuntur, & quidem plerumque duce Cl. Rudigeri noſtri *Phyſica divina.* In *Pneumatologia* Cl. Autor, præmiſſa hiſtoria doctrinæ de ſpiritibus, non ſolum generatim ſiſtit naturam & proprietates ſpiritus creati, verum etiam ſpeciatim contemplatur naturas plaſticas, item animas brutorum, mentem denique humanam, omnesque huc pertinentes controverſias exponit pariter ac reſolvit. In *Juris naturalis prudentia* fundamentum omnis juſti cum Pufendorſio ponit *ſocialitatem*, & ex hac deducit omnia erga nosmet ipſos & alios homines officia, omiſſis officiis Deo debitis, ſupra quippe jam pertractatis in Theologia naturali. In *Ethica*, quam Cl. Autor definit *doctrinam honeſti & decori*, interſperſis præcipuorum Philoſophorum diverſis ſententiis, hoc tandem ponit *honeſti* fundamentum: *Quicquid amor rationalis ad beatitudinem obtinendam agendum aut omittendum eſſe judicat, id eſt honeſtum, & contrarium eſt turpe.*

Hic

Digitized by Google

Hic etiam *p. 46-60* exhibet *artem characteriſticam*, probabiliora dogmata ſtabiliens contra communia præjudicia, idque ſtimulatus dubiis a Longolio receptæ doctrinæ objectis. *Decori* fundamentalem propoſitionem hanc facit ſuam: *Quicquid in genere actionum externarum & indifferentium approbationem aliorum & exiſtimationem nobis conciliat, illud eſt decorum: quicquid vero aliorum faſtidio, illuſioni & contemtui nos obnoxios reddit, illud eſt indecorum.* In *Pathologia*, ſive Tractatu Ethico-Phyſico de affectibus humanis, omnes affectus tum generatim, tum ſpeciatim conſiderantur, eorumque natura, proprietates, diverſæ ſpecies, objecta peculiaria, phyſici characteres, ſingularia phænomena, naturales & morales uſus, varii abuſus, horumque moralia remedia exhibentur. In *Politica* ſive Philoſophia civili, præmiſſa ſimplicium ſocietatum conſideratione, exponitur modus, quo civitas ſecundum regulas juſtitiæ & prudentiæ ſit conſtituenda & adminiſtranda, ita, ut omnia ſummi imperii jura debito ordine & nexu ſiſtantur. Denique in *Juris divini poſitivi prudentia* Cl. Autor leges divinas poſitivas univerſales juſta ſerie exhibet, controverſias ibi occurrentes enucleans ac perſpicue ſolvens. Diſſerit igitur de non comedendo fructu arboris boni & mali, de vitando ſanguinis eſu, de muneribus non accipiendis, de ſpicilegio intermittendo, de ſolvendis decimis, de mercede operariis reddenda, de pignore non ſumendo, de retorſione verbali, de citatione in vallem Joſaphat, de polygamia, de ſubjectione uxoris, de inceſtu, de divortio, de concubitu cum uxore menſtruata, de poteſtate judiciali, de poteſtate punitiva, de jure belli gerendi, de veſtibus non commutandis, de mendicis non tolerandis, de jure & obligatione docentium, itemque auditorum, de jure & obligatione totius eccleſiæ, de ſolo Deo adorando, de votis ſancte reddendis, de Deo non tentando, de confeſſione nominis divini, de Deo ſub imagine rei creatæ non colendo, de Sabbatho ſanctificando, de honeſto divino poſitivo, de decoro Chriſtiano. Facile apparet ex hac σκιαγραφίᾳ, auditores Cl. Autoris egregie, ſi modo ipſi ſibi non deſint, in ſapientia philoſophica proficere, dignaque eſt ejus & induſtria & ἀκρίβεια, quam in ſeligendis bonoque ordine digerendis optimorum Philoſophorum doctrinis hic oſtendit, ut

omnibus Philoſophiæ ſtudioſis de meliore nota commendetur hoc Syſtema vere eclecticum.

VOYAGE DE SYRIE ET DU MONT LIBAN.
i. e.
RELATIO ITINERIS IN SYRIAM ET AD montem Libanum ſuſcepti, Autore DE LA ROQUE.
Tomi II.

Amſtelodami, apud Hermannum Uytwerf, 1723, 12 maj.
Alph. 1 pl. 1½. cum fig. æn.

AUtor, edito antea in *Arabiam felicem* & *Palæſtinam* itinere clarus, nunc exhibet deſcriptionem itineris in ipſum *Libanum* montem ſuſcepti, de quo incerta & fabuloſa fere hactenus tradita fuiſſe, in præfatione queritur. Nos potiora Lectori repræſentabimus. Initium *Libani* montis facit ſupra Tripolim urbem, terminum ejus Damaſcum; *Antilibani* initium infra Sidonem, terminum montes Arabiæ vel Trachonitidis. Ambitus utrinsque horum montium centum leucarum longitudo ab occidente in orientem ad 40 leucas. Media inter eos vallis *Cœleſyria* dicta. Quæ de reliqua figura ejus, rectius fortaſſis ex *Macindrelli* mappa noſcenda, dicit, cum iis, quæ ſequantur, vix concilianda. *Canubui*, a Græco Cœnobium deductum, eſt Monaſterium & ſedes Patriarchæ Maronitarum, qui Papæ permiſſu ſe etiam Antiochenum Patriarcham vocat, & nomen Petri, ex quo die ad hanc dignitatem eligitur, ſumit. Situm eſt non procul ab editiſſima parte montis ſupra Tripolin. Non longe ab eo abeſt vicus *Bſciarray*, Epiſcopum Maronitam habens, in cujus vicinia ſub ipſo editiſſimi jugi ſupercilio cedri eminent numero viginti majores, ſilvulam conſtituentes, mixtis quippe inter majores parvis atque etiam minutulis. Figura cedrorum & fructuum, quos majores ferunt, ab Autore depicta exhibetur. Unicas has eſſe reliquias magnæ olim copiæ harum arborum, conſtat, nec tota ea regione vel in vicina Aſia ſimiles occurrere. Singulare eſt, quod rami earum æſtate diffunduntur ampliſſimæ coronæ inſtar, hyeme contrahuntur & in conum quaſi acuminatum coguntur: alias enim ferendo

rendo oneri nivis allapſæ pares non forent. Parvo inde itinere verſus meridiem eſt *Eden*, Archiepiſcopo Maronita gaudens, quo loco in planitiem pulcherrimam deſpicitur; unde orientalibus perſuaſum, hunc fuiſſe locum Paradiſi terreſtris. Regionis hujus montanæ, a Maronitis habitatæ, plures ſunt portiones partim a vicinis urbibus litoralibus *Botry* (*Patron*) Byblo (*Gebel*) &c. dictæ, partim aliis nominibus inſignitæ, veluti *Giobbet Bſciarray*, a vico modo memorato (qui pridem munitus) dicta; maxime auſtralis portio & prope Berythum, qua confines ſunt Druſi, *Keſroan* (*Caſtrevent* Europæis) appellatur, habens *Antoura* vicum, ubi Jeſuitarum miſſionariorum domicilium. A Berytho usque ad Tyrum habitant *Druſi*, quorum regio, in mediterraneis usque ad Damaſcum excurrens, *Antilibanum* maxima ex parte complectitur. Diviſa & ipſa in varias partes, quarum quæ vocatur *Chouf* prope Sidonem ab Emiro ſive primario Druſorum Principe, reliquis minoribus imperante, habitata, ſedes ipſa *Dairal Gamar* appellatur. In *Wadettein*, alia hujus regionis parte & ad Damaſcum usque excurrente, fontes Jordani conſpiciuntur. Hæc de regionis montanæ Libanotidis & Antilibanotidis deſcriptione. Multus vero etiam eſt Autor in deſcribendis memorabilibus urbis *Balbec* ſive *Heliopoleos*. Sita eſt ſcilicet eadem in valle inter Libanum & Antilibanum ſpatioſiſſima. Stupendæ vero magnificentiæ rudera ex antiquitate ibidem ſunt conſpicua: inter quæ eminet palatium & templum. Hoc quidem fere integrum extat, cujus imaginem exhibet Autor, exemplar Architecturæ Romanæ exquiſitiſſimæ. Periſtylon vel Peripteron columnis Corinthiacis 52 ped. altis cingitur numero 40, quarum 16 frontem anteriorem & poſteriorem, reliquæ latera ornant. Porticus omnis ſculptura plane admiranda ubique ornatus. In templo ipſo navis viſitur cum ſpecie quadam chori: ubique vero nidi ſtatuis & imaginibus locandis deſtinati. Palatium, cui temporis injuria non æque pepercit, figura deprehenditur oblonga parallelogramma, foſſa profunda cinctum. In angulis eminent turres quadratæ prægrandes. Proſtylon ejus ornatum eſt columnis Doricis. Intus & ſuperato primo veſtibulo, eoque ſubdiali, objicit ſe ſpectandum ædificium hexagonum, aditum faciens ad alterum ſubdiale vel

 atri-

atrium,porticu utrinque ornatum, latum 8,longum 66 hexapodis, quod claudebatur ædificio poſtremo, cujus vero ſolum reſtant columnæ 9 prægrandes & fere coloſſeæ. Inferiora fornicatis cameris ſtupendæ artis conſtant. Muri omnium horum operum lapidibus inſanæ magnitudinis,quorum aliqui 60 pedum latitudinem, 18 profunditatem habent, compacti ſunt. Lapidicina, ex qua depromta hæc ſaxa, prope ipſum oppidum Balbec etiamnum viſitur. Eſt & aliud templum rotundum minus, totum fere ex marmore, quod jam cultui Chriſtianorum Græcorum cedit, cumque S. Barbaram ibi conditam putent, nomen inde templo impoſuerunt. Quod ad antiquitatem horum operum, notat Autor,Judæos credere, hæc omnia Salomoni deberi, quod commentum ipſa inſpectione confutatur. Nec minus falſam eſſe opinionem eorum, qui eandem hanc urbem pro *Tadmor* vel *Palmyra* habent, oſtendit Autor e deſcriptione Arabiæ Sultani Abulfedæ, in Gallicum ſermonem a ſe translata. Errat quoque Plinius, qui prope Heliopolim *Orontis* fluvii fontes locat: ex inſpectione enim Autor probat, ortum ejus non eſſe in valle inter Libanum & Antilibanum, ſed extra Libanum loco 4 leucis a ſummo jugo Libani Canubino diſtante, probe urbem *Giranije*. Unde idem fluvius, recta fere verſus ſeptentrionem delatus, Emeſamque (*Chems*) & Apameam (*Hama*) præterfluens, poſt modicum diverticulum in mare infra Antiochiam devolvitur. Ceterum extant plures nummi Heliopolenſes, unde dignitas urbis ſub Imperatoribus Romanis (ſub Severo quippe coloniæ Romanæ jura adeptæ) colligitur. An vero Elagabalus, quem Sacerdotium Solis in hac urbe exercuiſſe conſtat, autor ſit templi ſupra deſcripti, dubium videtur Autori, quod imperium ejus vix 5 annis duraverit; quod tamen argumentum parum ponderis habere videtur.Varia dein fata habuit urbs,quæ modo in Saracenorum, itemque Tamerlanis, modo in Chriſtianorum Principum poteſtatem venit. Numerus habitantium hoc tempore 6 vel 7 millium æſtimatur. De fluviis ex Libano defluentibus dum diſſerit Autor, *Eleutherum* falſo haberi credit pro *Kaſemiech*,qui recipit *Letain* & proxime ſupra Tyrum in mare defluit. Potius,ad ductum Strabonis, quærit eum inter Orthoſinm (*Tortoſam*) & *Tripolin*,ubi occurrit fluvius,Magnus ſive *Kebir* dictus,impri-

primis cum Joſephus Eleutheri oſtia Sidone borealiora faciat, *Kaſemiech* vero longe ſit auſtralior eadem. De *Chryſorrhœa* fluvio, qui nunc *Barradi* vel *Barrada* dicitur, obſervat, ipſum in ſeptentrionali parte non longe a Damaſco ortum, ferri in meridiem, & prope illam urbem, in alveos & ramos perquam multos diviſum, delitias & temperiem univerſo illi campo conciliare, nec longe inde iterum in unum alveum cogi, tandemque bidui itinere auſtrum verſus decurrentem, perdi in lacu aliquo grandiori, & nullatenus in mare exire. *Amana* & *Pharphar*, II Reg. V memoratus, non eſſe niſi ramos hujus fluvii, nequaquam vero partem Orontis, ex hoc ipſo intelligitur. Hæc e primo Tomo, duas partes operis complexo. Altero Tomo, quæ a tertia parte initium ducit, cum Autor deſcriptionem nationum, quæ Libanum incolunt, *Maronitarum*, *Druſorum*, *Turcomannorum* vel Amedenſium ſe daturum promiſiſſet, ſui oblitus, Maronitarum tantum res atque origines fuſe deſcribit. In his obſervat, quosdam ex Latinis, ſeductos ab *Eutychio* Patriarcha Alexandrino, qui annales ad annum usque Chriſti 947 lingua Arabica ſcripſit, in ea opinione fuiſſe, atque eam ſcriptis quoque propugnaſſe, Maronitas dici a *Marone* quodam, Monacho hæreſeos Monotheliticæ erroribus infecto. Sed ipſos Maronitas & inter eos *Fauſtum Naironium* contendere, ſe nomen ferre a *S. Marone* Anachoreta, circa initium ſeculi V celebri, cujus vitam deſcripſit Theodoritus. Primum ait monaſterium a ſequacibus & diſcipulis ejus circiter octingenta ſtructum fuiſſe *Apameæ*; hosque omnes orthodoxos, ab hæreticis potius aliis tota regione ſparſis Maronitarum nomine invidiæ cauſa vocatos, variisque perſecutionibus vexatos. Cum *Jacobus*, Monophyſitarum autor, in iisdem regionibus errores ſuos ſpargeret circa annum 584, contra eum veritatem editis ſcriptis defendiſſe *Joannem*, ab hoc monaſterio, quod regebat, & ob virtutes, quibus elucebat, *Maronem ſecundum* dictum; qui falſo a recentioribus pro Monothelita habeatur. Cum ſub imperio *Conſtantini Pogonati* Syriam invaſiſſent Saraceni, Maronitas Libani incolas, capite & duce ſibi lecto, eis ſe oppoſuiſſe; quod tamen ipſe Conſtantinus minime probaverit, ex eoque tempore ab inimicis *Mardaitas*, quod rebelles ſonat, vocatos fuiſſe.

Cum

Cum autem pacis etiam temporibus incurſiones in Saracenos continuarent, conventum inter Saracenos & Imperatorem, ut is Maronitas e Libano deduceret, quorum adeo duodecim millia ad fines *Armeniæ* & *Ciliciæ* rejecta. Inter eos qui in Libano remanſerunt, circa exitum ſeculi XII turbæ dicuntur motæ per *Thomam* quendam Archiepiſcopum *Kfartab* Monothelitam; quarum finis, ut circa annum 1182, interpoſitione Antiocheni Patriarchæ Aymeriti, illi qui Thomam ſecuti fuerant, ad priorem, hoc eſt, Romanam fidem reducerentur: ex quibus geſtis male intellectis natam eſſe volunt fabulam, a *Guilielmo Tyrio* relatam, de tota gente tunc demum ad orthodoxam fidem & eccleſiam reducta, aſſerit Apologeta Maronitarum ſupra laudatus. Ceterum cum objicitur, in libris Maronitarum deprehendi errores Jacobiticos, reſpondet, illos eſſe interpolatos; de qua re quidem difficilius jam eſt judicium, poſtquam Patriarchæ, Maronitarum zelo inconſiderato inducti, pleroſque libros, ex quibus doctrina eorum cognoſci poſſet, ſive pravos, ſive bonos, igni tradiderunt. Tandem ut appareat, non omni eruditionis laude deſtitui Maronitarum gentem, catalogus doctorum numero fere 28, inter quos *Gabriel Sionita*, *Abrahamus Ecchellenſis* &c. exhibetur. Subjungitur tertiæ huic parti vita *Domini de Chaſtevil*, Aquenſis ex Provincia, qui in Libanum montem ſecedens, Eremitam auſteritate ſumma egerat, nuncque etiam ab incolis fere ut Sanctus colitur; nec non Hiſtoria principis Maronitæ *Juriés*, qui primo coactus ad Muhammedanam religionem ſe contulerat, poſt Chriſtianam iterum cum Muhammediſmi deteſtatione publice profeſſus, eaque propter crudeli ſupplicio, palo nempe per viſcera adacto, a Baſſa Seydenſi peremtus memoratur. Junguntur literæ & diplomata, quibus *Huſſum Caſen*, Princeps ex Maronitis, quo ſede ſua pulſo, Sultanus alium ex Druſis Principem regionis ejuſdem fecerat, in tutelam Gallicam a Ludovico XIV recipitur, & Conſul nationis Gallicæ Baruthi conſtituitur.

THE FEMALE PHYSICIAN.

i. e.

VALE-

VALETUDINARIUM MULIERUM; AUTORE JOHANNE MAUDRAY, M.D.

Londini, apud Jacobum Holland, 1724, 8.

Alph. 1 plag. 4.

AGit in hoc Tractatu Clariſſ. Autor de Morbis, quibus tam virgines, quam in matrimonio viventes, ut & viduæ, ſunt ſubjectæ, artemque obſtetricandi exponit, & opus dividit in octo ſectiones, in varia iterum capita diſtributas. In *Sectione I*, poſtquam de Deo, Natura, Homine, Anima, & Corpore humano pauca præfatus fuerat, Fœtus formationen, animationem, maturationem, & nutritionem ante oculos ponit; pergit hinc in *Sect. II* ad virginum morbos, inter quos potiſſimum Chloroſin & Appetitum venereum ſub examen vocat, atque de virginitate, coitu, vi imaginationis & ſimilitudine fœtus ſermonem facit. In *Sect. III* in Conceptionem ejusque ſigna inquirit, regimen gravidis præſcribit, earum Symptomata allegat, ac partus theoriam tradit. In *Sect. VI* Artem obſtetricandi explanat, parteſque in fœminis generationi inſervientes delineat. In *Sect. V* cauſas curamque partus difficilis, tam naturalis, quam præternaturalis inſinuat. In *Sect. VI* regimen ordinat & Valetudinarium pandit Puerperarum, quæque circa lactationis & ablactationis tempus infantum, horumque morbos præcipuos obſervanda ſint, docet. In *Sect. VII* de Conceptionibus præternaturalibus & Sterilitate tractat, & in *Sect. VIII* Viduarum Symptomata, in ſpecie Paſſionem hyſtericam & ſuffocationem uteri exponit. In hiſce omnibus quæcunque Autor a Scriptoribus fide dignis & in Arte celebribus clare deſcripta invenit, aut proprium ſtudium laborioſum, profundæ & crebræ meditationes, & Praxis locupletiſſima ſuppeditarunt, fideliter communicat, & ubi de morbo quodam diſſerendum eſt, non ſolum naturam ejus clare ante oculos ponit, ſed & in cauſas inquirit, ſigna diagnoſtica & ſymptomata inveſtigat, prognoſin addit, hisq; therapiam tam præſervatoriam quam curatoriam ſubjungit; de Arte vero obſtetricandi ubi agit, ita ſe gerit, ut ſummam ejus utilitatem & neceſſitatem non ſolum inſinuet,

ſed & cautelas & enchireſes, in ſingulis caſibus obſervandas, ſummo ſtudio inculcet. Pauca cum L. B. communicabimus.

Anima, juxta Autoris ſententiam, tanquam divina ſubſtantia, mediante corpore quodam æthereo ceu vehiculo cœleſti, Deo, tanquam centro mundi, ita jubente, primum in cor infunditur, unde calido innato, ſpiritibus & humoribus immiſcetur, per morbos vero calido extincto, ſpiritibusque cum humoribus diſſolutis, ad cor, & tandem ex eo ad vehiculum ſuum originale revertitur, vel cruciatibus infernalibus vel æternæ beatitudini deſtinanda. Infunditur autem eadem 70 aut ad ſummum 100 die a conceptione, prout formatio fœtus citius vel tardius abſolvitur. Succedit vero hæc ſeqnenti modo: ſubſtantia ſcilicet ſpirituoſa ſeminis virilis & fœminini, in utero bene conformato concurrens, ope generativæ & activæ ſuæ virtutis producit intervallo 7 dierum genituram, tres bullulas includentem, tribus ſpermaticis viſceribus dicatas, quarum prima puriſſimam ſeminis partem, ſpiritibus vitalibus turgidam, pro corde, ſecunda craſſiorem & pinguiorem, ſpiritibus naturalibus fœtam, pro hepate, & tertia frigidam & crudam, ſpiritibus animalibus refertam, pro cerebro continet. Eadem ſubſtantia ſpirituoſa quatuor facultatibus diſtinctis eſt prædita, quarum prima, animativa ſeu vivificans dicta, ſeptem dictis diebus circumſcribitur, intra quos tempus ſpumificationis, lactationis ſeu coagulationis abſolvitur. Secunda ſeu ſeparativa, conſtituendis partibus organicis deſtinata, ſequentibus 8 vel 10 diebus, aut 15 vel 17 die a conceptione perficitur, hocque tempus delineationis ſeu ramificationis, & genitura embryo vocatur. Tertia collocat partes materiales juxta naturæ leges in ſuum ordinem, figuram, & ſitum per ſequentes 12 vel 15 dies, aut 27 vel 32 die a conceptione, quod tempus carnificationis appellatur, & tunc embryo recipit nomen fœtus. Quarta ſeu formatrix facultas, ſingulis membris debitam magnitudinem, figuram, & formam naturalem impertit per ſequentes 8 vel 18 dies, aut 35 vel 50 die a conceptione, quod tempus coarticulatæ formationis eſt, & tum fœtus infans vocatur. Quodſi igitur infans perfecte formatus fuerit 35 die, animatur die 70 & naſcetur 210 die, ſeu circa finem ſeptimi menſis; ſi 40 die animatur, 80 die, & partus cadet in octa-

octavum menſem; ſi 45 die, animatio 90 die, & partus nono menſe continget; ſi 50 die, animatio 100 die, partus decimo menſe ſuccedet. Animatio enim duplex ſemper requirit ſpatium reſpectu formationis ad conceptionem, & triplex partus ad tempus animationis. Non habet itaque homo determinatum naſcendi tempus, ſed a ſeptimeſtri ad undecimeſtrem legitimus & naturaralis eſt partus. Cauſa vero præcocis vel ſerotinæ formationis, animationis & partus dependet vel a conditione ſeminis, vel a facultatis formatricis diverſa activitate, vel a temperamento uteri, vel a matris habitu & vivendi modo, maturationem, perfectionem & robur infantis diverſimode moderante, vel denique a ſiderum, potiſſimum planetarum, influxu, cui ubique multum acceptum eſt referendum. Quemadmodum autem conceptio prima atque principalis actio & functio peculiaris eſt uteri, qui miſcet debito modo & fovet ſemina tam maris quam fœminæ, ita eidem debetur numeroſæ prolis conceptio, cujus culpa vel in ipſo utero latet, vel immiſſioni ſeminis eſt tribuenda. Sive enim uterus juſto ampliorem nactus ſit cavitatem, ſive nimis avide attrahat ſemen virile, contingere poſſunt tot conceptiones, quot venarum orificia adſunt, & ſingula vaſa diſtinctam materiæ ſpermaticæ portionem attrahere, ac conceptionis primordium efficere poſſunt, etiamſi hæc non ſemper ultimam acquirat perfectionem. Ita quando ſemen virile per vices & intervalla in arvum muliebre immittitur, uterus attrahens illud totidem conceptionibus anſam præbet. Artem obſtetricandi quod attinet, quemadmodum hæc in ſe excellens & ingenioſa eſt, ita potiſſimum ab utilitate & neceſſitate maxime commendatur, quatenus 1) fertilem uterum diſtinguit a ſterili, illumque corroborat, & hunc corrigit; 2) diſcernit imprægnatum uterum a vacuo, & conceptionem veram a falſa; 3) docet regimen uteri imprægnati, ut ſcilicet avertantur ſymptomata, pro diverſo geſtationis tempore metuenda, morbique acuti, ac ut infans roboretur, & abortus præcaveatur; 4) manifeſtat ſolo tactu gravidæ conditionem, non ſolum per totum geſtationis tempus, ſed potiſſimum antequam conatus parturiendi irruant, & quando iidem augmentum capiunt; 5) ſub primo inſultu laborum naturalem a præternatu-

Digitized by Google

rali, facilem a difficili diſcernit partum; 6) detegit unam alteramque, tam generalem quam particularem, partus difficilis cauſam; 7) ſuppeditat modum corrigendi & removendi cauſam non per inſtrumenta crudelia, ſed ſolo judicio & manuum auxilio, mulieremque ab onere ſuo liberandi; 8) demonſtrat rationem fœtum non ſolum mortuum & monſtra, ſed & falſas conceptiones, ſuperfœtationes, molas &c. extrahendi; 9) præſcribit regimen tractandi tam puerperam, quam infantem recens natum, noxasque ab utrisque avertendi modum. Sub illorum enim nomine, qui artem obſtetricandi exercent, non vulgares ſolum comprehendit obſtetrices Autor Clariſſimus, ſed & viros, quos extraordinarios vocat obſtetricantes. Quemadmodum autem in illis requirit, ut ne ſint nimis juvenili nec provecta nimis ætate, non infirmæ, aut valetudinariæ, non nimis corpulentæ aut lacertoſæ, non mancæ vel mutilæ, nec rigidos vel incurvatos habeant digitos, manus, vel brachia, non ſint gravidæ, nec ſtupidæ, ignaræ, imprudentes, ſed mediæ ætatis fœminæ, vegeti habitus, tenuium manuum, digitorum longorum, tactu excellentes, graves, conſideratæ, ſagaces, prudentes, vigilantes, diligentes, expertæ, piæ, bonæ famæ, miſericordes, urbanæ, lenes, fideles, taciturnæ, notitiam habeant exactam partium tam externarum, quam internarum generationi dicatarum, & adjacentium, illarumque functionum, pelvis, & oſſium, quibus concluduntur, noſcant tangere gravidam, & vertere, dolores ſpurios a veris diſtinguere, & extrahere ſecundinam, & quicquid præter naturam in utero continetur, methodum cognoſcat, qua quævis parturiens ſit tractanda, infans convertendus, pedibusque extrahendus, quid cum puerpera pariter ac infante recens nato ſit agendum: ita ab extraordinariis obſtetricantibus ſeu viris poſtulat, ut præter jam dicta requiſita noſcant, quomodo noxæ vel incommoda tempore geſtationis, partus & puerperii tam a matre quam infante ſint vel avertenda vel curanda. Atque in his omnibus ſolide inſtruit Clariſſimus Maudray obſtetricantes. Enchireſes vero, in ſingulis caſibus obſervandæ, ex ipſo tractatu elegantiſſimo commodius haurientur.

AN

Digitized by Google

AN ACCOUNT OF THE NEW METHOD OF Extinguishing Fires &c.

h. e.

NOVA METHODUS EXTINGUENDI Incendia ope exploſionis & ſuffocationis; Autore AMBROSIO GODFREY, Chymico.

Londini, apud Autorem, 1724, 8.

Conſtat 7 ſemiplagulis.

Nonus nunc annus agitur, ex quo Zacharias Greyl, civis Auguſtanus, novam invenit publicoque tentamine in patria ſua comprobavit machinam, ad reſtinguenda celeriter incendia, ope exploſionis, accommodatam. Idem anno ſequente, 1717, juſſu auguſtiſſimi Imperatoris, Miniſtroque graviſſimo inſpectante, inventionis ſuæ ſpecimen, Viennæ, cum applauſu edidit. Sed cum artificium ſtudioſe celaret, præmium ſcilicet non mediocre expectans, vel a principibus perſonis, vel a ſatis magno numero privatorum, quibus A. 1720 ſchedula publice impreſſa ſignificavit, cum quot commoditates ex nova ſua machina eſſent expectandæ, tum quibus legibus, quo pretio, qua ſilentii ſponſione, inventionem cum ipſis communicare ſtatuiſſet, factum eſt, ut prius morte abriperetur, quam obtinere ſcopum ſuum poſſet. Mortuo Autore hæredes rem non neglexerunt, miſſusque eſt, qui Dresdæ, An. 1722, coram ipſo Rege noſtro potentiſſimo, magna ſpectatorum copia confluente, denuo virtutem machinæ comprobavit, impetratoque non contemnendo præmio, artificium detexit. Idem paullo poſt in Galliam profectus, cum Lutetiæ Pariſiorum, tum alibi, rem ſuam non egit infeliciter, Reſſoniumque excitavit, ut novam imitari methodum atque amplificare, non mediocri ſtudio, nec infeliciter contenderet. Quanquam fatendum profecto eſt, machinam Greylianam haudquaquam eam apud plerosque noſtrates inveniſſe approbationem (rei an hominum vitio, incertum) quam mereri videbatur, neque etiamnum in frequenti uſu eſſe. Sed ad ipſum artificium veniamus, quod eſt hujusmodi. Dolium quoddam ligneum, XXX, vel etiam plures

aquæ cantharos capiens, paratur, in cujus medio firmatur vaſculum, ex laminis ferreis conſtructum ac pulvere pyrio impletum, ad quod a ſummitate dolii tubus pertinet, materiam continens, concipiendo facile atque ad receptaculum pulveris propagando igni accommodatam. Uſus hic eſt, ut in conclave incendio correptum machina inſeratur; qua, ab incluſo accenſoque per tubum commemoratum pulvere, celeriter ac vehementer diſploſa, aqueisque particulis quaquaverſum cum impetu diſperſis, continuo extingui flammam neceſſe eſt. Ita & temporis, & ſumtuum, non mediocre compendium facere, & omnia mox in promtu habere licet, quibus paucorum hominum opera delere ingens incendium valeas. Et quanquam in ædificiis jamjam corruentibus, aliisque in locis, undique, ac ſuperne imprimis, nimium apertis, machinam Greylianam vix ullius eſſe uſus fatendum eſt, ignem tamen in conclavi quovis vehementiſſime ſævientem, ac per fores feneſtrasque apertas magna vi erumpentem, ope hujus machinæ celeriter penitusque extingui poſſe, non uno tentamine comprobatum eſt. Hæc præmittere viſum fuit, priusquam de methodo doctiſſimi Autoris Angli, qui nunc ſub manibus eſt, exponeremus. Is cum jam antea diu multumque cogitaſſet de inveniendis perficiendisque machinis, violentiæ incendiorum rite opponendis, neque ullis poſtea ſumtibus pepercisſet, ad addiſcenda tentamina, Lutetiæ potiſſimum inſtituta, atque ad explorandam machinam Germanicam, de qua audiverat, poſtremo voti ſui compos omni ſtudio in id incubuit, ut inventionem laudatam, quam vehementer ſtatim approbavit, a defectibus quibusdam liberaret, commodioremque exhiberet. Et nimiam quidem amplitudinem gravitatemque machinæ Germanicæ imprimis corrigendam ratus, ſcilicet ut commodius tractari faciliusque inſeri in loca quævis anguſtiora atque altiora poſſet, arte chemica, quam diu ſtrenueque exercet, ita præparavit aquam, & certa quadam materia igni inimica (ut ipſe loquitur) imprægnavit, ut jam multo minor ejus quantitas requiratur, ad effectus non modo non minores, ſed etiam majores præſtandos: eademque opera ſimul illud obtinuit, ut aqua a corruptione conſervetur, quod ad diuturnitatem machinæ non exigui eſſe momenti facile intelligitur. Ceterum

terum quod ſuis machinis, in iis etiam conclavibus, quorum feneſtræ ac januæ apertæ ſint, itemque in pluribus conclavibus ſimul ardentibus, extingui flammas poſſe memorat, ea quidem re nihilo eſſe inferiorem Greylianam machinam cenſemus. Diviſus eſt totus libellus, quo methodum ſuam exponit Autor, in quinque capita. Primum agit de nova methodo in genere ac de tentaminibus duobus publice factis. Alterum deſcriptionem & uſum machinæ complectitur, a Greyliana parum differentis: nam & doliolo ligneo utitur Autor, diligenter oblito ac communito, ne penetrare atque effluere liquor poſſit, & receptaculum pulveris ſphæricum, oblongum, e metallo conſtructum, in medio ponit firmatque, & aquam, non tamen illam ſimplicem ac puram, circumfundit, & tubum denique adhibet incendiarium, operculo inſtructum, quod, ubi uſus eſt, facile removere licet. Ceterum machinarum ſuarum tria facit genera; quorum unum, majoribus oecis atque atriis deſtinatum, quinque circiter liquoris menſuras, quas Angli *Gallons* nominant, alterum pro modicis conclavibus tres, tertium duas, pro minimis complectitur: quibus duo minora genera addit, in ſcalis, incendio correptis, aliisque in locis anguſtioribus, maxime vero in caminis (unde etiam *machinæ caminorum* dicuntur) uſurpanda; quæ a ſuperioribus non modo amplitudine differunt, ſed & eo, quod receptaculum pulveris non in centro, ſed in fundo habent, quippe ſurſum, non quaquaverſus, explodenda, ob eamque rem ope perticæ, cui affiguntur, ſublimia tenenda, tubulo incendiario deorſum ſpectante. Jam circa uſum hæc potiſſimum obſervanda ſunt: ut inſerta machina in conclave ardens, materiaque in tubulo incendiario inflammata, mox tergum vertas ac recedas paullulum, deinde, exploſione facta, ſecure ingrediaris, & reliqua forte ignis ſemina linteis ſcopisve madefactis deleas; ut, ſi in coronide ſpatioſiſſimi conclavis ardentes quidam carbones reliqui ſint, eos in ſubſidium vocata machina camini, extinguas; ut, ſi in una tantum & propiori parte conclavis, nimium in longitudinem patentis, ignem exploſa machina extinxerit, cum alia machina ad partem remotiorem continuo accedas, indeque ſimiliter flammam arceas; ut, ſi plura conclavia ejusdem contignationis ardeant, in ſingulis ſingulas machinas accommo-

commodati generis explodi cures; ut denique, ſi plures contignationes flamma occupaverit, inferioribus locis prius ſuccurras, ac poſtea per ſcalas, machinis caminorum adhibitis, ad ſuperiora tibi viam pares. In tertio capite præcipuæ commoditates novæ methodi exponuntur. In quarto ac quinto machina conſimilis, quam æmulator quidam Povey, cum tentaminibus Autoris noſtri interfuiſſet, ac fragmenta diſploſarum machinarum ſtudioſe collegiſſet, perperam imitari, vocabuloque *Machinæ vigilis* inſignitam Londini publice vendere auſus eſt, examinatur atque reprehenditur. In præfatione opuſculo præmiſſa cum alias machinas contra incendiorum vim adhuc paratas, maximeque Germanorum *ſerpentes aquarios*, (*Schlangen-Spritzen*) ſeu ſiphones longos, e corio confectos, ideoque flexiles & expedite dirigendos, laudat Autor noſter, & cur tamen non ſufficiant, oſtendit, tum quid ipſe præſtiterit, & qua ratione ad novam ſuam methodum pervenerit, ingenue ſatis profitetur.

NOUVELLES DECOUVERTES SUR LA GUERre, dans une Diſſertation ſur Polybe; par le Sieur DE FOLARD, Chevalier de l'ordre militaire de S. Louis, & Meſtre de Camp d'Infanterie.

i. e.

NOVÆ MEDITATIONES DE RE MILITAri, Diſſertatione in Polybium expoſitæ; Autore Dn. DE FOLARD, Equite ordinis militaris S. Ludovici, & Præfecto caſtrorum peditum. Editio ſecunda, ab Autore reviſa.

Bruxellis, apud Franciſcum Foppens, 1724, 8.

Plag. 19.

ERuditis militibus jure meritoque annumerandus eſt Autor hujus operis, non tam equeſtri dignitate & muneris ſplendore, quam artis Martisque ſtudiis florentiſſimus, majoremque ſibi inſuper celebritatem majore, quod molitur, opere conciliaturus. In pace enim, qua fruimur, dulciſſima ſtudia belli literarum ductu

exor-

Digitized by Google

exornare, quin immo ad majorem perfectionem perducere, & ſimul antiqua literarum monumenta ea, quam XXXVI expeditionibus ſibi comparavit, rei militaris peritia illuſtrare dum eſt aggreſſus, prolixum in Polybium conſcripſit Commentarium militarem, quem ſubſcriptionum, quas vocant, ope in lucem publicam edere voluit. Sed ſiniſtris nonnullorum judiciis ſpem, quam conceperat, præcidentibus, poſt primam inſtituti ſui ideam, typis jam antea deſcriptam, tres in hoc opere exhibet diſſertationes, ex majori ſuo Commentario deſumtas, ut, quid in illo præſtitum ſit, ex his ſpeciminibus periti in arte militari perſpicere, & ex ungue leonem cognoſcere poſſint. Prima enim complectitur prolegomena Commentarii in Polybium; altera, quæ doctrinam de columna tradit, initium eſt majoris illius operis; & tertia de inſtruenda acie, primo Commentarii Tomo coronidis loco eſt annexa.

Ex præfatione tantum obſervamus, Autorem firmiter ſibi perſuaſum habere, ſententiæ ſuæ, quam ipſemet paradoxam novamque nominat, nihil poſſe objici, quam quod nova ſit & ſingularis: veritatem quidem nudam, a nudo, i. e. fortunæ ornamentis haud fulgente propoſitam, perpaucos nanciſci ſectatores: ad doctrinam tamen ſuam de columna facile applicari poſſe, quæ Carteſius in principiis artium & ſcientiarum inquirendis requirat. Ut vero harum rerum curioſis ſalivam moveamus, ipſarum diſſertationum argumentum paucis indicabimus. *Prima* decem conſtat capitibus, in quorum primo Autor cauſam exponit, qua commotus, laborem ſatis arduum & difficilem ſuſceperit; nullum ſcilicet de re militari accurate pleneque ſcripſiſſe; ſi Vegetium & Montecuculium exceperis, reliquos omnes parvi eſſe habendos; Machiavellum & de Loſtelneau plagiariis eſſe accenſendos, illum Vegetium, hunc Germanum quendam, cujus nomen non exprimit, in linguas ſuas vernaculas fere tantum tranſtuliſſe &c. In ſecundo capite militiam uſu tantummodo addiſci, diſerte negat, eandemque ſcientiam ſpeculativam magis quam experimentalem eſſe, pluribus contendit. Militiam itaque in formam artis redacturus, vel potius de militia commentaturus, Polybium ſe prætuliſſe Cæſari, Cap. III fatetur, cum ille Magiſter ac Conſiliarius mili-

 tum

tum rectius dici poſſit, quam quidem Homerus, hoc titulo a nonnemine inſignitus. Cap. IV argumentum & utilitatem Commentarii ſui in Polybium plenius deſcribit, & lectorem certiorem eſſe jubet, omnia, quæ ad militiam veterum ſpectant, nova & facili ratione in illo explicari, plurimumque lucis accendi antiquis autoribus recte intelligendis, in primis Tacticam, ſive artem inſtruendi aciem, præſcribi omni numero abſolutam. In Cap. V ad Tacticam Græcorum & Romanorum digreditur, & Græcorum non tantum ſimpliciorem, ſed & perfectiorem fuiſſe aſſerit. Cap. VI Romanorum aciem prolixius depingit, & Lipſium, quem ceteri ſequuntur, ignorantiæ rei militaris accuſat, novamque exhibet delineationem. Cap. VII ea perſequitur, quæ in Commentario ſuo inveniantur, cujus hiſtoriam Cap. VIII ita enarrat: ſe animi gratia ſæpius legiſſe Polybium, & obſervationes ſuas ad marginem adnotaſſe; ex illis ſe peculiarem tractatum de militia componere voluiſſe, ejusque ſciagraphiam A. 1709 ab ipſo Delphino & Duce Burgundiæ probatam fuiſſe; poſtea ſe caſtra Caroli XII Regis Sueciæ ſecutum, MSCta ſua ſecum ſumſiſſe in Sueciam, ea vero omnia perdidiſſe naufragio ad oram Jutiæ, cum ex Suecia reverti voluiſſet in patriam; telam ergo novi operis denuo incipere, cum nimis moleſtum viſum ſit, ad Polybium tantum illuſtrandum applicuiſſe animum; verſione autem *Rierii* Gallica minus fideli, & Caſauboni Latina plurimis in locis perobſcura exiſtente, quod hic imprimis veterum militiam, atque adeo ipſum Polybium non ſatis intellexerit, Benedictinos S. Germani ſe adiiſſe, & Thuillerium, Græcas literas optime callentem, textum primum verbotenus transtuliſſe, & tunc ſententia Autoris noſtri cognita, novam verſionem adornaſſe: atque hoc pacto omnes ſe ſuperaſſe difficultates, & re ipſa expertum eſſe, rei militaris peritiam ignorantiæ linguæ ſæpius ſubveniſſe. In Cap. IX novas ſententias ſuas recenſet, ex ipſo Commentario hauriendas, & contra Lipſium atque P. Danielem, cujus Hiſtoriam rei militaris Franciçæ meritis alibi proſequemur laudibus, foſſas caſtrenſes (*tranchées*) veteribus jam in uſu fuiſſe probat, laudatque Ablancurtium, qui in Gallica verſione Cæſaris verba *intra vineas* tranſtulit *dans la tranchée*: ubi p. 76 ſqq. ſpecimen novæ verſionis Polybii Gallicæ

licæ, ſuarumque obſervationum inſerit. Cap. X inſtitutum ſuum denuo vindicat, multiplicem uſum ex Commentariis ſuis in milites non ſolum, ſed & in omnes antiquitatum cultores redundaturum aſſerit, tandemque concludit, opus ſuum, ad prælum jam paratum, quod in ſuo genere unicum ſit, & totum belli ambitum exhauriat, præ multis aliis digniſſimum eſſe, quod regio ſumtu ſplendide & magnifice imprimatur. Et quis invideret illi hanc felicitatem, ſi inſtitutum, quod ſibi hactenus minus proſpere ceſſiſſe queritur, felicioribus auſpiciis frueretur, & regiam munificentiam obſtetricantem adipiſceretur?

Sed properandum nobis eſt ad reliquas duas diſſertationes paucis perluſtrandas; quarum prior inſcribitur *Traité de la colonne*, i. e. tractatus de columna; in cujus Cap. I oſtenditur, artem bellicam nondum ad ſummam perfectionem eſſe perductam; Cap. II, quid per columnam intelligatu, nempe exercitus peditum in forma quadrangulari oblonga diſpoſitus, & quænam ſint ejus partes; Cap. III, quomodo diverſa Veterum aciem inſtruendi ratio huic invento anſam dederit, & quid de turma quadrata (*bataillon quarré*) ſtatuendum; Cap. IV, quid de forma triangulari ſeu cuneo veterum; Cap. V, quibus argumentis; Cap. VI, quibus exemplis probari poſſit, formam illam quadratam oblongam reliquis eſſe præferendam; Cap. VIII, quomodo eadem formari, & in illa prælium committi debeat; & Cap. IX, fariſſam (*la pique*) inter arma peditum, veluti ſumme neceſſariam, omnino retinendam fuiſſe, cujus uſum & defectus indicat, novamque ſpeciem delineat commendatque. In ultima diſſertatione diſquiritur, num aciem inſtituendi ratio, qua pedites in medio, & equites ab utroque latere ponuntur, tam bene fundata ſit, quam antiqua eſt, & univerſalis. Et in hujus diſſertationis parte prima Autor de ordinibus & armis veterum & recentiorum ſuam exponit ſententiam; in parte altera equites & pedites in acie oportere intermixtos eſſe, demonſtrare conatur; & in tertia ordinem, quem tutiſſimum, & perfectiſſimum, & regulis belli quam maxime conformem eſſe judicat, deſcribit, atq; exemplis & rationibus confirmat. In fine hujus diſſertationis ſe quoque Commentarium in Cæſarem, prout in Polybium, adornare teſtatur: ſed utrumque a regia liberalitate ſuppetias exſpectare.

Digitized by Google

JOSEPHI JUVENCII, E SOC. J. RATIO Diſcendi & Docendi.

Pariſiis, apud Fratres Barbou, 1725, 8.
Pl. 32 dimid.

AEtatis puerilis inſtitutione famam ſibi quammaxime comparare ſtuduit a prima ſua origine Societas Jeſuitarum, nec omnem non movit lapidem, ut ſtudia, quæ docentibus non minus, quam diſcentibus plurimum laboris pariunt, quoquo modo facilitentur. Quem in finem libello de ſtudiorum ratione in diſcentium gratiam edito, & jam multoties recuſo, nuper in congregatione generali XIV decreto X ſancitum fuit, *ut præter regulas, quibus Magiſtri literarum humaniorum diriguntur ad docendum, haberent inſtructionem ac methodum recte diſcendi, ad quam privata ſua ſtudia exigerent, etiam tunc, cum aliis edocendis dant operam.* Huic decreto ſatisfacturus Autor, qui duobus Orationum Tomis, ex quibus eas in Actis noſtris 1703 p. 321 laudavimus, quæ tum temporis editæ fuerunt; nec non Horatio, Terentio, Juvenali, Martiali & Ovidii Metamorphoſibus notis illuſtratis; & diſſertatione de Diis & Heroibus Poeticis, modo huic, modo illi autori ex commemoratis appendicis loco annexa, Rhetorices denique Candidato & Inſtitutionibus Poeticis inclaruit; præſentem elucubravit methodum pro docentibus, ut ex ejus Parte priore, quæ rationem diſcendi tradit, ipſi Profeſſores & Magiſtri diſcerent, quam in ſtudiorum curſu viam tenere ac ſequi poſſent; ex poſteriore vero, quæ docendi rationem præſcribit, juventutis recte docendæ ducendæque prudentiam ſibi redderent cognitam perſpectamque.

In *prioris* Partis, quæ tribus abſolvitur Capitibus, Capite *primo*, & ejus quinque articulis agitur de *linguarum*, Græcæ, Latinæ & vernaculæ, cognitione; de autoribus Græcis Latinisque; nec non de ſtilo ejusque vitiis & virtutibus. *Alterum* Caput circa ipſas verſatur *ſcientias*, & quatuor articulis Rhetoricam, Poeticam, Hiſtoriam, Chronologiam, Geographiam & Philologiam ſeu polymathiam, ad quam Artem Heraldicam, Symbolicam, Epigraphicam, Diplomaticam, peritiam numiſmatum, & id genus alias

alias artes, in primis rationem ænigmatum recte conficiendorum refert, ſtrictim perſequitur. *Tertium* varia doctrinæ parandæ *adminicula* ſubminiſtrat, atque articulo primo notas & excerpta diſponit; ſecundo ordinem in ſtudiis ſervare jubet; & tertio frequentiora ſtudentium errata notat, dum vel ſegniter, vel præter modum in laborem incumbunt, memoriam non excolunt, libros ſine delectu evolvunt, optimos in quovis genere negligunt, levioribus contenti &c. Si de hac diſcendi ratione verum fateri licet, diſcentibus quidem eadem commode inſervire poſſe videtur, quanquam & diſcentes in ludis literariis plura adhuc diſcere debeant, in hac methodo prorſus omiſſa: docentibus vero vel nullam vel exiguam admodum præſtabit operam, cum levia tantum & vulgaria ſint pleraque, quæ in illa proponuntur, nobisque vix ac ne vix quidem perſuaderi patiamur, in Jeſuitarum ſcholis tales conſtitui Magiſtros & Profeſſores, qui ea, quæ hic exhibetur, linguarum, ſcientiarum, auctorumque notitia ipſi adhuc ſint imbuendi. Quid? quod Magiſtri etiam in arte critica, antiquitatum ſtudio, hiſtoria literaria, maxime Philoſophica, & in rerum divinarum humanarumque cognitione prope verſati, &, Hebræas ut taceamus literas, Matheſeos non prorſus expertes eſſe debeant, cum illas qui ignorat ſcientias, Autores claſſicos Græcos Latinosve, ipſemet plene percipere nequeat, tantum abeſt, ut aliis rite interpretetur: ſed eas diſcendi rationem fruſtra in hac methodo quæſiveris.

Poſterior Pars, ſeu ratio docendi, totidem conſtat Capitibus, & C. I *pietate;* Cap. II *eruditione* diſcipulos imbuere docet; Cap. III præcipua quædam bene docendi *præſidia* commonſtrat. Et hæc quidem Pars multa continet, quæ monitu ſunt neceſſaria, & apprime ſalutaria. In primo enim Capite bene recteque monetur, præceptorem ipſum pium eſſe oportere, piosque cum diſcipulis habere ſermones, & variis artibus eorum fovere pietatem. Quod præceptor etiam B. Virginem ita adorare jubeatur: *tu cæli Regina Auguſtiſſima, quæ teneram hanc pubem, iſtos filiolos a Chriſto primogenito tuo tibi datos habes, monſtra te eſſe matrem*; quod jubeatur ſacrificium, ſi ſacerdos fuerit, pro diſcipulis identidem offerre Numini; Sanctos, ut D. Joſephum, S. Nicolaum, S. Catharinam Alexandrinam, S. Caſſianum Martyrem, D. Pelagium &c. vocare

ſubſidio; curare etiam, ut pueri de ſacrificio miſſæ magnifice ſentiant, & ii, qui maxime omnium idonei videantur, in ſodalitia B. Virginis adſciſcantur, &c. talia a Societatis Jeſuitarum Magiſtro præcipi, mirum videri debet nemini. Non poſſumus tamen, quin ſerio probemus monitum, ſcriptores, quamvis ethnicos & profanos, ita explicandos eſſe, ut quodammodo fiant Chriſti præcones. In Capite ſecundo Autor duplicem primum ſtudiorum ſtimulum, laudem & vituperium, commendat; tum, quomodo ſtudia diſcipulorum privata dirigenda & Academia in illis erigenda oſtendit; porro publicas exercitationes, & imprimis modum explicandæ prælectionis prolixius deſcribit, cujus quinque vel ſex conſtituit partes ſeu regulas, quas exemplis nonnullis illuſtrat; & deinceps de ſcholarum regimine, de pædagogis, de libris prælegendis, & de ſchola rhetorum domeſtica diſſerit. In ultimo Capite docet, qua ratione autoritas Magiſtro poſſit conciliari, & diſcipulorum modeſtia atque attentio excitari, tandemque concludit, tentari quidem ſolere & infringi docentium laborem negligentia, ſtudiis ab inſtituto alienis, nimia cum diſcipulis familiaritate, agendi cum iisdem ratione non ſatis æquabili, tædio etiam ac defatigatione; ſed his frequentioribus docentium vitiis obviam iri optime, ſi quis muneris ſui dignitatem, ſummasque utilitates animo ſæpius verſet ſuo, ſique meminerit, quicunque laborum exitus demum futurus ſit, præmium non ſucceſſui, ſed labori, non fructui, ſed ſtudio conatibusque reſponſurum.

NOVA LITTERARIA.

CUm Lugduni Batavorum Janſſonii van der Aa novam *T. Lucretii Cari* de rerum Natura Libr. VI editionem Cl. Viri, *Sigeberti Havercampi*, cura in forma quarta typis ſubjecerint nuper, & conſpectum operis, intra pauciſſimos menſes prodituri, & leges ac conditiones ſubſcripturis propoſitas prodiderint, inde præcipua hic repetere lubet. Quod adeo ad ipſum opus attinet, præfigentur Præfationes &c. Edit. primarum, Doctorumque, quorum Notæ & Commentarii in hoc Opere continentur; Teſtimonia de Poeta &c. Textus ipſe ad probatiores maximeque genuinas ex im-

impreſſis vel MSS. Codd. plus XXV & præcipue duobus antiquiſſimis Lugd. Bat. quondam Voſſianis, emendatus exhibebitur. Interpretatio Thomæ Creech loco debito ſubjicietur. Variæ Lectiones ex ingenti illo Codd. numero, ſed litteris A. B. C. notat. itidem ſeparatim ſubjicientur; intermiſtis conjecturis Iſaaci Voſſii, ſive Var. Lect. quas idem ex aliis quam ſuis MSS. hauſerat. Sequentur dein ſuo ordine & loco Notæ plane integræ *Dionyſii Lambini*, *Oberti Giſanii*, *Tanaqu. Fabri* & ſelectæ *Jo. Bapt. Pii* aliorumque, ſed ita, ut ad maximam Lectoris commoditatem, longo Editoris & juvenili quondam labore, ubique Libri & verſus exprimantur locorum, qui ex Poetis &c. paſſim in iisdem adducuntur. Hiſce Notis illæ *Thomæ Creechii* integræ inſerentur, ubi non de verbo ad verbum ex Fabro aut Lambino, ſæpius iisdem laudatis quoque, ſunt deſcriptæ, ne videlicet chartæ diſpendio bis idem legeretur. Accedent nunc primum doctiſſimi Viri, *Abrahami Preigeri*, Notæ, ut & ipſius Cl. Hevercampi, itemque *Iſaaci Voſſii* quædam, quas oræ Codicis ſui adſcripſerat Hadrianus Beverlandus. Opuſculum deinde, a Viris doctis maximis laudibus commendatum, Ob. Giſanii in T. Lucretium Index, ſeu potius Conlectanea, in quibus vocabula priſca ac dictiones elegantiores commemorantur, &, adductis aliorum Scriptorum teſtimoniis, ſæpe explicantur. Sciat vero Eruditionis ſtudioſus, voces in hoc opere (quod a Giſanio ad paginas Poetæ, non numeratis verſibus, erat confectum) ſuis verſibus fuiſſe aſſignatas; atque libros, capita, verſus Hiſtoricorum & Poetarum, quorum teſtimonia adducuntur, ipſis verbis paſſim in legentium uſum fructumque maximum eſſe appoſitos. Agmen claudent Indices numeroſi, luculenti & copioſiſſimi Auctorum, qui citantur, explicantur, emendantur; rerum & verborum, quæ notabiliora in omnium Interpretum Commentariis occurrunt; omnium quoque verborum, quæ apud Poetam exſtant. Et ne ornatus deſit, ſingulis libris apponentur Tabulæ æneæ ab optimis Chalcographis ſculptæ.

Leges, quas ſibi aliisque dederunt Typographi, hæ ſunt: 1 Novem Alphabetis integris Opus hoc conſtabit, atque chartæ nitore & characterum novitate, ſive recenti uſu præſtans, duobus com-

comprehendetur voluminibus, præfixis loco ſuo artificioſiſſimis (ut diximus) picturis. 2 Exemplaria non plura inprimentur quam octingenta & viginti, quæ vix dimidia pars eſt iſtius numeri, quo definiri paſſim modus editionis ſimilis ſolet Autoris. Eo ipſo autem pretium libri in dies auctum iri omnes ſciunt; pro rei autem fide in ſingulis exemplaribus addito chirographo ſuo appingent Typographi, quotum ſit id ipſum; quo facto per omne ſeculum promiſſi fides implebitur. 3 Fidem ſuam iidem interponunt, Opus hoc nunquam iterum, typis ſuis excuſum, exiturum; neque ſeſe jus ſuum cuiquam librariorum unquam vendituros, tradituros, aut relicturos. Quo ipſo itidem Dominis ſemper eodem imo majore pretio poſſeſſio libri permanebit. 4 Ante finem menſis Julii anni hujus 1725, & forſitan prius, integrum Opus erit abſolutum. 5 Si forte contingat, ut numerus Subſcribentium ſuperet numerum Exemplarium 820, uti diximus, qui priores nomina dederunt, jure vincent, neque reliquis exemplar concedi poterit, quum numerus porro augeri nequeat. 6 Merces, quæ librariis a ſubſcriptoribus repræſentabitur, pro tantis in operoſam hanc Editionem impenſis, jam ante, neque alieno ære, factis, æquiſſima eſt, videlicet: Ubi quis nomen ſuum dabit, pro ejus formæ, quæ adjicitur (neq; enim alia forma vel majori vel minori impreſſa ſunt exemplaria) ſolvet 6 Flor. ubi integrum Opus ſeu II Volumina accipiet, 7 Flor. Atque ita totum Opus 13 Florenis dabitur Subſcriptoribus, ſingulis foliis octo chalcis, ſive uno ſtufro æſtimatis, & reliquo ſummæ pro picturis inſumendo. 7 Si tamen contigerit, ut ex exiguo hoc numero quædam reſtent exemplaria, quæ Subſcriptores ſuos non invenerint, illa nulli hominum niſi annumeratis ſexdecim florenis poſthac ullo modo addicentur. 8 Ipſa Supſcriptio exordium ſumet primo die Febr. 1725, neque prorogabitur in Holl. atque hiſce terris ultra 15 menſis Maji, in Anglia vero, Germania &c. ad finem usque dicti menſis, propter loci diſtantiam, extendetur. 9 Subſcriptiones denique in ſe ſuſcipient præcipui typographi in Belgio, Germania, Helvetia, Anglia & Gallia.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXV.

M. TULLII CICERONIS OPERA, QUÆ SUPERſunt omnia, cum ASCONIO & SCHOLIASTE veteri; ac notis integris P. VICTORII, J. CAMERARII, F. URSINI, & ſelectis Manutii, D. Lambini, J. Guilielmii, J. Gruteri, J. Fr. & Jac. Gronoviorum, J. G. Grævii & aliorum quam plurimorum, qui aliquam Ciceronis operum partem Animadverſionibus illuſtraverunt. ISAACUS VERBURGIUS collegit, diſpoſuit, recenſuit, variantes lectiones ubique appoſuit, paginas Aldinæ editionis, quas Nizolius & alii ſunt ſecuti, una cum Alexandri Scot Sectionibus, Apparatui Latinæ locutionis reſpondentibus, ad utentis commodum ubique diligenter notavit. Cum Indicibus accuratiſſimis inſigniter auctis.

Amſtelodami, apud Rod. & Gerh. Wetſtenios, 1724, fol. 4. & 8.
In fol. Voll. II. Alph. 22 pl. 21. In 4. maj. Voll. IV. Alph. 16 pl. 1.
In 8 min. Voll. XI. Alph. 22 plag. 12.

FAcile eſt, edere atque illuſtrare autores veteres, qui tribus, ut ille ait, chartis conſtant: difficilius, qui magna & ampla opera poſteris reliquerunt, a quibus vel ipſa mole bene cupientes deterrentur. Verum tamen facile etiam eſt, ampliſſima Volumina renovare & animadverſionibus exornare. Nam, ut non dicamus, ſæpiſſime tales conatus plus oſtentationis, quam operis habere, ex tot ſcriptis unius autoris levi & gratiſſima opera ingenium ejusdem & linguam certiſſime noſſe

 licet;

Digitized by Google

licet; cum contra in brevioribus Scriptis hoc maxime negotium faceſſat editoribus, quod ex paucis adeo paginis genium autoris non ſatis cognoſcere, & ſic vera a falſis, ſi emendare nituntur, non ita certo diſtinguere queant. Hoc tali commodo quantum uſus ſit in edendis Tullii Ciceronis Operibus omnibus *Cl. Verburgius*, nemini obſcurum erit, qui laborem ejus inſpexerit. Non potuit igitur non moleſtiſſime illi accidere, quicquid in Tullium contulit: eo magis, quoniam, præter libri molem, cum permagno numero interpretum conflictandum illi fuit, ex quibus fere omnibus notas excerptas Ciceroni ſuo adjecit. Quo facto promeritus eſt, ut nomen ejus a Cicerone illuſtretur, ut Ciceronis libris præmitteret imaginem faciei ſuæ: cum ingenium ex ipſius notis quilibet lectorum deprehendere queat. Res monet, ut perſpicue magis & diſtinctius de hoc noſtro Cicerone loquamur. Mittimus tralatitia, & quæ jam in vulgus nota ſunt: tribus ſimul formis librum impreſſum eſſe, ita, ut eædem in omnibus literæ, eædem adnotationes ſervatæ ſint; niſi quod in forma prima & octuplici variæ lectiones in ora poſitæ ſint, quæ in forma quater plicata inter contextum & adnotationes ponuntur: & quod in hac paginæ Aldinæ editionis in margine quidem, minoribus tamen numeris notatæ ſint, quæ in illis majoribus h. e. Romanis numeris notantur. Neque illud majoris momenti eſt, quod in prima & ſecunda forma libris, præter ornamenta in fronte ponenda, adjiciantur duæ tabulæ æneæ, altera, quæ Verburgii faciem, altera, quæ Ciceronis vultum, ut eſt in editione Gronovii, repræſentet: quarum prima in forma octuplici deſideratur. In reliquis omnibus, modo chartam non reſpexeris, plane conſentiunt, ita, ut etiam typorum errata ſerventur. Sic ad Orat. pro Cluent. cap. XIX nota 59, poſt verba contextus in omnibus formis omittitur uncinulus: item ad Orat. de Haruſp. Reſp. cap. VIII nota 19 ſcribitur *incomparabilis viri*, pro *incomparabilis vir:* nec non ad Orat. pro M. Marcello c. III nota 25 poſt vocem *Barthii* omittitur diſtinctio, quam provide appoſuerat Jac. Gronovius, ne lector feſtinans *Barthii pater* conjungeret, ſibique perſuaderet, Barthium non fuiſſe in his literis no-

novum hominem: porro in Libr. III ad Attic. epiſt. XV not. 50 in Verburgii, quod mireris, obſervatione omnes formæ habent *victores videremus*, pro *viveremus*; ſicuti in nota 88 in Libr. IX ad Attic. epiſt. X βλέτων legitur, pro βλέπων, ut alia omittamus. Quædam tamen hujusmodi errata ſuæ quæque formæ propria ſunt, quod, ſi primam conſulueris, videbis Lib. I in Verrem cap. VII nota (b) in Aſconio, III Verr. cap. XXV nota 63 & aliis. Ad Opus ipſum ut adgrediamur, poſt Præfationes Victorii & Camerarii, quorum, ut & F. Urſini, notæ integræ exhibentur, ponitur Vita Ciceronis, a Fr. Fabricio conſcripta, notulis quibusdam Jac. Gronovii ſtipata; eamque excipit libellus, ut Editor vocat, rariſſimus Schotti, qui inſcribitur: *Cicero a calumniis vindicatus*. Sequuntur Autoris, qui aliis Cornificius nomine eſt, Libri Rhetoricorum ad Herennium, ab imperitis Ciceroni aliquando adſcripti, quibus præter ea, quæ ad alias partes adjecta ſunt, *Longolii* paucas, plures *Hieronymi Capiduri* adnotationes ſubdidit. Iſte Capidurus plerumque exempla afferre ſolet, ut doctrinam autoris illuſtret, eaque vel ex Cicerone, vel ex aliis ſcriptoribus deſumta. Sic ubi Cornificius, vel quicunque alius, docet, quod ab auditorum perſona benevolentia captetur, ex Oratione Darii apud Curt. V cap. 8 verba adſcripſit. Ad libros de Inventione acceſſerunt pauca ex notis *Naſcimbænii*; ad Dialogos autem de Oratore ſelecta ex Commentario *Jac. Ludov. Strebæi* & ex notis *Zacbariæ Pearce*. Ille quidem obſcura quæque optime explicat, quod vel ex ſola obſervatione ad libr. III de Oratore cap. XXXIII de JCtis transverſo foro ambulantibus diſcas; hunc vero Pearcium caſtigare etiam auſus eſt Cl. Editor ad libr. I de Orat. cap. XI, ubi tamen, quid dicere ſibi viſus ſit, nos haud aſſequimur: propius tamen noſces doctiſſimum Pearcium ex obſervatione ad libr. I de Orat. cap. LI, & ad libr. II cap. V. Librum de claris Oratoribus, qui dicitur *Brutus*, ornant doctiſſimæ animadverſiones *Seb. Corradi*, & *Jo. Rivii*; ille magis Hiſtorica, hic vero Grammatica ſectatur; uterque legentibus ſatisfacit. In Oratorem ad Brutum pauciores dedit notas: unam Strebæi, unam Manutii, unam Godofredi, unam Gronovii; reliquæ ſunt

Camerarii, Victorii, Urſini, Lambini, Gruteri ac Verburgii & hæ quidem non adeo magnæ operæ. Reliqua Oratoria opuſcula etiam paucis tantummodo illuſtrantur. In Orationibus ſecutus eſt maxime Celeb. Grævium, addidit tamen quædam etiam ex Gronoviano penu. Præterea accedunt ad Orat. pro S. Roſcio Amerino *Jo. Saxonii* notæ, quæ quales ſint, vide ad cap. XXVI nota 72, ubi oſtendit, quod falſo quidam putaverint, luſtrationem expiationemque tantummodo aqua fluviatili, non etiam marina, fieri ſolitam, cum contrarium ex Cicerone & Euripide demonſtret. Obſervationes ad Libr. V in Verrem ineditis *Petri Nannii*, de quibus vide Cl. Editorem ad dictæ orationis cap. VII nota 13, augentur. Oratio pro A. Cæcina acceſſiones habet *Pellitarii*, qui ad cap. II ſcilicet docet, quid ſit *religio*, *obſtringere religione, exſolvere & diſſolvere religionem*; ut & *Tislini*, qui ad cap. X quædam de Phormione, alia alibi, annotat. Illuſtrioribus acceſſionibus ſplendent Epiſtolæ ad Familiares ſcriptæ, ineditis obſervationibus *J. Fr. Gronovii*, & quæ cum illis de eruditione certant, *Gisb. Cuperi*. Gronovianarum exemplum habe unam illam ad libr. I epiſt. 9 not. 19: *magna mercede* i. e. gravi „damno. Sic in Orat. pro domo: *data merces eſt erroris mei* „*magna Pontifices*. Livius VIII cap. 39: *expiandum id bellum* „*magna mercede tuendumque eſſe*. Silius Libr. VII: *imbelles* „*magna mercede piabunt Erroris rabiem*.„ Hæc Gronovius. Cuperianarum illam damus not. 53 ad eamdem epiſtolam, ubi „Cicero meminit *aliptarum*. De re, ſcribit Cuperus, vide „Arnob. Libr. I adv. gent. & ibi Elmenhorſt. adde prima Scaligerana pag. 17 in voce *Balineorum*, nec non Meurſium libr. I Critici Arnobiani. Perſius Sat. IV:

„ - - *uncta vixiſſe patella*
„*Semper & aſſiduo curata cuticula Sole &c.*

„Ubi vetus Scholiaſtes: *curata cuticula*, *ſcilicet a chromatariis* „&c. adde omnino Caſaubonum ad dictum Perſii locum & „Franc. Francum Confut. Animadv. Antonii Cercoetii pag. 182. „Atque hinc explicandus Terent. Adelph. A. IV Sc. II v. 4.„ Hæc Cuperus. Et quantum quidem ex variis documentis diſcere licet, habuit Ampliſſ. Cuperus illas Gronovii ineditas notas in manibus, & ſuas

Digitized by Google

& ſuas illis adjecit: ſæpe enim ſeſe hæ ad illas referunt; niſi forte iſta relatio a Cl. Editore eſt profecta. Vide modo ad libr. I epiſt. 2 not. 24 & 38; & ad libr. III epiſt. 6 not. 39. Ejusdem J. Fr. Gronovii ineditæ notæ acceſſerunt etiam interpretibus Epiſtolarum ad Atticum. En tibi unam. Ad libr. VI epiſt. 8 princip. not. 47 ita ſcribit Gronovius: *cum inſtituiſſem ſcribere calamumque*,, *ſumſiſſem*) Sic *calamariam thecam* Sueton. Claud. 35 & Martial.,, XIV, 9; veteres enim non pennis, ſed calamis, ſive arundinibus,, ſcribebant. Perſius III, 11, Auſon. Epiſt. 15.,, Ita Gronovius. Verum, nobis tacentibus, quilibet ſentit, multa in his Gronovianis, quæ primum vulgavit Verburgius, ineſſe, quæ nunquam vulgari voluerit optimus Gronovius. Et quanquam plurima nomine ejus haud ſint prorſus indigna, indicia tamen certiſſima produnt, ex ſcholis privatis aut publicis Viri doctiſſimi eſſe deſumta: in quibus tironibus quædam exponere licet, quæ vix ſatis apte in tali editione Ciceronis leguntur. Et ſi tironum commoda ſpectare voluiſſent curatores hujus editionis, infinitum numerum notarum hoc more his aliisque libris addere debuiſſent. Reliqui Epiſtolarum libri, nempe ad Q. Fratrem & ad Brutum, a *Malaſpinæ*, *P. Manutii* & *Hotomanni* curis aliquam lucem acceperunt, a pluribus autem libellus Nepotis de vita Attici. Sequuntur Academicæ Quæſtiones, eæque *Turnebi*, *P. Manutii* & *P. Fabri* ſelectis notis ſuperbiunt. Libri de Finibus bonorum & malorum *Mureti* ſaltem diligentiæ aliquid debent in hac editione; nihil vero Thomæ Bentlejo, cujus notas tum ob alias cauſas, tum ne volumen hoc nimis pingueſceret, neglexit Editor. Quæ aliæ illæ cauſæ ſint, nemo ignorabit, cui genus adnotationum Thomæ Bentleji haud eſt ignotum. In Tuſculanis quæſtionibus, libris de natura Deorum, de divinatione & de fato largior & utilior eſt Verburgius noſter, quia *Daviſii*, *Walckeri* & *Boubierii* laboribus uti frui, ex eorumque limatiſſimis obſervationibus multas in hanc ſuam editionem transferre potuit. Integras Virorum doctorum notas non dedit, (ſed utinam dediſſet! quod nec adeo alienum, nec importunum rationibus Cl. Editoris fuiſſet, & eximiam libro opinionem conciliaſſet) ſed utiliſſimas excerpſit. Neque tamen excerptæ illæ plenæ adferuntur; ſæpe tantum dimidiatas apponit, quod, ſi

cupis, cognoſce ex nota prima Daviſii ad libr. I de nat. Deorum. Præterea primis tantum editionibus uſus eſt Verburgius; cum tamen Celeb. Daviſius ſecundis curis multa emendaverit, multa mutaverit, addiderit aut omiſerit. Sic notam ad libr. I cap. 1 extr. Tuſc. Quæſt. correxit ſecunda editione Daviſius; eam, quæ eſt ad libr. I cap. 12 de *Caſcis*, immutavit, nec non emendationem libr. II cap. 4 de *vita & vitiis*, omiſit plane, quæ ad lib. I cap. 4 de formula *id diſputo*, & ad cap. 8 de *calce*, & ad Libr. V cap. 7 de *Perſe*, ubi Xerxes notatur, attulit. Et talia longe plura ſunt, & editiones illæ prima & ſecunda adeo differunt, ut fere aliæ videantur. Ampliſſimi Bouhierii notæ in libros de natura Deorum Gallica lingua ſcriptæ ſunt ab autore, ſed Cl. Verburgius utiliſſimas latine vertit: quod nemo non odorabitur, cum legerit e.g. obſervationem in libr. I c. 10, ubi ita habet ex Bouhierio: „Locus „corruptus, nec ſine ope alicujus MSti reſtituendus. Proponam „tamen conjecturam meam, qua legendum cenſeo: *Qui, ſi dii „poſſunt eſſe ſine ſenſu? & mentem cur aqua adjunxit, ſi ipſa mens „conſtare poteſt, vacans corpore.* Poteſt etiam ut Cicero ſcripſerit, „*ſine ſenſu & motu.* Secundum Stobæum enim Eclog. Phyſ. lib. I „c. 16 Thales inter alia ſtatuebat, primam cauſam eſſe ſine motu: „*τὸ πρῶτον ἄιτιον ἀκίνητον.* Unde pulcherrimus emergeret ſen„ſus; verum metuo, ne mutatio ſit nimis magna, idque tanto „magis, quia neceſſaria non eſt.„ De Legibus libros comitantur notæ *Turnebi* & *Schefferi*: quas, quoniam dudum in manibus eruditorum fuere, modusque autorum ſcribendi in vulgus notus eſt, exemplis hic oſtendere non fuit neceſſe. Multo minus opus eſt, ut circa libros de Officiis & qui his vulgo adjunguntur, diu hæreamus. Satis eſt dixiſſe, Grævium hic maxime expreſſum eſſe, acceſſiſſe tamen laudati J. Fr. Gronovii ineditas. Libello Q. Ciceronis de petitione Coſ. *Palermi* notæ ſubjectæ lectorem ſtatim advertunt: ut, quæ Fragmentis Operum Ciceronis ſubſtratæ ſunt, *Patricii* & *Sigonii.*

De his omnibus lector quædam neceſſario admonendus eſt. Primum quidem, quando in indice *Camerarii* integræ notæ promittuntur, ut Scholia intelligat in omnem Ciceronem ſcripta, non alias curas, quod & Verburgius jam admonuit. Sed & ex

ſcholiis

ſcholiis illis quædam omittuntur, quando jam ab aliis iisdem verbis prolata ſunt: quod ſimul de *P. Victorii* caſtigationibus tenendum eſt, ut monſtrabit Verburgius ad Brutum cap. V nota 11, & ad Orator. cap. VI nota 4. Deinde, quod Cl. Editor nimis ſecure exemplaria, Gronovii maxime & Grævii editiones, ſecutus ſit. Sic Grævius alicubi, aut, ni fallimur, ad Orat. pro Q. Ligario citat editionem *Aſiens.* errore typorum manifeſto; at Noſter ſine inquiſitione retinuit errorem, cum tamen facile *Aſcens.* h. e. *Aſcenſianam* editionem reſcribere potuiſſet. Item ad IV Catilinar. cap. IV ſcribit nota 9 *ἀκακολουθίαν* cum Grævio ſuo, quem *ἀνακολουθίαν* voluiſſe exhibere, manifeſtum eſt. De vitiis in Gruterianis notis relictis, illis etiam, quæ damnaverat Præfatione Gronovius, e. g. ad libr. II de Invent. cap. 38 nota 78, nihil ipſi imputabimus. At ſimplicioribus non bene conſultum videtur, quando ex Gronoviana in hanc editionem parum circumſpecte transfertur illud e. g. ad I Verrin. cap. I lit. (x) Scholiaſtæ veteri inſertum: *hunc locum citavit pater.* Intelligit Gronovius & prudentes patrem Gronovium: at forte imperiti in Verburgii editione cogitabunt de patre Verburgii, requirentque ejus editionem Senecæ. Pariter in libr. II ad Herenn. cap. 3. nota 9 media ponitur, ductu Gronovii, *Idem.* Nempe in Gronovii editione proxime præcedit *Gruteri* nomen, quem hoc *Idem* denotat; at in hac editione ſequitur poſt nomen *Capiduri*, cujus tamen nota non eſt, quæ vocabulo *Idem* clauditur. Idem erratum deprehendes libr. IV cap. LV nota 15. Denique *ſelectas* Grævii aliorumque adnotationes promiſerat. Nobis vero id nullus ſelectus eſſe videtur, quando eadem res ter, quater, aut pluries inculcatur. Jam vero Grævius vel quinquies hac editione inculcabit obſervationem de *tempeſtivo convivio*, quam hodie ne diſcipuli quidem Amſtelædamenſes magnopere deſiderabunt: & tamen Cl. Verburgius ab animo ſuo impetrare potuit, ut & ipſe inde conſtrueret notam ad Or. pro Archia cap. VI. Eodem vitio bis, ter, quater & amplius de verbo *jacere*, quando negligi notat; de *cupidus* & *cupiditate*, ubi nimis acre partium ſtudium notat; de *gratia*, quod & bona ſit, & mala; de *non modo*, pro *non modo non* obſervationes diverſis locis hæ notæ ſelectæ ſuggerunt. Quæ levicula

tamen

tamen nihil dignitati hujus editionis, neque variis illis adnotationibus detrahunt: cum ab reliquis commodis facile occultentur. Hæc hactenus. Sed, ne *Verburgii* noſtri prorſus obliviſcamur, de ejus domeſtica quaſi & propria opera pauca dicenda ſunt. Primum non modo variantes lectiones, quas alii jam notaverant, diligenter adſcripſit, ſed & ipſe novas attulit: inter quas eminent excerptæ ex codice Regio Luparenſi, qui annorum circiter 800 ætatem ferre dicitur. Deinde ex Face Artium Gruteriana, Brouckhuſio aliisque, maxime ex Spanhemii Diſſertationibus loca, quibus Cicero emendatur, aut illuſtratur, ſedulo collegit, nomenque ſuum appoſuit. Et hæc melior atque major pars eſt ejus adnotationum. Sæpe tamen etiam per ſe aliquid audet. Nimirum in libr. I ad Herenn. cap. 12 neceſſarium judicavit adnotare, quis fuerit *L. Saturninus*. Bene ad libr. I de Invent. cap. 45 exponit mentem Tullii. Ad Brutum cap. 15 in vulgato Ennii verſu conjicit legendum: *Flos delibratus populi*, pro *delibatus*. Ad Orat. pro Sex. Roſc. Amerino cap. 20 nota 60 veroſimili illi viſum, ſi legatur: *ut etiam Kappas omnes oderitis*, vel *Kappa omnia*, pro vulgato: *ut etiam eas omnes oderitis*. Ad libr. I in Verrem cap. 20 nota 61 rationes reddit, cur repoſuerit, *ſub dio vidimus*, pro aliorum *ſub divo*; veluti non cogitaverit de *me dius fidius*, aut quod veteres promiſcue *dium* & *divum* pro *deo* dixerint. Orationis pro domo cap. 5 verba, *propter varietatem venditorum* bene interpretatur. Ad omnes quatuordecim Orationes Philippicas ne unam quidem adnotationem contulit, quam ipſe dignatus eſſet nomine ſuo: ſicuti & aliæ ſunt, immo & libri aut libelli, ubi nihil memorabile nobis fuit obvium. At in Epiſtolis ad Familiares diſertus eſt Noſter, & mox ad Epiſt. 2 lib. I auctoritate Gronoviana docet, *Enim* recte ab initio poni: ad libr. III epiſt. 5 nota 31, ubi ceteri interpretes ſilent, exponit verba, *ex publica permutatione*. Ad libr. I epiſt. 8 nota 1 teſtatur, ſe monſtrum vocabuli *Emplatorio* amplius non ferre potuiſſe, atque ex conjectura Urſini *M. Platorio* repoſuiſſe: quaſi vero non pridem in tribus Cellarianis edd. aliisque ita lectum ſit. Similiter libr. III epiſt. 10 verbum *cooptari* reſtituit: cum & illud in iisdem editionibus jam olim lectum fuerit. Sed forte has editiones

tiones

tiones pædagogi tantum conſulunt, non illi, qui omnia Tullii ſcripta legunt. Ad libr. V epiſt. 13 nota 79 invehitur in Gebhardum, tueturque Urſinum, ut illo altero & meliorem & doctiorem, faſſus, hunc excurſum eſſe extra ſuam conſuetudinem. Nos, etſi alienum & hoc ſit, neque nos illi liti immiſceamus, rem narrabimus, ut eam ex ſchedis Illuſtris Spanhemii cognovimus, quæ multum cauſam Gebhardi juvabit. Habebat ille Fulv. Urſinus aliquando codicem manu exaratum, quem nunc ſervat Vaticana, eum pro optimo & qui ſexcentorum annorum ætatem excederet omnibus venditabat: cum repente alius quidam ei oſtendit ab eodem librario, qui codicem ſcripſerat, alicubi appoſitum indicium ætatis, numeros nempe 1207. Sed ex aliis etiam monumentis Urſini, qui non hoſpites ſunt in his literis, didicerunt, non optimis eum libris eſſe uſum: quod fortaſſe Gebhardi ſuſpicionem excitavit. Hæc obiter. Epiſtola 6 lib. VII nota 46 in verbis poetæ pro *manibus gypſatiſſimis*, mavult *malis gypſatiſſimis*, aut denique, *membris Abſyrti ſparſit*. Ad libr. IX epiſt. 13 not. 59 Burmanni notas (quod & bis terve alibi factum eſt, cum nobis ne nunc quidem eas videre contigerit, hæ tamen notæ Ciceronianæ ſuperiori jam anno abſolutæ ſint. Uſus eſt forte Cl. Verburgius eo beneficio, quo Cl. Snackenburchius: de quo alibi diximus) Burmanni itaque notas in Ovidium citat, ubi vocabulum *levidenſe* vix Latinum putat, & ſupponit in Cicerone *levi penſo*. Sed Noſtro ea conjectura non placet, reponitque *vile ac denſum*. In omnes Epiſtolas ad Atticum vix decem adnotationes Verburgianas videbis, & a libro IV usque ad X plane mutus eſt. Quid enim Verburgio cum Epiſtolis ad Atticum? Tamen in libr. III epiſt. 15 nota 50 adſcripſit: illud *victores*„ *viveremus* videtur mihi non multum abeſſe a proverbiali locu-„ tione.„ Scilicet quia Plautus eadem dictione uſus eſt. Bonum factum! proverbium eſt, ut apud Auſonium, *cui vivit adultera conjux*; apud Plautum, *verſuti vivitis*; apud Catullum, *inſulſa & moleſta vivis*; apud Terentium, *deſerti vivimus*; apud Salluſtium, *obedientes vivamus*; apud Livium, *obnoxium vivere*; denique apud Ciceronem ipſum, *beatiſſimi viveremus*, ex quibus exemplis quædam oſtendere potuiſſet Cl. Editori Gronovius ad

Liv. III cap. 50. Sed ſatis diu hoc ſaxum volvimus, dum lectoribus noſtris in omnem partem ſatisfacere laboramus. Paucis dicamus. Bibliopolæ optimi utiliſſimam reip. litterariæ operam præſtiterunt, cum elegantem & nitidam Tullii editionem procurarunt. Nec minus utilis fuit Cl. Verburgius, dum moleſtiſſimum laborem, commodi publici cauſa, exhauſit. Si quæ ſint, quæ non omnibus arrideant, quæque paullo melius potuiſſent conſtitui, ea omnia infinitis illis moleſtiis condonanda ſunt. In tanto hujus ſæculi pruritu, in tanta multitudine notarum & commentariorum non Scaligeros modo, Heinſios, Gronovios, ſed etiam Veenhuſios & Schrevelios eſſe, ferendum eſt.

THESAURUS ANTIQVITATUM ET HIſtoriarum Italiæ; cum Præfat. PETRI BURMANNI. *Tomi IX Pars VI, VII & VIII, quæ priorum Tomorum Supplementi vicem præſtantes, præteritos & poſtea demum acceptos Scriptores ſecundum ordinem regionum Italiæ diſpoſitos continent.*

Lugduni Bat. excudit Petrus van der Aa, 1723, f. maj. Alph. 14 Tabb. æn. 43.

Etſi abſolutum fere putavimus ſplendidiſſimum hunc Italiæ Theſaurum, cum Tomi IX Partes V recenſeremus in Actis A. 1723 M. Jun. p. 247 ſqq. nec ipſe forte Editor ſolertiſſimus de eo augendo cogitaret, plures tamen ex Italis, Viri celeberrimi, id ſibi datum putarunt, ut libellos quosdam rariſſimos, adhuc prætermiſſos, & in his ineditos aliquos, conquirerent, & liberaliter cum Noſtro communicarent. Itaque hic, ne Tomos augeret, novas tamen Tomo IX Partes, ſextam, ſeptimam & octavam, priorum Tomorum Supplementum præſtantes, addere non dubitavit; de quibus nunc paucis pro more noſtro agemus. Exſtant vero

Parte VI: Philiberti Pingonii Auguſtæ Taurinorum Chronica & Antiquitatum Inſcriptiones, olim Taurini 1577 fol. edita, in quibus præter gentis urbisque origines, nimis forte longe, nec ſatis certis teſtibus, arceſſitas, annales nobis dedit ſuccinctos,

ctos, ad ipſum annum impreſſionis continuatos, quibus inſcriptiones urbis & Principum ac familiarum Taurinenſium catalogos ſubjecit. *Petri Jofredi* Nicæa civitas ſacris monumentis illuſtrata, ubi, præter Antiquitatum notitiam, Nicienſis urbis, Diœceſis, Comitatus, Sanctorum & pietate illuſtrium, qui ibi ſunt nati, mortui aut tumulati, geſta deſcribuntur; Epiſcoporum Cemelio-Nicienſium, nec non Abbatum Monaſterii S. Pontii ſucceſſiones aliaque recenſentur; liber Aug. Taurin. 1658 fol. impreſſus, hactenus rariſſimus. Fides ejus in vetuſtis Cl. Burmanno magis probata, quam Pingonii, quod vero Longus in Bibl. Hiſt. Franciæ dictionem ejus & elegantiam Latini ſermonis commendat, in eo ipſi minime ſuffragatur. *Benedicti Accolti* Aretini, nati 1415 & Florentiæ mortui 1466, de præſtantia virorum ſui ævi Dialogus non inelegans, de quo uberius dictum in Actis A. 1690 p. 510. *Petri Azarii* Chronicon geſtorum in Lombardia, A. 1362 ſcriptum & antehac ineditum, quod Cl. *Apoſtolo Zeno* debetur, res varias notatu dignas, Autoris imprimis tempore geſtas, complexum, majoreque fide quam ſtyli elegantia exaratum. *Andreæ Bilii* Hiſtoriæ, ſeu Commentarii rerum Mediolan. Libri IX, quibus res ab A. 1404 ad Annum circiter 1432, quo Sigismundus Imp. in Italiam venit, traduntur, cujus libri Codices, quamvis parum caſtigatos, eidem Viro Cl. debet Editor. *Georgii Flori* de bello Italico & rebus Gallorum præclare geſtis Libri VI, ab *Hugone Picardeto* primum Pariſ. 1613, 4 editi, quibus continentur, quæ Carolus VIII usque ad Neapolin captam geſſit in Italia, tum Julii II Pont. expeditio in Bononienſes, ope Gallorum peracta, & Ludovici Regis Gall. bellum Genuenſe. *Petri Pauli Boſchæ* de origine & ſtatu Bibliothecæ Ambroſianæ Libri V, antea Mediolani 1670. 4 editi, quos ichnographia Bibliothecæ & icone Federici Borromæi Card. exornavit Noſter, qui addidit quoque librum non minori raritate commendabilem, nempe *Chriſtophori Giardæ* Bibliothecæ Alexandrinæ Icones Symbol. A. 1628, 4 editas, & diſciplinarum liberalium figuris non inelegantibus denuo nunc exornatas.

Parte VII: Dominici Macanei Lacus Verbani Chorographia, liber elegans, primum Mediolani 1490, iterumque ibi-

dem 1699, 4, cum pereruditis *Stazii Trugi Catalauni de Ameño* notis & præfatione ad Cl. *Muratorium* (cui plus intra paucos annos debere Italiam, quam integro ante hoc Seculo aliis, jure meritoque cenſet Burmannus) ipſius maxime opera editus. *Franciſci Bellaſini* de origine & temporibus h. e. fatis urbis Bergomi, ut & *M. Ant. Michaelis* agri & urbis Bergomatis Deſcriptio, quod utrumque opus Venetiis 1532 prodiit. *Vincentii Coronelli* rerum ac temporum Bergomenſis Eccleſiæ Synopſis, quæ Coloniæ 1696, 8 prodiit. *Bartholomæi Farinæ* de Bergomi origine & fatis Commentarius, quem ex Actis potiſſimum urbis conflaſſe videri voluit, in originibus Beroſum potius ſecutus, Patavii 1702 Italico ſermone vulgatus, & Latine verſus ab *Abrah. Preigero. Ant. Cornazzani* de vita & geſtis Bartholomæi Colei, qui Bergomum maxime belli gloria illuſtravit, Commentariorum Libri VI, quos Noſter e Codice MS. a *Joſepho Maria Sandi* liberaliter communicato, expreſſit. *Heliæ Capreoli* Chronica de rebus Brixianorum, cujus operis Libri XII, ad annum 1500 pertingentes, Brixiæ, fol. incertum, quo anno, multis abbreviationibus deformes prodiere, tam rari quidem, ut nuper in venditione Bibliothecæ cujusdam amplius centum & triginta florenis conſtiterint. Quamvis vero Autor Guelfis nimis addictus fuerit, multa tamen notatu digna refert, ab aliis prætermiſſa, ut dignum adeo cenſuerit Noſter, cujus non modo Libros XII multo luculentius recuderet, verum & adderet Libros XIII & XIV, ab Autore ad A. 1510 productos, quos e Codice chartaceo Bibliothecæ Ottobonianæ deſcriptos & cum alio Codice Brixienſi optimæ notæ collatos, perhumaniter communicavit Vir Cl. *Apoſtolus Zeno. Alexandri Squadroni* Faſciculus laudum Regii Lepidi, quo non oppidi modo, ſed & Academiæ ibi conſtitutæ Hiſtoria & Viri illuſtres breviter enarrantur; cui libello, ex editione, Regii 1619, 4 procurata, hactenus raro obvia, repetito, acceſſere nunc ejusdem oppidi deſcriptio & monumenta, e *Laur. Schraderi* Monumentis Italiæ excerpta. *Torelli Sarayna* de civitatis Veronæ origine &c. Libri VI, quorum ultimus agit de interpretatione literarum antiquarum, Veronæ antehac impreſſi 1540, fol. nunc cum notulis Joſ. Scaligeri, quas ſuo exemplo adſcripſerat,

Digitized by Google

pſerat, recuſi. Qui autor etſi gravis ſit & eruditus, quo non ſine laude uſus Panvinius in Antiqu. hujus urbis, non ſatis tamen ab Annianis fabulis temperare ſibi potuit. *Ejusdem* Hiſtoriarum ac geſtorum Veronenſium, temporibus populi & dominorum Scaligerorum, Libri III, Italico ſermone editi primum Veronæ 1542, 4, nunc Latine redditi; quibus acceſſit demum ob argumenti affinitatem *Joſ. Juſti Scaligeri* Epiſtola de vetuſtate & ſplendore gentis Scaligeræ excerpta ex ejus Epiſtolis, quarum exemplo cum notulas nonnullas alleverint *Dionyſius Voſſius* & *Paulus Colomeſius*, has quoque Lectori invidere noluit Editor.

Parte VIII: *Andreæ Chiocci* de Collegii Veronenſis illuſtribus Medicis & Philoſophis Commentariorum Libri III, Veronæ 1623 publicati, quibus ea, quæ Panvinius Antiqu. Veron. libro VI de claris Veronenſibus attulerat, ſupplentur. *Pauli Cigalini* de C. Plinii ſecundi vera Patria, ejusdemque fide & autoritate Prælectiones duæ, Comi 1605, 4, iisque oppoſiti *Palycarpi Palermi* de vera C. Plinii ſecundi Patria Libri III, Veronæ 1608, 4 editi; quorum ille Comenſibus, hic Veronenſibus, magno uterque eruditionis apparatu, Plinium vindicat. *Jo. Nicolai Doglioni* Diſſ. de origine & antiquitate civitatis Belluni, ejusque variis fatis, quam ex Italico idiomate, quo prodierat Veronæ 1588, vertit *Sigeb. Havercampus*, brevem quidem nec ineruditam tamen. *Laurentii Marucini* Baſſanum ſive Diſſ. de urbis antiquitate & Viris illuſtribus, ab eodem Interprete ex Italica editione, Venetiis 1577 procurata, Latine verſa; cujus quidem autoris fides in vetuſtis admodum vacillat. *Hieronymi Baruffaldi* de Poetis Ferrarienſibus Diſſ. Ferrariæ 1698, & *Joſephi Lanzoni* de Iatrophyſicis Ferrarienſibus Diſſ. Bononiæ edita, quarum poſterior quidem, brevi trium dierum ſpatio effuſa, nihil fere præter Catalogum continet. *Cæſaris Brixii* Urbis Cæſenæ Deſcriptio brevis, quam Italice olim proditam 1598, & nunc Latine a *Franciſco Maria Faccino*, Cæſenate, verſam, Illuſtrisſimus Comes *Hercules Franciſcus Dandinus*, cum notis doctis & prolixis, ſub *Elcbrei Dinunda* ficto nomine (quo forte ipſum Dandinum deſignari dixeris) Typographo noſtro transmiſerat. *Fr. Bernardini Manzonii* Cæſenæ Chronologia, olim edita

Piſis 1643, 4, nunc ab *Hectore Bucci* aucta iis, quæ poſt Autoris mortem ſunt conſecuta. Cum vero Partem II, ad quam ipſe Autor ſubinde provocat, ſumma induſtria inveſtigare non potuerit Editor, eam nunquam prodiiſſe putat; ſi tamen prodierit & obtineri poſſit, ſpem ejus deinceps edendi Lectori facit: unde facile conjicias, ne hac quidem Parte integrum Theſaurum Italiæ abſolvi. *Georgii Marcheſii* Forolivii Compendium Hiſtoricum, nuper A. 1722 ab autore juſſu Senatus Forolivienſis eo conſilio editum, ne hujus urbis memoria, contra Petrum Mariam Kavinam vindicata, in Collectione hac ampliſſima deſideraretur. *Alphonſi Ciccarelli* de Clitumno, Umbriæ flumine, opuſculum, Patavii 1563, 8 vulgatum; cujus quidem autorem ob falſi crimen, detruncata prius manu, laqueo ſuffocatum interiiſſe A. 1580, Cl. Burmannus docet. *Gabrielis Naudæi* Tabularii majoris Templi Reatini Inſtauratio, Romæ excuſa 1640, 4, quo libro, quæ in ſingulis armariis contineantur antiquitatis monumenta, accurate expoſuit. *Naldi Naldii* Vita Iannoctii Manetti, Senatoris Florentini, in omni literarum genere doctiſſimi, cujus Codicem MS. A. 1500 exaratum, Noſtro benigne communicavit Cl. *Zeno. Martini Manfredi* Monumentorum Hiſtoricorum urbis Lucæ Libri V ab origine urbis ad A. 1661, quos adhuc ineditos, ex Italico idiomate, quo ſcripti erant, in Latinum converti curavit Editor. *Gauges de Gozze*, Piſaurienſis, Diſſ. de inſcriptione Columnæ Roſtratæ, olim in Foro Romano eruta, quæ C. Duillio Conſuli, ob victoriam, quam primus de claſſe Carthaginienſi reportavit, aliaque egregie ab eo geſta, poſita. Hanc Roma 1695 ad Peireſcium tranſmiſſam, ex Italico Latine vertit *Abrah. Preigerus. Franciſci Mariæ de Aſte* de Memorabilibus Hydruntinæ Eccleſiæ Epitome, Beneventi 1700 edita.

His ita breviter commemoratis, nihil addimus, præter ultima Celeb. *Burmanni* verba, quæ e præfatione tribus hiſce voluminibus præmiſſa huc transſcribere lubet. *Nos*, inquit, *longa horum opuſculorum, licet maxima eorum pars magnam nobis voluptatem attulerit, lectione feſſi, hic ſummam recenſendo huic Italiæ Theſauro manum imponimus & omnes rogatos ſummo opere volumus, ut incredibilem Editoris induſtriam & ſtudium ornan-*

ornandi literas non laudare modo, ſed etiam adjuvare velint; certi enim eſſe poſſunt, tot non tantum raritate, ſed & ingenio & eruditione inſignes Scriptores a nullo ante hunc in unum conjectos fuiſſe corpus, & tam exigua, ſi ad eorum pretium, quo ſinguli vendi ſolent, exigatur, pecunia poſſe parari, ut aliquot millium nummorum, in hoc ſolo libro comparando, compendium fieri poſſit.

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT VINdemiæ Literariæ, h. e. Veterum Monumentorum, ad Germaniam ſacram præcipue ſpectantium, Collectio II.

Fuldæ & Lipſiæ, apud Maur. Georg. Weidmannum, 1724. f. Alph. 1 pl. 21.

NIhil præſtantia ſua concedit priori collectioni, quam ſuperiori Anno M. Febr. p. 51 perluſtravimus, hæc altera, novum ſpecimen ſingularis induſtriæ Cl. *Schannati*, quæ & *Traditiones Fuldenſes* nuper Orbi erudito dedit, proxime a nobis commendandas, atque ita Hiſtoriæ Fuldenſis Eccleſiæ, majoris operis futuri, initium fecit pulcherrimum. Exhibentur vero in hoc volumine: I Traditiones veteris Cœnobii S. Petri Erfordiæ. II Excerpta ex Necrologio ejusdem Cœnobii. III Anonymi Chronicon Wirtembergenſe, cujus autor Monachus quidam circa medium Seculi XVI videtur fuiſſe, opuſculum vero hoc inſcripſit Wernhero Comiti de Zimbra, Ferdinandi I ArchiD. Auſtriæ ſupremo Aulæ Præfecto, ut brevis MSti Codicis Epigraphe docet. IV Anonymus de origine & Abbatibus Cœnobii Combergenſis. Cum Cl. *Raim. Duellius* libro II Miſcellan. ejusdem Monaſterii hiſtoriam inſeruerit, exiſtimat Noſter, ad tam ſpecioſum titulum explendum permulta adhuc poſſe deſiderari, imo nec ea, quæ a Duellio, nec quæ a ſe in præſenti allata, aut impoſterum ex Archivo illius, nunc Equeſtris, Eccleſiæ proferenda ſint, ſufficere. V Necrologium Monaſterii S. Michaelis Bambergæ, Antiquitatibus hujus Cœnobii, in prima collectione exhibitis, merito accenſendum, quod ſeculum

lum XII non excedit. VI *Burchardi de Hallis* Chronicon Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Winpinenſis. VII *Dietheri de Helmeſtat* continuatio ejusdem Chronici. Quemadmodum hic autor diligens eſt in conſignandis rebus ſui temporis, ita inter alia illud prorſus ſingulare refert de Alberto Auſtriaco, eum, rejecto Adolfo Naſſovio, in Alzeja oppido a Gerardo II Archi-Epiſcopo Moguntino & fautoribus ſuis non ſuper ſcutum, ut mos antiquus Germanorum ferebat, ſed *ſuper dolium, levatum & in Regem ſublimatum eſſe.* VIII Necrologium ejusdem Eccleſiæ Collegiatæ, ex veteri codice membraneo erutum. IX Anonymi vita B. Lamberti, Monaſterii Novi-Operis juxta Halas Saxonicas primi Præpoſiti. Conſcripſit eam ejusdem Monaſterii canonicus regularis, S. Lamberto fere coævus, multaque lectu digna commemorat, maxime de veteri Walhuſanorum Comitum proſapia, ex qua Lambertus originem duxerat. X Translatio reliquiarum S. Alexandri Martyris ad idem Novi-operis Monaſterium, pariter ac præcedens opuſculum ex MS. Cod. Bibliothecæ Moguntinæ deprompta. XI *Joannis Tylich*, Monaſterii S. Mauritii Ord. Can. reg. extra muros Nuemburgenſes Præpoſiti, Chronicon Miſnenſe, ex autographo lituris frequentibus reſperſo deſcriptum. Autor ſub finem Sec. XIV ac initium ſequentis vixit; incipit vero a Witekindo Magno, atque in Friderico Bellicoſo non multo poſt fundationem Academiæ Lipſienſis, qua de nonnulla refert, definit. XII Anonymi ſeries Chronologica Epiſcoporum Virdunenſium, cui locum non minus in Germania Sacra, ſi tale opus ſperare liceret, quam in Gallia ſacra, jure dandum, Noſter judicat. XIII Sequuntur Diplomata & Epiſtolæ variæ Principum atque illuſtrium Virorum. Quandoquidem in his multa memoratu digniſſima continentur, operæ pretium faciemus, potiora quædam indicando. N. VII
p. 113. extat Friderici I Regis præceptum ſolemne confirmatorium, Arnoldo II Archiepiſcopo Colonienſi conceſſum, pro recuperandis prædiis ad menſam Archiepiſcopalem ſpectantibus, perperam in feudum conceſſis A. 1153, ex authentico prolatum; in quo non ſolum Conventus Regalis in Burgo Tremonio a Friderico I A. 1152 celebratus, quem nemo ſcriptorum alius memoravit,

ravit, annotari meretur, ſed & permulta, quæ ad probanda Eccleſiæ Colonienſis feuda, & ad refellendas *Wernheri Thumermut* adverſus eadem objectiones facere poſſint, Noſtro ſeſe obtulerunt. N. IIX Ejusdem Regis diploma alterum eſt, quo Walthero Præpoſito Colonienſi ſuisque ſucceſſoribus Advocatiam villæ Worunch confirmat A. 1153, & N. IX Ejusdem Imp. diploma tertium, quo anteriorum Regum ac Imperatorum privilegia p. 116.
Eccleſiæ Herbipolenſi conceſſa confirmat, aliaque ſuperaddit, A. 1168. Hoc tanto magis nunc ex authentico proferendum duxit Noſter, quod ipſum a *Lunigio* noſtro in Spicilegio Eccl. II & a *Leuckfeldio* in Append. III ad Antiqu. Pœldenſes inconcinniter & mendoſe, ut ait, editum animadvertiſſet. Duo vero potiſſimum hoc diploma complectitur, unum, quod Epiſcopo Herbipolenſi Ducatus Franciæ Orientalis confirmatur, alterum, quod inhibetur, ne quis alius per totum *hunc Epiſcopatum & Ducatum & Cometias, infra terminos Epiſcopatus & Ducatus ſitas, judiciariam poteſtatem exerceat, niſi ſolus Wirzeburgenſis Epiſcopus, ut Dux.* Sequens N. X Friderici I diploma, quo Capi- 118.
tulum Majoris Eccleſiæ Herbipolenſis hortatur, ut Reinhardo Electo ſuo media pro ſuſcipienda expeditione Italica adminiſtret, ad expeditionem in Italiam ſpectat, ab hoc Imp. A. 1172 in comitiis Wormatienſibus impetratam, biennio poſt ſuſceptam, ob conſilia, quæ inter Pontificem atque Italos agitari de Imperio Romano in Manuelem Græcorum Imp. transferendo, Fridericus aut a malevolis acceperat, aut ipſe in odium Alexandri III Pontif. fortaſſis confinxerat. N. XXX Caroli IV Imp. Epiſtola ad Joan- 130.
nem VI Palæologum Imp. Conſtantinop. qua eum de ſolemni coronatione ſua Romæ peracta certiorem facit, eique adverſus inimicos ſuos opem pollicetur A. 1355, ex cod. MS. Fuldenſi, & N. XXXI ejusdem Imp. Præceptum, quo Rudolfo Saxoniæ Duci dignitatem Electoralem, Ducatui Saxonico adnexam, una cum omnibus juribus ac privilegiis hereditarie confirmat, circa annum 1356, ex eodem codice ſubjicitur. Maxime vero attendendæ ſunt ſubſequentes Caroli IV Conſtitutiones & diplomata, quæ ſatis manifeſta indicia præbent iſtius curæ atque vigilantiæ, qua ipſe jura ſua præcipue in Regno Arelatenſi & partibus Italiæ aſſertum

Digitized by Google

ivit, uti probant N. XXXV Præceptum, quo monetas in Delphi-
p. 135. natus & Sabaudiæ ditionibus non aliter, quam ſub modo & forma præſcriptis cudi vetat, A. 1363; N. XXXVII charta abſolutionis, ſuper quibusdam exceſſibus a Ludovico Marchione Montisferrati commiſſis, circa A. 1369. N. XXXVIII Edictum, quo Barnabovem Mediolanenſis civitatis vicarium, officio & dignitate exuit circa eundem annum. N. XL ad Urbanum V Pont. max. Epiſtola, qua huic poteſtatem concedit intromittendi ſe in bona univerſa rebellium Barnabovis & Galeacii fratrum, eaque inter alios titulo vicariatus diſtribuendi ad tempus, A. 1369. Huc &
141 ſeqq. faciunt N. XLI formula juramenti eidem Imp. Carolo IV præſtandi, præſcripta Florentinis, & N. XLII juramentum ſolemne Lucanorum Imperatori præſtitum: N. XLIII Præceptum ejusdem Imp. quo Lucanis tanquam peculiari & fideliſſimo S. R. Imperii populo, jus cudendæ monetæ concedit: quæ ſingula ad annum 1369 referenda, atque ex laudato codice Fuldenſi depromta ſunt. Nec prætereunda, quæ occurrunt porro N. XLV, L, LI &
144. LII. Quippe primo loco extat Caroli IV Præceptum, quo Amadeum Sabaudiæ Comitem ab officio vicariatus Imperii revocat A. 1373, altero loco, Sigismundi Hungariæ Regis Diploma, quo
150 ſeqq. Johanni Duci Gorlizenſi fratri ſuo Marchiam Brandeburgenſem confirmat A. 1392, tertio eſt Joannis Moguntini & Friderici Colonienſis Archiepiſcoporum Epiſtola encyclica ad univerſum Clerum & Ordines Regni Hungariæ ſuper electione Jodoci, Marchionis Moraviæ, in Regem Romanorum, A. 1410. Hac epiſtola cum forma atque ratio in iſta electione ſervata, quæque occaſionem dedit proverbio: *Zu Frangkfurd hinderm Chor, haben geweelt ainen Kunig, ein Chind, und ein Thor*, minus ingenue recenſeantur, Anonymus quidam *refutationem contentorum in præcedenti epiſtola* conſcripſit, quam ex codice MS. Moguntino, unde & ipſam epiſtolam acceperat, Noſter extremo loco producit.

TABULARUM LITERARUMQVE VETERum, usque huc nondum editarum, Spicilegium, idque pri-

primum. Accedit Dodecas ejusdem generis epiſtolarum. GEORG. CHRISTIANUS JOANNIS publici juris fecit.

Francof. ad Mœnum, apud Jo. Maximil. a Sande, 1724, 8. Alph. 1 pl. 21.

POſtquam ſubinde in Actis utiliſſimam Clariſſimorum hac ætate Virorum contentionem de monumentis chartisque varii generis ab æterno ſqualore, quo ſepulta antehac jacuerunt, in dias luminis auras proferendis, hactenus celebravimus, eorumque collectiones diverſas recenſuimus, nobis diutius ſilendus haud eſt doctiſſimus & induſtria *Rerum Moguntiacarum Operi* navata jam inſignis Vir, *Cl. Joannis*. Complura ſane olim parum cognita, &, quæ in lucem revocarentur, digniſſima in primo hoc ſpicilegio profert, eoque ſequentium ſpicilegiorum mox videndorum nobis deſiderium injicit. Et cœpit quidem a *Chartulario Colonienſi*, id quod XXII tabulas, ad Archiepiſcopatus Agrippinenſis res juraque nonnulla haud poſtrema ſpectantes, complectitur. Cumque priores ex illis duæ controverſiam inter Præpoſitos Bonnenſem ac Xantenſem cum Præpoſito D. Geronis Colonienſi ſuper προεδρίᾳ olim agitatam concernant, hac occaſione *Catalogum Præpoſitorum D. Caſſii Bonnenſium* ſubjecit. Sed præcipuæ ſunt in hoc chartulario Imperatorum, *Wilhelmi, Adolfi, Alberti I, Henrici VII, Fridrici Auſtriaci Anti-Cæſaris, Caroli IV, & Wenceslai* chartæ, quibus partim de Advocatione Eſſendienſis Eccleſiæ Colonienſi commiſſa, partim de Comitatu Tremonienſi, eidem oppignorato, partim de Comitatibus liberis, vulgo *Freygrafſchafften*, vel *Still-Gerichte* dictis, juribusque aliis Archiepiſcopatui indultis, aut confirmatis, agitur. Deſcripſit has ex apographis A. 1471 juſſu Archiepiſcopi Ruperti recognitis. *Diplomatarium Diſibodenbergenſe*, quod ſuccedit, LX abſolvitur literis, originem fortunamque veteris cœnobii, quod vulgo *Diſenberg*, i. e. *Montis D. Diſibodi* dictum fuit, exponentibus, quarum nonnullæ ex codice diplomatico Moguntino deſumtæ. Præfixit autem hiſtoriam hujus cœnobii novis & commodis obſervationibus adornatam, ruderaque ejusdem in æs delineata inſeruit.

ruit. Duplicem deinde fecit *Appendicem*, ita, ut prior ſit *de S. Diſibodo e Mabillonii Actis Sanctorum Ordinis Benedictini*, altera *cœnobii Abbates* recenſeat. Hæc excipit *Chartularium Ædis collegialis Aſſchaffenburgenſis ad D. Petri & Alexandri martyris*, ab Ottone, Sueviæ & Bavariæ Duce, Ottonis I Imp. nepote ſub medium ſec. X fundatæ. Siſtit illud VIII chartas, quarum priores V Ottonis II Imp. ſunt, & fundationem, cenſus ac donationes iſti Ædi factas, tres reliquæ certas ordinationes reſpiciunt. Quæ jam ſequuntur, *duo diplomataria*, conſtant pluribus chartis, perilluſtrium olim duarum gentium, *Eppenſteinenſis & Breubergenſis*, conditionem, ſtatum, controverſias, jura, pactiones, alia, revelantibus. Erutæ ſunt e cod. MSto A. 1426 a *Wernhero de Rodenbach Primiſſario*, ut vocatur, *Hofheimenſi* ex autographis ipſis confecto, quem Ludov. de Chanxe, Eminent. Elect. Mogunt. Conſiliarius & Judicii Moguntini Aulici Aſſeſſor, cum Noſtro communicavit. Utriusque familiæ *ſtemmate gentilitio* hi potiſſimum ob oculos ponuntur, qui ex iis Dynaſtæ in chartis occurrunt. Floruit autem *Eppenſteiniorum* familia maxime jam Seculo XI & Eccleſiæ Moguntinæ quinque Archiepiſcopos, *Sigefridos I, II & III, Wernherum,* & *Gerardum II*, dedit. Poſſeſſiones tenuit in Wetteravia contiguis ad Rhenum Mœnumque finibus ampliſſimas, in iisque caſtrum *Eppenſtein*, duobus a Moguntia milliaribus ſitum, unde nomen gentilitium. Poſtquam ultra V ſecula ſtetiſſet, A. 1535 expiravit. Non minor fuit altera gens, *Breubergiorum*, matrimoniis cum *Waldecciis & Wertheimenſibus Comitibus*, cum *Dynaſtis Falckenſteiniis*, *Winſpergiis*, *Eppenſteiniis*, *Trympergiis* connexa. Nomen itidem a caſtro gentilitio *Breuberg*, ſeu *Bruberg*, in *ſilva Ottonia* ſito, indepta eſt, in qua ſilva, *dem Oden-ſ. Oſtenvvald*, bona inprimis habuit, partim ab Imperio, partim ab Epiſcopo Argentoratenſi, partim a Fuldenſi Abbate feudo accepta. Ex ea *Gerlacus* militaribus obſequiis *Adolfo Imp.* præſtitis eminuit, cujus filius *Eberhardus* per Wetteraviam præfectus provincialis a *Cæſ. Ludovico IV* multis beneficiis ornatus eſt, & in hoc ipſo nomen gentis defecit, bonaque Breubergenſia ad Comitum Wertheimenſium itemque ad Trympergenſium & Eppenſteiniorum gentem per

filias

ſilias delata ſunt. Tandem *Diplomatarium Miſcellum* varii generis chartas XXXVI variorumque res varias exhibet, nec ex minus hiſtoriæ Germaniæ tam civili, quam eccleſiaſticæ, Geographiæ, reique Genealogicæ, tum & juri Germanico uſui eſſe queunt. Eas partim autographa, partim exempla fide digna ſuppeditarunt. Ut nonnullas indicemus, *prima* & *ſecunda* ſunt *Ludovici Pii Imp.* quarum illa commutationem quorundam bonorum inter *Gebehardum Comitem* & *Riculſum Presbyterum* factam confirmat; hac in fidelem quendam *Adalbertum* bona certa donatione confert. VII eſt *Friderici II Imp.* declarantis, oppidum *Selingenſtadt* non eſſe Imperiale, ſed ab Eccleſia Moguntina jure hereditario feudaliter Imperatorem illud poſſidere. X Bulla *Urbani IV Pont.* qua Monaſterii *Gerodenſis* in Eichsfeldia ſiti ſtatum fortunamque confirmat, ac novis privilegiis auget. XVI *Gerhardi II* Archiepiſc. Moguntini privilegium civitati Moguntinæ indultum, a Judæis Moguntiæ habitantibus exigendi collectas. XXII *Ludovici IV Imp.* charta, qua villæ *Sobernheim* jus civitatis impertit, *ad inſtar oppidi regalis Franckenvort.* XXXIV *Reinharti* Epiſcopi Wormatienſis literæ de avita *Ruperti Palatini* ab utroque parente nobilitate. Ceterum Noſter ſingulis diplomatum faſciculis a ſe edendis deſtinavit *epiſtolarum ineditarum* certum numerum adjicere, maxime talium, quæ ad hiſtoriam literariam illuſtrandam, vel emendandam facere videantur, quales & hic *duodecim* annectit, beneficio Ampliſſimorum Virorum *Conr. Zach. ab Uffenbach, Dni de Gudenus, & Jo. Jac. Hottingeri,* tum & ex *Archivo Bipontino* acceptas. Sunt ergo I *Jobi Vener* (qui U. J. D. Nobilis Alſatus & in aula Imp. Ruperti Protonotarius fuit) ad Præpoſitum Cœnobii Lunenſis, ſuper lata a Patribus Concilii Piſani ſententia. 2 *Maximiliani I Imp.* quibus vetus Neptuni monumentum, quod Ettlingæ in ponte flumini Albæ impoſito ſub turri erat, ſibi concedi deſiderat. 3 *Sebaſtiani Hofmeiſteri*, Helveti, quibus *Lutheri* expetit amicitiam. 4 *Jo. Latomi*, quibus *Joanni Sapido* (*Witz*) id temporis viduo, uxorem quærit. 5 *Laurentii Cardin. Campegii*, quibus *Fridericum Nauſeam* (*Gravv*) Senatui reip. Francofurtenſis ad Mœnum commendat. 6 *Othonis Packii* ad *Martin. Lutherum*, de fœdere illo

Digitized by Google

commentitio. 7 *Urbani Regii* ad eundem, de familiaritate, quæ ſibi cum *Melanchthone* ceteriſque ſit, ſuaviſſima, deque *Philippi Landgravii* circa doctrinam de S. Cœna animo. 8 *Franciſci I* Gall. Reg. literæ fidei *Guil. Bellajo*, ad *Rupertum Palatinum* delegato, datæ. 9 *Caſp. Glaſeri* epiſtola, qua *Conrado Pellicano* veterem amicitiam in memoriam revocat, ac ſimul rerum ſuarum ſtatum perſcribit. 10 literæ *Michaelis, Epiſc. Merſeburgenſis*, quibus *Philippum Arbogaſtum* Ordini Theologorum in Academia Moguntina commendat. 11 *Emanuelis Tremellii* ad *Wolfgangum Ducem Bipontinum*, quibus promiſſum ſalarii augmentum petit. 12 Ejusdem, ad Conſiliarios Bipontinos. Singulis literis attextæ ſunt obſervationes doctæ, & quibus varia Biographorum loca ſupplentur, aut corriguntur; quorundam, quorum iſtæ literæ ſunt, integræ vitæ, ut *Caſp. Glaſeri*, *Badenſis*, qui Præceptor *Ducis Wolfgangi Palatini* fuit, hic primum deſcriptæ leguntur. Gratiſſimum vero hiſtoriæ literariæ cupidis faciet Cl. Joannes, ſi quidem pari inſtituto ejusmodi epiſtolas antehac ignotas evulgare, ſingulariaque de Eruditis ex penu ſuo literario addere & in poſterum velit. Quod reliquum eſt, commendari haud parum meretur jucunda pariter utilisque lectoribus opera, quam Noſter impendit, tum, præmittendis cuivis chartæ ſummulis, ex quibus ſtatim contenta liceat pernoſcere, tum & concinnandis quatuor *indicibus*, quorum *primus* autorum, in præfationibus, quas diplomatis præmiſit, atque obſervationibus, quas epiſtolis ſubjunxit, illuſtratorum, vel notatorum; *alter* locorum, qui mediorum temporum Geographiæ apprime inſervit; *tertius* perſonarum, quæ in chartis occurrunt, in certas diſtinctus claſſes; *quartus* demum eſt rerum præcipue memorabilium.

D. SIMONIS FRIDERICI HAHNII, HISTOriar. in Acad. Julia Prof. P. O. Collectio monumentorum veterum & recentium, ineditorum, ad Codicum fidem reſtitutorum, ſelectiorum & rariorum.

Tomus I.

Brunſuigæ,

Brunſuigæ, ex officina Frid. Wilh. Meyeri 1724, 8. Alph. 3.

EGregium quoque & plauſu dignum eſt, quod Vir Celeberrimus conſilium cepit, novam diplomatum, ſigillorum, literarum, chronicorum aliorumque inſignium ſcriptorum antiquitates, Geographiam, Hiſtoriam omnem ac nobiliores juris partes illuſtrantium collectionem inſtituendi, ac per intervalla continuandi. Jubet nos in ea non ſolum antea nunquam impreſſa, verum & olim edita, quæ tamen raritate ineditis parum cedant, nunc ad manuſcriptorum Codicum fidem diligenter emendata, reſtituta, aut certe reviſa expectare. Videamus, quæ primo hoc volumine proferantur. Primum locum occupavit *Ægidii Romani, Bituricenſis Archi-Epiſcopi, libellus de re militari veterum, ad mores præſertim medii ævi*, 23 capitibus conſtans, dignus profecto, qui in lucem revocaretur, ob antiquitates majorum noſtrorum bellicas, quas haud mediocriter illuſtrat. Autor, Ægidius, ex illuſtriſſ. Colomnenſi gente Romana, fuit diſcipulus Thomæ Aquinatis, Auguſtinianus eremita, ac ordinis ejus prior generalis, Aquitaniæ primas & ſeptuageſimus quintus inter Archi-Epiſcopos Bituricenſes. Scripſit autem majus opus, *de regimine Principum*, rogatu Philippi Pulchri, Francorum Regis, aut forſitan adhuc Principis Regii, quem Ægidius inſtituendum nactus fuerat. Ejus operis, quod, *Caveo* teſte, *Romæ 1482*, & *Venetiis 1598* prodiit, tertiam partem liber hic militaris conſtituit, quem ex codice membranaceo eleganti, olim *Obrechtanæ* bibliothecæ cimelio, tanto confidentius produxit Noſter, poſtquam in bibliothecis inſtructiſſimis binas iſtas editiones fruſtra requiri ſenſiſſet. P. 69 ſequuntur XXIV *Diplomata & inſtrumenta donationum* varia, (inter quæ duo Henrici III Imp.) cum ſubſcriptionibus ſuis & ſigillis in ære delineatis. Equidem non diſſimulat Editor, extare jam nonnulla horum diplomatum in doctiſſimi *P. Schannati Vindemiarum literariarum collectione I.* in *Reinhardsbornenſi chartario:* ſed cum & ſigilla ibi omiſſa, & quasdam tabulas vel mutilas, vel vitioſas eſſe, viderit, eas hic integritati ſuæ reſtitutas dare voluit. Excipit hæc, p. 116, *ſemicenturia bullarum rariorum atque monumentorum, ad illuſtrandam*

p. 117. *dam Pontificum Romanorum hiſtoriam facientium.* Eminent in illis *Gregorii VII* epiſtola, Rudolphum Anti-Cæſarem & aſſeclas ejus univerſim exhortantis ad conſtantiam, deque auxilio & fa-
122. vore ſuo ſecuros eſſe jubentis; *Adriani IV* invectiva in *Imp. Fri-*
148. *dricum I*; *Innocentii IV* epiſtola ad *Imp. Fridricum II*, qua eum increpat ob invaſionem in patrimonium Petri præſumtam, cum excommunicationis minis: ſed & reliquæ hujus Pontificis epi-
160 ſeqq. ſtolæ, velut quibus *Brixienſes* & *Bononienſes* hortatur ad Par-
172. menſium & Placentinorum defenſionem, *Mediolanenſes* ſuper morte *Anti-Cæſaris*, *Henrici Raſponis*, conſolatur, ad hiſtoriam illorum temporum conferri merentur. His, p. 197, alia ſuccedit *ſemicenturia chartarum, literarumque ſelectiorum a Regibus, Principibus & Viris illuſtribus aliis, inde a Sec. XI usque ad XV, perſcriptarum.* Multa hic iterum ſingularia & conſervatione
203. digna occurrunt, ut: *Henrici V* Imp. querela de *Alberto Mo-*
208. *guntino*; *Ottonis IV* querelæ ad *Innocentium III Pontif.* ſuper
225. ſeculari poteſtate, quam is ſibi arrogaret; literæ *Fridrici II*,
228. quibus ad quendam Imperii principem ſuper filio ſuo *Henrico*
232. conqueritur; ejuſdem Imp. admonitoriæ ad filium, *Conradum*; literæ, quibus Prælati quidam Eccleſiæ Rom. & Imperii Principes Pontificem inducere tentant ad pacem inter Eccleſiam &
247 ſſ. Imp. reconciliandam; epiſtolæ *Henrici Raſponis* ad *Mediola-*
275. *nenſes*, & *Wilhelmi Comitis Hollandiæ* ad eosdem; *Ruperti Imp.* charta confirmationis, ſuper emtione arcis *Steinbergiæ*, prope *Goslariam* ſitæ, vernaculo idiomate concepta, vel hoc nomine memorabilis, quod in ea bis *lapidei montis*, illuſtrium *Steinbergiorum* arcis gentilitiæ, ſit mentio, cujus ruinas antiquiſſimas eſſe, nec ejus volam, aut veſtigium in monumentis vetuſtis ac literis ſibi obveniſſe, *Celeb. Heineccius*, *Antiqu. Goslarienſium lib. I p. 93* affirmavit. Poſt hæc comparet, p. 279, *Thomæ Capuani, Rom. Eccleſiæ Tit. S. Sabinæ presbyteri Cardinalis, Dictator, multas Pontificum bullas & epiſtolas alias, cum publico, tum privato nomine ſcriptas, continens.* Dictatoris & dictaminis voces, medio ævo notiſſimæ, inſtitutiones epiſtolicas, vel manuductionem ad ſtilum, vel ipſum literarum commercium ſignificarunt. Inde Sec. XIII tres potiſſimum *dictatoriæ*

artis

artis notitia claruerunt viri, *Gauſridus Bononienſis*, *Petrus de Vineis*, & hic ipſe *Thomas Capuanus*, qui cum A. 1230 pacis inter Fridericum II & Gregorium IX conciliator fuiſſet, novennio poſt vita exceſſit. *Dictator* hic e vetuſto bibliothecæ Academ. codice membraneo editus, inter ludicra & inepta ſatis multa, memorabilia non pauca refert, cumprimis Pontificum epiſtolas ad imitandum propoſitas, ſed quæ nunc meliores quidem uſus præſtare debent. P. 385 vetuſtus & Sec. XII jam vergente compoſitus *Archi-Epiſcoporum Colonienſium Syllabus* comparet, ex quo *Levoldum a Northof*, equitem Marcanum, qui medio fere Seculo XV eorundem Archi-Epiſcoporum Catalogum confecit, antiquiora hauſiſſe, Noſter exiſtimat. Poſt *Guteti de Mixigia*, *Mediolanenſis Notarii*, *& ſociorum*, *carmina & literas quaſdam*, *in honorem Alphonſi Sap. Legion. & Caſtil. Regis*, *electi Imp. Romani*, *in Richardum Alphonſi æmulum mordaciſſime ſcripta*, p. 394 exhibita, ſequitur *Jo. Fiſtenportii*, *Moguntini*, *ordinis ſepulchri Dominici*, *continuatio Chronici ab Hermanno Januenſi ſcripti*, ab *A. 1352* ad *A. 1421*, brevis ac ſimpliciter ſatis ſcripta, ex codice chartaceo bibliothecæ Juliæ, quo *Hermanni Januenſis flores temporum* ſimul continentur, depromta. P. 406 occurrit nobis *Hiſtoria amorum Eurioli & Lucretiæ*, ſive *narratio arcana illorum*, *quæ Caſp. Schlickio*, *Senenſis nobiliſſimi civis uxorem deperdite amanti*, *in dicta civitate acciderunt*, *ab Ænea Sylvio*, *tum quidem Friderici III Imp. Secretario*, *perſcripta*, *ſingularia quædam continens*, *ad exprimendos Sigismundi Imp. Schlickii & ipſius Sylvii characteres*, *atque illuſtrandam iſtorum temporum hiſtoriam apprime facientia.* Cum amores iſtos antehac Latino & Gallico ſermone tantum prodiiſſe, nec, ſub larva *Eurioli* quis lateat, obſervatum eſſe, animadverterit Noſter, verſionem Germanicam, ſi non ipſius Sylvii ætate, certe non multo poſt, confectam, ejus exemplum nitide ſcriptum beneficio *Cl. Polycarpi Leyſeri* nactus, evulgandam duxit. P. 479 *Jac. Unreſti*, *Theologi & Sacerdotis Carinthiaci*, *Chronicon Carinthiacum*, & p. 537 *ejusdem Annales Auſtriaci*, ex uno volumine, quod *Chriſtophori Forſtneri* olim fuit, produntur, hisque annalibus res geſtas *Friderici III Imp.* ab initio regiminis usque ad extremum vitæ annum candide, aperte, p. 397.

Ee ſine

ſine ullo amoris odiique reſpectu & luculenter exhiberi, Noſter judicat. P. 803 comparet *chronicon Waldeccenſe*, idque recentius, quippe ad annum 1663 pertingens, cujus autor videtur fuiſſe *Daniel Praſſerus*, Illuſtr. Comitum Waldecci Conſiliarius. Denique p. 875 *Joachimi Rusdorffii epiſtolæ arcanæ 37*, ad *Ludov. Camerarium*, *Palatinum*, Latinæ, cum quibusdam aliis Gallicis, agmen claudunt, easque Noſter opinatus eſt novam hiſtoriæ belli tricennalis lucem afferre, collectioni vero *Rusdorſianarum epiſtolarum A. 1701 Francofurti ad Mœnum*, collectoribus *Miegio* & *Nebelio*, (ſub titulo: *Varia pietatis & eruditionis virorum ſuperioribus duobus ſeculis celebrium monumenta*,) editæ ſupplementum præbere non contemnendum, ac e codice, qui ad ipſum *Camerarium* olim pertinuerit, hic ſuppeditari, fidem ſuam interponit. Ex his ergo, quæ a nobis adducta ſunt, conſtare jam poteſt, quali cum delectu non modo atque cura præſens collectio adornata ſit, verum & quam inſigni fructui eadem eſſe queat, præſertim in *Hiſtoria Imperii noſtri Romano-Germanici*, ad quam præclare cœptam & communi applauſu continuatam *Introductionem* ut Vir Celeberrimus brevi ad finem feliciter perducat, publico nomine precamur.

JO. CHRISTOPHORI VVOLFII, PAST. Catharin. Anecdota Sacra & Profana.

Tomus IV.

Hamburgi, apud Th. Chr. Felginerum, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 2.

QUartum hoc eſt Anecdotorum Volumen, quod ſumme Rev. Autoris induſtriæ debemus. Primo loco heic exſtat Continuatio excerptorum ex Catena MS. egregia in Actus Apoſtolicos & Epiſtolas Catholicas, quorum Pars in volumine III ſuperiori exhibetur. In his ſunt duo Athanaſii fragmenta, ex ſermonibus ejus adverſus Novatianos, adhuc ἀνέκδοτα, & quæ Cl. *Montfauconii* induſtriam fugerunt. Succedit collatio Synodici Magni Beveregiani, cum tribus Codd. MSS. quod ad Tom.

I a *Guilh. Lloydio*, Præſule quondam Anglicano, olim inſtituta, & inde deſcripta. Eam excipiunt *Claudii Salmaſii* emendationes, manu ipſius ad *Chriſtoph. Juſtelli* Codicem Eccleſiæ Africanæ olim conſignatæ. Proximæ ſunt Virorum eruditorum animadverſiones & emendationes ad *Heſychii* Gloſſarium pertinentes. Illæ debentur *Q. Septimio Florenti Chriſtiano*, & *Eduardo Bernardo*, quas Noſter ex Codicibus manu ipſorum notatis deſcripſit; tum vero *Jo. Vito Pergero*, cujus caſtigationes quippe copioſiores hic tantum quod ad literam A exhibentur, inpoſterum forte continuandæ. Agmen claudit *Plutarchi* Chæronenſis Opuſculum ὑπὲρ εὐγενείας ſive *pro Nobilitate*, μεῖζον, & adhuc non editum. Hujus copiam nactus eſt Noſter a *Jo. Grammio*, Profeſſore hodie Hafnienſi meritiſſimo, qui membranas ſuas, recentiore manu deſcriptas, facilis communicavit. Contextui Græco addita eſt latina interpretatio Arnoldi *Ferroni*, Burdegalenſis, Lugduni olim apud *Seb. Gryphium* A. 1656, 8, ſine Græco edita, & adeo rara, ut præſtantiſſimorum in hoc genere Scriptorum induſtriæ ſe ſubduxerit. In his edendis ita verſatus eſt Rev. Editor, ut in notis hinc inde Codicem MS. a librarii vitiis vindicaret, verſionem ſubinde emendaret, loca veterum Scriptorum, Plutarchi more, copioſe allata, & in MS. temere omiſſa, beneficio Latinæ verſionis, ex monimentis, quæ exſtant, reſtitueret, ac denique argumentis ipſis illuſtrandis incumberet. *Ferroni* interpretatio cum lectionibus textus Græci, etiam ubi male habet, ut plurimum conſentit, & a fine quoque, non ſecus ac ille, deficit; interim tamen nonnunquam plenior eſt codice exarato. Plutarchi hoc eſſe opuſculum in præfatione idoneis argumentis evincitur. Certe Plutarchum de hoc argumento commentatum eſſe, *Lamprias* in indice Scriptorum ejus n. 192 autor eſt, ubi tamen inſcriptio habet περὶ εὐγενείας, quæ rectius & tractationi convenientius cum illa noſtri Codicis ὑπὲρ εὐγενείας permutatur. Eam vero commentationem, qualis nunc editur, vere a Plutarcho profectam eſſe, duo fragmenta, quæ a Stobæo in Florilegio ſub ejus nomine afferuntur, & cum Cod. MS. prorſus conſentiunt, dubitare nos non patiuntur. Præterea & ſtilum & multiplicis lectionis copiam, ingeniumque & doctrinam Plu-

tarchi non minus ex hoc opuſculo quam ex ceteris ejus ſcriptis prudens lector perſpiciet: quemadmodum & paſſim ad diſputationes ſuas contra Stoicos provocat. *Pompejum Caimum*, Medicum Patavinum, in libello ſuo de Nobilitate locum ex iſto Plutarchi afferre, qui in MS Græco non exſtet, in præfatione monet Noſter, & hinc ſuſpicatur, *Caimum* pleniori forte exemplari uſum eſſe. Sed poſtea idem intellexit, Caimum ipſam Ferroni verſionem, in qua iſte locus legitur, tantum adhibuiſſe. Opuſculum ipſum nonnulla ex libris veterum deperditis loca non contemnenda & interdum longiora affert, quæ harum rerum ſtudioſis & intelligentibus placebunt. Ita p. 249 locus exſtat *Lycophronis Sophiſtæ* contra nobilitatem, *Ariſtodemi* cujusdam contra eandem objecta p. 214 ſqq. *Chryſippi* varia, quorum Index mentionem facit. In notis luculentis Editoris complura exſtant, quæ varia antiquitatis momenta, Scriptores veteres, & Græcam linguam ita illuſtrant, ut continuationem laboris hujus, quæ promittitur, avide exſpectemus.

POGGII BRACCIOLINI FLORENTINI Hiſtoriæ de varietate fortunæ Libri quatuor, ex MS. codice bibliothecæ Ottobonianæ nunc primum editi, & notis illuſtrati a DOMINICO GEORGIO. Accedunt ejusdem Poggii Epiſtolæ LVII, quæ nunquam antea prodierunt. Omnia a JOANNE OLIVA, Rhodigino, vulgata.

Lutetiæ Pariſiorum, typis Ant. Urb. Couſtelier, 1723, 4. Alph. 1 pl. 18.

EDitioni hujus Operis, nondum antea typis exſcripti, occaſionem dederunt *Nova literaria*, A. 1720 una cum hiſce *Actis eruditorum* Lipſiæ noſtræ edita p. 84 ſqq. Cum enim ibi Collega noſter perinduſtrius, Cl. Heumannus, codicem hujus Operis MS. quem Gottingenſis civitatis Archiater, Cl. Barnſtorfius, poſſidet, haud indiligenter deſcripſiſſet, indeque hauſtam ejus rei mentionem Romani legerent in *Bibliotheca Germanica*, quæ per aliquot annos

annos Gallico ſermone edi conſuevit; ſtatim Leonardus Adamus, qui alium ejusdem Operis codicem MS. Romæ latere in Ottoboniana bibliotheca ſciebat, in animum induxit, editione ejus typographica ſibi devincire literarum cultores. Is vero cum paulo poſt ſuſceptum hoc conſilium vita exceſſiſſet, provinciam hanc adiit doctiſſimus Vir, Dominicus Georgius, Eminentiſſ. Card. *Imperialis* Bibliothecarius, ac ſimul annotationes in Poggium conſcripſit ſingulari induſtria. Quibus confectis edendi operam commiſit Cl. Olivæ, qui ex urbe mundi olim domina Lutetiam delatus, ſplendida ac nitida hac editione, quam inſcripſit Sereniſſimo Principi, Cardinali ROHANIO, beavit orbem literatum. Hæc, quæ diximus, ipſe nos docet Oliva in Præfatione, quam Præfatio Cl. Georgii excipit, præclara nonnulla proferentis hiſtoriam librorum Poggii illuſtrantia, ac præterea docentis, quartum præſentis Operis librum ſeparatim jam olim editum fuiſſe circa annum 1492 ſub titulo *Indiæ recognitæ*. Idem Georgius altera Præfatione, quarto iſti libro præfixa, docet, eundem Poggii librum quartum jam dudum converſum fuiſſe in Luſitanicam linguam, pariterque lingua Italica donatum exſtare in primo Tomo *Itinerum* a Joanne Baptiſta Ramuſio quondam emiſſorum. Ceterum ut paucis exponamus argumenta Poggiani hujus Operis, Nicolao V Papæ dicati, libro is *primo* Romanæ urbis imperiique occaſum terſo dicendi genere deplorat, atque hac occaſione reliquias Romanæ magnificentiæ perdiligenter deſcribit. Hic igitur antiquitatis curioſi maxima cum voluptate cognoſcent priſca monumenta, Poggii ævo adhuc Romæ reſidua. Deinde de natura *fortunæ* Philoſophorum ſententias recitat & expendit Poggius. Hinc de Tamerlane quædam narrat, addens, ſe cum quibusdam de eo locutum eſſe, qui in Principis illius caſtris verſati fuerint. *Secundo libro* exempla producit multorum ſua ætate a fortuna afflictorum usque ad obitum Martini V Papæ. Deſcribit hic miſerabilem exitum Richardi II Angliæ Regis; triſtem fortunam regni Galliæ ſub Carolo VI; caſus acerbos Regi Cypri & Neapolitanis Regibus importatos; Balthaſaris Coſſæ, qui ſub nomine Joannis XXIII Papa fuit, infortunatiſſima fata; multorum denique Italiæ Principum hiſtoriam,

p. 124.

riam, qui illo ævo lubricitatem fortunæ experti ſunt. Non eſt dubium, jucunda lectu hæc omnia fore hiſtoriæ ſtudioſis, cum ſui ſæculi hiſtoriam illuſtret Poggius, & ea perſequatur copioſe, quæ ſe vivo ac veluti in conſpectu ſuo acciderunt. Similis eſt *liber ertius*, quo narrat exempla inconſtantis fortunæ ea, quæ ſub Eugenio IV Papa vidit Italia. Hic ipſius Eugenii hiſtoriam fuſe deſcribit, vix ullius Pontificatum tantam provinciis Romanæ Eccleſiæ vaſtitatem & calamitatem attuliſſe, diſerte ſcribens. Qua occaſione etiam brevem exhibet & elegantem hiſtoriam Concilii Florentini. *Quarto* denique *libro* deſcribitur Nicolai cujusdam Veneti *Iter Indicum*, ac pleraque eo tempore nova atque inaudita narrantur, quæ ex ipſius Nicolai ore exceperat noſter Poggius. Ad Notas quod attinet, a Cl. Georgio his libris ſubjectas, primus liber egregie illuſtratur annotationibus antiquariis. Sequentium duorum hiſtorias uberiori luce perfundit idem, ſubinde etiam errores Poggii aliorumque corrigit hiſtoricos. Nec *quartus* liber prorſus caret annotatiunculis Georgianis. Ceterum cum Romæ quinquaginta ſeptem Epiſtolæ Poggii, nondum illæ quidem editæ, deprehenderentur, Cl. Editor, qui ſimul teſtatur, Florentiæ ducentas circiter alias aſſervari, pariter ineditas, hac occaſione eas protrahendas duxit in publicum. Fateri autem cogimur, ſecutum eſſe Editorem codicem admodum mendoſum. Ipſe quidem nonnulla correxit: at plura reliquit inemendata. E.g. *Epiſt. I lin.* 6 ſcribendum erat *legerunt*; lin. 14 *at, cum*; lin. 16 *ſcribo*; lin. 32 *ut-monſtret*; lin. 37 *Atque hac.* Ut ex his epiſtolis excerpamus potiora, *Epiſt.* 13 & 14 ſcribit Poggius, ſe Dialogum compoſuiſſe *contra avaritiam*, ſed non audere eum publicare, ne quis eum in ſe ſcriptum putet, qui poſſit proſcribere. De eodem Dialogo diſſerit *Epiſt.* 20. Epiſt. 30 dicit, quosdam Livii libros ineditos alicubi ſervari. Ceterum cum Laurentius Valla, quocum lis interceſſit Poggio, quædam loca harum epiſtolarum in *Antidoto* ſuo vellicet, quaſi minus Latine ſcripta, Cl. Editor loca Vallæ in margine indicavit. Quæ nunc ſubjicimus, cum Editori Poggiani Operis, tum ceteris Poggii ſtudioſis haud ingrata fore, confidimus.

C.A.H.

Digitized by Google

C. A. H. Emendationes libri primi *de varietate fortunæ* e codice MS. Barnſtorfiano.

Collatione facta Barnſtorfiani codicis cum Ottoboniano, alterum alterius opem ſubinde poſcere deprehendi. Multa enim rectius ſcripta exſtant in Ottoboniano: multa viciſſim in Barnſtorfiano. Non credo opus eſſe, ut loca Barnſtorfiani mendoſa hic recitem. Illud gratum ſpero futurum lectoribus, ſi hoc loco exhibeam vitioſa Ottoboniani loca, quæ e meo codice oportet emendari. Scribendum igitur p. 2 lin. 19 *plurium varios atque* pro *plures variosque*; lin. 27 *utplurimum* pro *plurimum*; p. 3 lin. 13 *vidimus, varie eorum* pro *vidimus eorum*; p. 4 lin. 4 *cenſeo a te aſpernandam* pro *cenſeo aſpernandam*; p. 6 lin. 9 *ſuam* pro *ſui*; p. 7 lin. 15 *aſſeveret* pro *aſſereret*; p. 8 lin. 6 *ſculptum* pro *ſcriptum*; lin. 7 *atque admodum* pro *atque adeo*; lin. 15 *& M. Lepidum M. F. coſ.* pro *& M. F. cos*; p. 9 lin. 16 *legenda* pro *legendas*; lin. 23 *incuria* pro *injuria*. Sic & p. 25 *fortunæ negligentia*; p. 17 lin. 13 *populo* pro *populis*; lin. 16 *ab ſtultitia* pro *ob ſtultitiam*; p. 26 lin. 10 *æſtimatam* pro *exiſtimatam*; p. 28 lin. 24 *Nam* pro *hanc*; p. 29 lin. 4 *vendito* pro *vendit*; lin. 15 *imperatoriis* pro *imperatoris*; lin. 27 *faciat, cognoſce* pro *faceret, cognoſco*; lin. 30 *fors* pro *ſors*; p. 30 lin. 18 *tutiſſimum eſt* pro *tutiſſimum*; p. 32 lin. 16 *eoque magis* pro *eaque magis*; p. 33 lin. 6 *regatur* pro *agatur*; lin. 9 *Stultis - adulatur - trahit* pro *ſtultis - eam adulari - trahere*; lin. 26 *trudit* pro *tradit*; lin. 36 *bello* pro *belle*; p. 35 lin. 5 *ac virtuti* pro *aut virtuti*; p. 36 lin. 2 *tanta bis fide* pro *tantaque bis fides*; lin. 9 *cum illis prioribus* pro *illis prioribus*; p. 38 lin. 9 *ſubegit* pro *ſubjecit*; lin. 11 *nihil denique* pro *nihilque*; lin. 29 *e faſtigio* pro *a faſtigio*; p. 39 lin. 21 *an & externa* pro *an externa*. Subjicio unius atque alterius loci, utroque in codice depravati, emendationem, quam probatum iri cordatioribus, vix dubito. Igitur p. 3 lin. 6 legendum *tuis me cohortationibus*; p. 25 lin. 16 *ſit*, & lin. 26 *altricem*; p. 36 lin. 16 *evexit*. P. 27 lin. 17 alter codex habet *culpam ſui*, alter *culpam ſua*. Mihi totus locus ſic videtur ſcribendus: *confictum putem, ſua vitia fortunæ tribuentium*. P. 28 lin. 28 Ottobonianus exhibet: *Utrumque ſperavit*; meus codex: *Utrumque ſuperavit*. Legendum contendo ſic: *Utramque* (ſcilicet

cet & Galliam & patriam ſuam,) *ſuperavit.* P. 30 lin. 12 Barnſtorfianus liber habet *a ceſa*, Ottobonianus *a Caſare.* Neutra lectio vera. Emendando huic loco acumen meum non ſuffecit. Relinquo igitur eum aliis corrigendum. Libet jam ſubjungere eas ſcripturæ diverſitates, quæ non ſunt magni momenti, hoc eſt, ubi utraque ſcriptura poteſt ferri, ita tamen, ut mei codicis lectio plerumque videatur ſincerior. Priori igitur loco Ottoboniani libri, poſteriore Barnſtorfiani ſcripturam exhibeo. En iſta loca: P. 1 lin. 8 *cujus beneficio. beneficio cujus.* P. 2 lin. 14 *impertiuntur. impartiunt.* Lin. ult. *detrahentium. detractantium.* P. 3 lin. 11 *eſſe majeſtatem. majeſtatem eſſe.* P. 5 lin. 5 *ſape. ſapius.* P. 9 lin. 21 *Hæc ſola. Hæc ſola igitur.* P. 11 lin. 7 *Antonini. Divi Antonii.* Lin. 8 *plures. plurimæ.* P. 12 lin. 16 *conſumtam. conſumtum.* P. 13 lin. 12 *monet. movet.* P. 14 lin. 3 *exſtructa. exſtructas.* P. 15 lin. 10 *ſervitutis. ſervitii.* P. 16 lin. 5 *ſuperſcriptio. ſupraſcriptio.* P. 17 lin. 4 *conſpicitur. concipitur.* P. 18 lin. 1 *occupata. occupatur.* Lin. 12 *etiam ipſa. & ipſa.* Lin. 15 *a quodam præfecto urbis. a præfecto urbis.* P. 19 lin. 13 *marmoreæ ſpecioſa. marmore ſpecioſo.* P. 20 lin. 2 *ſecundo. a ſecundo.* Lin. 16 *Hoc videbitur. Videbitur.* P. 21 lin. 4 *æneam ſolam. unam ſolam æneam.* Lin. 12 *tot tantarumque. tot tantarum.* Lin. 24 *vineis. vineisque.* P. 23 lin. 10 *haud decem. haud ultra decem.* Lin. 23 *Nomentana. Nomentanam.* Lin. 24 *quarta etiam. quarta.* P. 24 lin. 17 *argumentis. multis argumentis.* Lin. 27 *privatorum. privatorum ædificiorum.* P. 25 lin. 21 *& philoſophis. philoſophis.* P. 32 lin. 5 *quotve. quasque.* Lin. 9 *viam dat & præcepta. viam: dat præcepta.* P. 36 lin. 7 *imperaret, imperitaret.* Duo ſuperſunt, quæ moneantur, haud indigna. Scilicet p. 20 *obeliſci* vocabulo adjunguntur nonniſi fœminini generis nomina in meo codice: rectius in Ottoboniano maſculina. Denique p. 6 lin. 20 pro *Luciano* meus codex habet *Luianio.* Quid ſi legeremus *Libanio?* Expendendum hoc permitto Clariſſimis editoribus, Georgio atque Olivæ. Ego vero criticam libri primi perluſtrationem hic finio, ceterorum trium librorum variantes ſcripturas atque emendationes inſerturus *Poeciles* meæ Tomo ſecundo.

CHRI-

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI
Pœcile, ſive Epiſtolæ miſcellaneæ.
Tomi I Liber IV.

Halæ, in officina Rengeriana, 1725, 8.
Plag. 11.

EPiſtola prima primus *Theophili Antiocheni*, nuper a Celeb. Wolfio editi, liber non ſolum pluribus locis emendatur, ſed etiam a falſi nominis emendationibus defenditur. *Secunda* feliciſſimus literariorum ſtudiorum ſtatus noſtri ævi prædicatur, ſubjuncta eodem de argumento *Oratione*, qua docetur, inde a tempore Lutheri ad noſtram usque ætatem in Germania *argenteum* fluxiſſe literarum ſæculum, noſtro autem ævo plane *aureum* decurrere cœpiſſe: quæ aurea literariorum ſtudiorum ætas quamdiu duratura ſit, conjectura adjicitur. Facit hac occaſione Cl. Autor ſuum illud Ovidii:

Priſca juvent alios: ego, me nunc denique natum,
Gratulor.

Tertia eclogam *Virgilii* decimam partim emendat, partim obſcurioribus locis illuſtrat, addito ſuo de commentatoribus in illam judicio. Ac profecto multa hic occurrunt, quæ ceteri interpretes non viderunt, cum tamen clariſſimam lucem inferant Poetæ verbis. Nec dubitamus, gratum fore humanitatis ſtudioſis, ſi Cl. Autor pari diligentia reliquas pertractet Virgilii eclogas. *Quarta* Theologis exhibet novam interpretationem nominis *Coheleth*, allatis ſimul cauſis, cur ceterorum explicationes non poſſint admitti pro veris. Primo igitur exiſtimat, *Coheleth* eſſe nomen ſubſtantivum fœminini generis, & *concionem* ſive *cœtum* ſignare. Deinde ſubeſſe docet ellipſin τῦ איש, frequentiſſimam illam apud Hebræos: ut adeo Salomo dicatur איש קהלת, hoc eſt, *concionator*, recteque id nomen reddiderit Græcus interpres *ἐκκλησιαστὴν*, Latinus *eccleſiaſten*. *Quinto* loco exhibentur *Electa epiſtolica*, hoc eſt, Excerpta ſingularis doctrinæ plena ex Epiſtolis *ἀνεκδότοις* Velſeri, Jungermanni, Tobiæ Adami, Bersmanni, Ducæi, Gruteri, Putſchii, Georgii Remi, Rittershuſii, Savilii, Scaligeri, Schegkii, Andreæ Schotti, Seberi, Si-

beri, Sylburgii, Weizii, Henrici Wottonii, Zinzerlingii. Gratiſſimæ omnino eruditis futuræ ſunt hæ epulæ. Multa enim hic occurrunt, quæ ſumma cum voluptate ii maxime legent, qui hiſtoriam colunt literariam. Ceterum hæc Excerpta epiſtolica Cl. Autor accepiſſe ſe gratus profitetur a Francofurtenſi illo Peireſcio, *Uffenbachio*. *Sextum* locum tenet Diſſertatio *de doliari habitatione Diogenis Cynici*, a Jac. Haſæo, Viro clariſſimo & lugentibus omnibus bonis reip. literariæ non ita pridem erepto, compoſita. Is ſcilicet vetuſtam de Diogenis dolio narrationem contra Cl. Autorem noſtrum, qui eam in *Actis* ſuis *Philoſophorum* in fabularun cenſum rejecerat, defendendam hic ſuſcepit, omnesque ingenii ſolertiſſimi nervos intendit, ut tot ſcriptoribus ſua conſtaret fides. Ac ipſe Cl. Heumannus fatetur, cauſæ huic non potuiſſe contingere patronum doctiorem. Ceterum cum ſententiam ſuam judicaret non everſam eſſe oppoſitis a Cl. Haſæo rationibus, reſponſionem hic ſuam exponit: qua primo urget eorum ſcriptorum ſilentium, qui, ſi vera eſſet iſta narratio, & ſciviſſent eam, & tot oblatis occaſionibus nequaquam reticuiſſent. Deinde ex loco quodam Senecæ eruit inveteratæ fabulæ originem. Cumque Haſæus perſuadere ſtuduerit, olim in Græcia uſitatiſſimum fuiſſe, ut pauperes habitarent in doliis, Noſter ſingula ejus argumenta expendit ac refellit. *Octava* diſſertatio, *de fulminibus politicis* inſcripta, conſiderat heroas illos, qui improviſo in vicinos facto impetu tam latam edidere ſtragem, ut ubique victores omnia ſummo terrore impleverint. Talibuls *fulminis* appellationem olim inditam fuiſſe, poſtquam exempo Scipionis, Cæſaris, Hannibalis, Bajazethis, Ptolemæi Cerauni demonſtravit, alios hujus generis Principes commemorat, Alexandrum M. Attilam, Tamerlanem, Scanderbegum, Guſtavum Adolphum, alioque. A politicis his fulminibus ad eccleſiaſtica deſcendens, hæc in ſalutaria & peſtifera dividit, prioris generis exemplum exhibens Lutherum, poſterioris Muhamedum. Ultimo loco literaria producit fulmina, hoc eſt, ſummos viros, qui ſummis viribus barbariem ſui ſæculi adorti ea uſi ſunt felicitate, ut philoſophiæ omnibusque bonis literis ſuus redditus ſit vigor, ſuus honos. Laudat hic Eraſmum, Huttenum, Pufendor-

ſendorfium, atque florentem adhuc Thomaſium. Hinc de fulminibus his politicis, eccleſiaſticis & literariis philoſophicam ſubjicit meditationem, tanquam Specimen aliquod tractationis hiſtoriarum pragmaticæ. *Nona* Diſſertatio Tacitum illuſtrat, apud Germanos ſcribentem *viros pariter ac fœminas ignoraſſe literarum ſecreta.* Noſter verba hæc de amatoriis quidem capit literis, ſed ſimul omnem literarum uſum Germanis a Tacito denegari contendit, hanc verborum ejus exhibens paraphraſin: *Noli putare, Germanos Romanorum more epiſtolis uti amoris internuntiis. Imo vero tantum abeſt, ut hoc modo amorem inter ſe concilient & alant, ut non fœminæ ſolum, quæ quidem & Romæ pertenuem literis operam dant, ſed etiam viri literas exarare amatorias, clandeſtinoque uti epiſtolarum commercio, prorſus neſciant. Decima* eademque ultima hujus libri diſſertatio *Paulum Apoſtolum* exhibet *inſaniæ reum, Actor. XXVI, 24.* Primo igitur multis exemplis oſtendit, ſapientiſſimos homines omni ævo accuſatos fuiſſe τῆς μανίας. Deinde verba Feſti, Paulo dicentis: *Inſanis, Paule*, molliorem in ſenſum interpretatur, ut is tantummodo imbecillitatem mentis & inopiam judicii Apoſtolo objecerit. Affert eam in rem parallelum locum ex *Actor. XII, 15*, ubi, qui, ancillam ineptire & aniliter errare, dicere volebant, ita eam compellant: Μαίνῃ, quod Germani noſtri hunc redderent in modum: Du biſt ein Narre, du biſt nicht klug.

Schauplatz der Waſſer-Künſte.

hoc eſt,


THEATRUM MACHINARUM HYDRAULIcarum, Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Regi Boruſſiæ a Conſiliis Commerciorum, diverſarum Societatum Scientiarum Sodali.

Tomus I.

Lipſiæ, ſumtibus Autoris, 1724, fol.
Alph. 2 Tabb. æn. 53.

PRimo hoc machinarum hydraulicarum Tomo deſcribit Cl. Autor omnes machinas & apparatum reliquum omnem aqua-
c. 1. rum elevandarum. Orditur ab inſtrumento ſimpliciſſimo, ſiphone, cujus varia genera recenſet variumque uſum commonſtrat. Eminet hic ſipho Würtenbergicus *Reiſelii*, de quo alibi dictum in his Actis. In ejus vertice antliam attractoriam applicare docet
2. Cl. *Leupoldus*, ut aqua inde altius elevetur. Siphonem excipiunt varia inſtrumenta, quorum ope homines aquam ad mediocrem altitudinem elevant. Sequuntur machinæ illis agnatæ, hominum vi agitandæ, quæ multiplex præſertim vectis applicatio peperit, & quædam magis compoſitæ aquarum vi movendæ junguntur.
3. Plurimum dein induſtriæ collocat in deſcribendis variis rotarum ſpeciebus, quibus aquæ ad diverſas altitudines elevantur, ubi inter alia *rotæ Bremenſis* deſcriptionem *Sturmianam* reperies, additis nonnullis in eam animadverſionibus, & data occaſione de Opere Gallico, quod Lugduni Gallorum A. 1719 in 4 ſub titulo: *Reeucil d'Ouvrages curieuſes de Mathematique & de Mechanique, ou Deſcription du Cabinet de Mr. Grolliere de Serviere* prodiit, monet, etſi ingens machinarum multitudo in eo deſcribatur, paucas tamen in earum numero eſſe, quæ aliquid ſingulare habeant & uſui eſſe poſſint. Miratur itaque *Leupoldus*, cur Galli & Diariorum compilatores tantopere illud deprædicarint.
4. Progreditur a rotis ad cochleam *Archimedis*, cujus non modo deſcriptionem ex *Vitruvio*, ſed propriam quoque & Batavorum conſtructionem docet, inquirens una in diverſos modos eam commode movendi, & illorum lapſum corrigens, qui eadem ad
5. condendum perpetuum mobile uti voluerunt. Vidit *Berolini* illius loco aliam adhiberi machinam, quæ cum nullibi adhuc deſcripta extet, placet ejus ſectionem orthographicam una cum partium quarundam delineatione ſcenographica hic exhibere.
Tab. II. Fig. 1. LMNO repræſentat unum ex aſſeribus lateribus, ex quibus tubus ſecundum longitudinem LM adapertus conſtat, qui ma-
2. chinam ſuſtentat. In BB ſunt axes palis ligneis inſtructi, quas
3. Fig. 2 monſtrat. DD eſt tubus, intra quem tabulæ K decenti ratione, ut in H & I videre eſt, inter ſe connexæ aſcendunt aquam elevantes. Denique m m eſt planum, in quo tabulæ iſtæ rurſus deſcen-

TAB. II ad A. 1725 M. M



Digitized by Google

Digitized by Google

deſcendunt. Tubus apertus ſeu arca tignis transverſis a & d firmatur. Huic machinæ Cl. Autor ſociam jungit aliam, quæ a Batavis uſitata conſtat rota vi venti circumacta & palis ſuis aquam ad ſemidiametri altitudinem propellens. Sequuntur variæ ſpe- c. 6. 7.
cies machinarum, aquam ope ſitularum catenis vel funibus inter ſe connexarum elevantium: quæ Autori noſtro parum probantur, etſi medelam afferre tentet incommodis, quibus vulgo premuntur. Etſi tollenones ſint machina admodum vulgaris; atta- 8.
men non utilitate modo ſua ſeſe commendant, verum etiam varia applicatio amplam differendi materiam Noſtro præbet. De 9.
roſariis paucis agit Autor, quæ mediantibus globis coriaceis catena inter ſe connexis intra tubum ligneum aquam elevant, propterea quod affrictus ingens machinæ hoc genus parum commendat. Majorem vero operam impendit variis antliarum ſpeciebus 10. 11.
deſcribendis, quarum non modo major eſt uſus in praxi hy- 12.
draulica, ſed circa quarum conſtructionem plurima quoque notanda veniunt, ſi earum perfectio curæ cordique fuerit. De- 13.
ſcribit præterea aliquot ſpecies ſuctoris & preſſoris rotatilis, qualem a *Papino* inventum exhibuimus in Actis A. 1689. Huic jun- 14.
git machinam aliam, quæ aquam forcipum quodam genere ele- 15.
vat. Ex Tranſactionibus Anglicanis A. 1722 tranſcribit deſcriptionem novæ cujusdam antliæ, in qua argentum vivum emboli vicem ſubit, inventæ a *Joſua Haskin*, ſed poſt mortem ejus cum publico communicatæ a *Deſagulierio*. Ceterum oſtendit, machinam hanc, etſi ingenioſam, in noſtris metallifodinis nullius eſſe utilitatis, in quibus aquæ magna copia ultra altitudinem 78 pedum elevanda, ut communiter adhibeantur cylindri, quorum diameter 12 digitorum. Sane calculo ſubducto monſtrat, in ſolum argentum vivum faciendos eſſe ſumtus 4500 imperialium, ut antlia *Haskiana* uni cylindro ſubſtitui poſſit. Denique colopho- 16.
nis loco inventa quædam hydraulica & mechanica commemorat, quæ publico pretio redimenda obtulerunt ſchedis vel manuſcriptis, vel typis deſcriptis, Anonymus quidam, *Joannes Michael Backius*, *Nicolaus Molwizius*, *Fridericus Gerockius*, *Joannes Jacobus Brückmannus* & *Joannes Henricus Weberus*. Enimvero magnifica illa promiſſa vel manifeſtam abſurditatem involvunt,

 mon-

Digitized by Google

monſtrante *Leupoldo*, vel lucri cupidini proportionantur, ſi non omni effectu deſtituitur inventum.

INSTITUTIONES PHILOSOPHIÆ WOLFIanæ, in uſus Academicos adornatæ, opera LUDOVICI PHILIPPI THUMMIGII, *Profeſſoris Philoſophiæ ordinarii, Reg. Soc. Scient. Bor. Sodalis.*

Tomus prior.

Francofurti & Lipſiæ, in Officina libraria Rengeriana, 1725, 8. Alph. 1 plag. 11 Fig. æn. 71.

Siſtimus hic Tomum priorem Inſtitutionum *Philoſophiæ Wolfianæ*, quas ad prelum parari a Cl. *Thümmigio* in Actis anni ſuperioris p. 409 monuimus. Complectitur is philoſophiam theoreticam univerſam, quam in Meditationibus Logicis, Metaphyſicis, Phyſicis & tribus Experimentorum tomis propoſuit Philoſophus. Nimirum primo loco comparet *Logica*, ſeu philoſophia rationalis; ſecundo *Ontologia*, ſeu philoſophia prima, Metaphyſicæ pars prima; tertio *Coſmologia generalis*, Metaphyſicæ pars ſecunda; quarto *Pſychologia*, Metaphyſicæ pars tertia, in *empiricam* & *rationalem* diviſa; quinto *Theologia naturalis*, Metaphyſicæ pars quarta; ſexto *Philoſophia experimentalis* & tandem ultimo *Phyſica* ſeu philoſophia naturalis. *Logicam* dividit in duas partes, theoreticam atque practicam. In *theoretica* tres mentis operationes, notio cum uſu vocum, judicium & ratiocinatio ita explanantur, ut appareat, *Logicam artificialem* non eſſe niſi diſtinctam *naturalis* explicationem. In practica monſtratur uſus Logicæ in inveniendo tum notiones, tum propoſitiones, tum demonſtrationes mathematicis ſimiles extra Matheſin; in veritate inventa dijudicanda; in libris dijudicandis & legendis; in convincendo denique, refutando & diſputando. In *Ontologia* præmiſſis principiis contradictionis & rationis ſufficientis, inde notiones generales diſtincte evolvuntur, quæ obſcuratæ potius, quam explicatæ fuerunt a ſcholaſticis,

cis, maximam quoque partem prorſus neglectæ, & inprimis de ente compoſito & ſimplici ex profeſſo traduntur, quæ in phyſica & pſychologia uſum ampliſſimum habent, proprietatibus utriusque ex ipſis compoſiti atque ſimplici notionibus deductis. In *Coſmologia generali* primum exhibetur definitio mundi in genere & plures inde concluſiones de mundo materiali deducuntur, prædicata inprimis tranſcendentalia demonſtrantur. Explicatur deinde, in quonam eſſentia & natura corporum conſiſtat & quæ hinc pendeant affectiones. Demonſtrantur ex rationibus metaphyſicis leges motus, quas tanquam axiomata ſumunt Mathematici regulas conflictus corporum demonſtraturi, advocatis in ſubſidium, quando opus fuerit, experientiæ principiis. Cum enim non ſint abſolute neceſſariæ, ex ſolis notionibus prorſus a priori deduci nequeunt. Traditur differentia inter naturale & ſupernaturale, quod miraculum appellari ſuevit. Inquiritur in elementa rerum materialium eorumque diverſas a prædicatis corporum proprietates. Tandem de perfectione & ordine univerſi curſuque naturæ inſtituitur tractatio. In *Pſychologia empirica* traduntur ea, quæ de anima hominis a poſteriori innoteſcunt, & quæ tanquam principia demonſtrandi a priori praxes logicas atque ethicas uſurpantur a Philoſopho. Sect. 1 de animæ exiſtentia diſquiritur & imprimis docetur, qua evidentia eadem nitatur. Sect. 2 de facultate cognoſcitiva agitur, quæ in partem inferiorem atque ſuperiorem diſpeſcitur. Ad partem inferiorem refertur ſenſus, imaginatio, facultas fingendi, memoria, oblivio, reminiſcentia, ad ſuperiorem attentio, intellectus, ejus profunditas atque acumen, facultas abſtrahendi, judicandi, ratiocinandi, ars inveniendi, ratio. Sect. 3 expenditur facultas appetitiva, ejusque tum pars inferior, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva, (ubi etiam voluptatis atque doloris & diſplicentiæ habetur ratio) indeque oriundus affectus ſeu paſſio animi diverſi generis, atque ſtatus ſervitutis; tum pars ejusdem ſuperior, appetitus rationalis ſeu voluntas & averſatio rationalis ſeu noluntas, atque libertas. Denique Sect. 4 commercium inter mentem & corpus ſtatuminatur. In *Pſychologia rationali* Sect. 1 de eſſentia & natura animæ agitur, & inde Sect. 2 a priori redditur ratio

cum

cum eorum, quæ de facultatis cognoſcitivæ parte inferiori a poſteriori obſervantur, tum illorum, quæ de ejusdem parte ſuperiori in empirica docentur. Similiter Sect. 3 ex eodem fonte derivantur rationes cum eorum, quæ de facultatis appetitivæ parte inferiori in empirica traduntur, tum illorum, quæ in eadem de ejusdem parte ſuperiori annotantur. Sequitur Sect. 4 explicatio commercii inter mentem & corpus tum ſecundum ſyſtema influxus phyſici, tum ſecundum Syſtema adſiſtentiæ ſeu cauſarum occaſionalium, tum denique ſecundum Syſtema harmoniæ præſtabilitæ. Prudenti autem conſilio Cl. Autor hanc doctrinam a reliqua tractatione ſeparavit, ut liquido appareat, tractationem de anima, quam Cl. *Wolfius* ſive a poſteriori, ſive a priori inſtituit, eſſe a ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ independentem, cum adverſarii contendant, univerſam ipſius philoſophiam eſſe in pravum ſenſum detorquendam, propterea, quod affirmaverit, ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ ſolum commercium inter mentem & corpus rationali modo explicare & eſſe notionibus, quas de corpore & anima habemus, ordinique naturæ conforme. Denique Sect. 5 de immortalitate animæ, de ſpiritu in genere & unione ſpiritus noſtri cum corpore atque animabus brutorum totidem diſtinctis capitibus tractatur. Notatu vero dignum eſt, quod in ſolo ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ *unio naturalis* non ſit vox, cui nulla reſpondet idea, ſeu ſine mente ſonus, quoniam in eo anima non eſt indifferens ad unionem cum quolibet corpore, ut in ceteris ſyſtematibus, ſed per naturam ſuam & naturam corporis ad unionem cum hoc præciſe corpore deſtinatur. In *Theologia naturali* agitur de exiſtentia Dei & attributis cum eadem connexis, de intellectu divino & attributis inde pendentibus, de voluntate atque attributis ad eam relatis, de attributis, quæ per antecedentia demonſtrantur, atque de operibus divinis. In *Philoſophia experimentali* reperiuntur Sect. 1 experimenta hydroſtatica de æquilibrio fluidorum, de preſſione fluidorum, de gravidatione corporum in fluido & motu hinc pendente; Sect. 2 experimenta aerometrica ope antliæ pneumaticæ potiſſimum inſtituenda de proprietatibus aeris, ejusque effectibus variis; Sect. 3 experimenta & obſervationes meteorologicæ ope barometri,

Digitized by Google

metri, thermometri, monometri & hygrometri, nec non æolipilæ & hyetometrorum capienda; Sect. 4 experimenta circa qualitates ſenſiles, veluti calorem, frigus, ignem &c. Sect. 5 experimenta optica de lumine, coloribus, vitris opticis, ſpeculis, microſcopiis cum obſervationibus microſcopicis. Sect. 6 experimenta phyſica miſcellanea de magnete, de ſono, de corporum poris, de animalibus in vacuo; Sect. 7 experimenta ſtatica de æquilibrio, mechanica de regulis motus, hydraulica de motu fluidorum cum a gravitate, tum a vi aeris pendente. Denique in *Phyſica* parte prima de corporibus eorumque affectionibus in genere agitur, nimirum de proprietatibus corporum generalibus, de differentia eorundem a materia cohærente conſtante profecta, de differentia a materia variabili & interlabente manante. Parte ſecunda occurrit contemplatio mundi univerſi, ubi de corporibus mundi totalibus in genere, tum de Sole, Luna & planetis, ſtellis fixis atque planetis in ſpecie demonſtrantur, quæ certa obſervationum fide nituntur, mundanique Syſtematis redditur ratio. Parte tertia conſiderantur Telluris corpora partialia. Præmiſſa telluris contemplatione generali agitur de aere, vento, tempeſtatibus fixis atque vagis, de meteoris aqueis, nebula, nubibus, rore, pruina, pluvia & grandine; de emphaticis, iride, halonibus, parheliis & paraſelenis phænomenisque agnatis, de fulgure ac tonitru aliisque meteoris ignitis, aurora inprimis boreali, de aqua, de terra & foſſilibus. Parte quarta de plantis ſeu vegetabilibus exponitur ſtructura plantarum, & per eam declaratur earundem vegetatio, vita, mors & generatio. Parte ultima, quæ eſt de œconomia animali, explanatur nutritio, ſenſatio, motus, generatio, vita & mors animalium atque hominum. Concinna brevitate complexus eſt Cl. Autor, quæ in operibus ſuis prolixius expoſuit Philoſophus, ita ut definitiones & theſes *Wolſianas* retinuerit, ſubinde tamen nova ratione inter ſe connectere ſtuduerit, ut & in compendio cohærerent, quæ in ipſo opere juſta inter ſe connexione unum veluti corpus conſtituunt. Cum opera Philoſophi ſingula in his Actis uberius recenſuerimus, inutile foret, ipſorum dogmatum inire rationem. Sufficit igitur ex præfatione recenſuiſſe rationes, quæ Cl. *Thümmigium* permove-

moverunt, ut inſtitutiones ſermone Latino conderet. Conſulere nimirum ſtuduit juventutis Academicæ utilitati, quibus ſeſe Philoſophia *Wolfiana* commendat accuratis terminorum definitionibus, exquiſitiſſimis experientiarum evolutionibus, limatiſſima in judicando acie, feliciſſima in inveniendo ſagacitate ac genuino in demonſtrando rigore, propterea quod volumina Philoſophi majoris ſint molis, quam ut ad lectiones Academicas intra definitas temporum periodos abſolvendas debita accuratione adhiberi queant, ſtylo præterea puro conſcripta, ipſis terminis technicis apud Latinos autores ſæpius barbariem præ ſe ferentibus ad genium linguæ vernaculæ compoſitis, ut ſubinde ad verba hæreant atque difficultates nectant tanta linguæ teutonicæ capacitate minime inſtructi. Accedit, quod in plerisque Academiis Latino idiomate utantur docentes. Ceperat id conſilii, cum a Potentiſſimo Boruſſiæ Rege Profeſſio Philoſophiæ ordinaria in Academia Halenſi ipſi fuiſſet collata. Sed cum deinde Philoſopho, ut Noſter ait, inſidias ſtruerent adverſarii ad fortunas ejus funditus ſubvertendas, novas hinc ſibi rationes enatas eſſe fatetur Cl. *Thümmigius*, cur conſilio exequendo omnem applicaret operam. Nimirum cum periculoſiſſimas fingerent theſes, quas Philoſopho maxime invito ac omni modo easdem deteſtanti ſub cauſæ Dei titulo obtruderent, ipſimet gloriantes, iſtis allatis Syſtema ejus in contradictionum chaos degenerare, quod alias pulcherrimo conſenſu omnium ſeſe commendet; ad retundendos immaness clamores ad exteros quoque diſſeminatos, quibus *Wolfiana* ſcripta evolvere non datur, non alio remedio opus eſſe arbitratur, quam ut theſes *Wolfianæ* juſto ordine inter ſe connexæ æqua lancis trutina expendantur. Atque id in frontiſpicio libri indicat cygnus ab anatibus ſtrepentibus conſpurcatus, ſed ſuis ſe undis abluens. In Tomo poſteriori, quem nunc prelo parat, continebitur Philoſophia practica, quam *VVolfius* in Meditationibus Moralibus & Politicis propoſuit. Rogat autem Cl. *Thümmigius* Lectorem, ut in perlegendis iis, quæ perpetua connexione inter ſe cohærent, & ab omni ſuperfluo verborum ornatu libera ſunt, animum lento gradu progredi & ad quælibet verba ſuo ponderanda ſenſu ſubſiſtere jubeat, ne ſibi exemplo adverſariorum

ſariorum *Wolfii* fingat, quæ ab ejus mente multis diſtant paraſangis, præſertim ſi eo animo ad lectionem accedat, ut dogmata periculoſa quærat.

GE. FRIDERICI RICHTERI DE NATALIbus Fulminum Tractatus Phyſicus.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchii B. filium, 1725, 8.
Conſtat 8 plag. & tabula ænea.

ERudita diſquiſitione digna novaque & oppido curioſa eſt ſententia, quam hoc libello ornare & propugnare inſtituit Cl. Autor, Collega noſter ſolertiſſimus, idemque rerum phyſicarum & mathematicarum ſcientiſſimus. Erat una omnium, nec Phyſicorum modo conſenſu, ſed generis humani experientia propemodum quotidiana comprobata opinio, e nubibus generari tonitrua & fulmina, deſuper jactari tela fulminea. Hæc in præſenti libello non ut minus firma laceſſitur, ſed omnino convellitur & penitus evertitur, oſtenditurque, prope terram, in aere inferiori, atque adeo in ipſis locis fulguratis, pleraque oriri fulmina, ita ſcilicet, ut e terra emiſſæ exhalationes ſulphureæ, nitroſæ, aluminatæ, hinc inde collectæ atque opportune mixtæ, eodem fere exemplo inflammentur, ut aurum fulminans, ut phosphorus Hombergianus, ut multa alia chemicorum arte præparata. Omnem Tractationem tribus partibus abſolvit Autor, quarum una ſententiam & argumenta illuſtris Maffeji, Marchionis Itali, qui primus illud dogma defendit, exponit, illuſtrat ac confirmat; altera ſuggerit rationes quasdam novas; tertia objectiones & difficultates ſolvit. Et Maffejus quidem in Epiſtola ad V. Cl. Ant. Vallisnerium, operibus, quæ titulo, *Rime e Proſe del Sig. Scip. Maffei* Venetiis 1719 prodierunt, inſerta, provocat ad proprios ſenſus & luculentiſſimam experientiam. Nam cum aliquando per Etruriam iter faciens in caſtellum Lunenſis agri diverteret, quod *Fordinuovo* appellatur, coorta paulo ante tempeſtate pluvia & ſatis turbulenta; tum vero nova ipſi res planeque improviſa accidit. In ipſo nempe conclavi, ubi cum aliis conſederat, pavimentum verſus, ante oculos Maffeji repente naſcitur

flammula vividiſſima, e cœruleo ſubalbicans: quæ cum exiguo temporis momento conſtitiſſet, motu ſaltim inteſtino agitata, tum, velut tenui exerta lingua, paullo propius ad conſidentes hoſpites accedit, iterumque aliquantiſper inſiſtit atque ampliatur, eodem plane modo, uti ab incenſo pulveris pyrii cumulo ad alium cumulum modice diſtantem, intercedente ſerie quadam pulveris conſimilis, celeriter propagari ignem obſervamus. Inde ſupra humeros Maffeji extento radio, in ſublime fertur; calcis quædam fragmenta e fornice decidunt; fit ſtrepitus in ſuperiori contignatione; & puncto temporis fragor & tonitru exauditur. Non abſimile ſpectaculum exorti extra nubes in aere inferiori fulminis, aliquot annis poſt, obtigit eruditiſſimo Abbati Lionio, eundemque, cum ſtrenue incredulus eſſe & obfirmate placitis Maffeji reſiſtere in animum induxiſſet, mox dare manus veritati, & fidem propriis habere oculis coegit. Neque vero mirandum eſt, rariſſime fieri ejus generis obſervationes. Nam & ſingularis requiritur loci commoditas, & impavidus animus, & converſus accurate atque opportune illuc ubi fulmen naſcitur, obtutus. Quæ vero conſpiciunt homines ignobiliores & incurioſi, ab ipſis ut inutilia negliguntur, ab aliis rejiciuntur ut minus tuta fide nixa, denique in literas non relata cum autoribus ſuis pereunt. Interim neque experientias ad Maffejanam & Lionianam accedentes, neque ipſum nomen terrenorum fulminum, res eſſe antehac plane inauditas, infra Autor noſter evincit. Nunc ut cetera Maffeji argumenta paucis attingamus, urgentur potiſſimum illa: Loca terrena aliis alia magis eſſe obnoxia fulminibus; de fulmine fere nihil videre, qui locum fulguratum circumſtant; motu flexuoſo atque errante incitari, reſilireque identidem & ſatis incompoſite replicari fulmina; poſtremo, pleroſque fulminum effectus multo promtius commodiusque e nova hypotheſi, quam e doctrina Carteſii aut Gaſſendi explicari. Atque hæc de prima libelli parte. Sequitur altera, in qua ſtatim ab initio id agit Autor, ut tria potiſſimum eſſe loca doceat, ubi naſci fulmen poſſit; infra terram, juxtim, & ſupra. De fulminibus tonitruisque ſubterraneis teſtantur terræ motus, teſtantur halitus fulminantes in fodinis quibusdam obvii, teſtantur denique

famoſi

famoſi montium ardores. De ſingulis hic exempla, teſtimonia & rationes afferuntur: quo facto ita pergit Autor: *Quemadmodum autem in ipſis ſpecubus ſubterraneis interdum colliguntur atque ſuccenduntur fulmina, ita fieri nullo modo poſſe videtur, ut halitus nitroſi, aluminati, ac ſulphurei, ubi e tellure fuerint eniſi, non aliquando prius maturati inflammentur, quam aſcendere in aerem ſuperiorem queant, præſertim ſi ædibus, arbuſtis, itemque aliis locis ac rebus, ubi ſæpe multum materiæ cognatæ offendunt, ita vel inhæſerint vel obhæſerint, ut non nimis promta ſit ipſorum diſſipatio: hinc fulmen quod Maffejus vidit; hinc illud quod Lionio eſt oblatum; hinc reliqua fere omnia, quæ res quasque in ſuperficie telluris ſitas adurunt, diſcutiunt, & late ſtrages edunt.* Adduntur ex Actis Philoſophicis Anglicanis, ex Scheuchzero, aliisque autoribus, obſervationes nonnullæ, quæ profecto haud mediocriter convenire cum Maffejana obſervatione ac ſententia videntur. Quanquam vero cum infra tum prope terram naſci interdum fulmina ſolent, tamen longe maximam ſeminum fulmineorum partem e terræ vinculis liberatam, magis magisque evehi, atque in altiori demum aere cum magno ſed innoxio tumultu conflagrare non dubitat Autor; in eo diverſus ab autore novæ ſententiæ, Maffejo, qui univerſorum pæne fulminum origines in vicinia telluris & longe infra nubes collocat, illud tertium genus fulminum in meris fulguribus numerans. Quod vero non modo refellit Noſter, ſed & fulminum id genus fines ac terminos ita aliquatenus definiri poſſe cenſet, ut illam aeris regionem, ubi frequentiſſime ſuſpendi nubes, præſertim altiores, conſueverunt, raro vel attingere vel ſuperare pronuntientur. Jam ſi naturam nubium conſideramus, quæ nihil aliud ſunt, quam ſublimiores quædam nebulæ, quid iis ad procreandam dejiciendamque flammam ineptius? Si ipſam flammam cogitamus, quid magis incomprehenſibile, quam rem adeo fluxam evanidamque poſſe ſic vibrari atque dirigi, ut per liberum aerem trajecta tum collecta maneat, tum vehementiam impetus conſervet? Si ad fulmina ſereno puroque cœlo facta reſpicimus, quorum complura exempla adducit Autor, quid minus ambiguum, quam nubes ad fulmen pro-

creandum haudquaquam eſſe neceſſarias? Si denique ad intervallum illud temporis attendimus, quod fulgur inter ac tonitru plerumque intercedit, ex quo etiam ſatis accurate computare licet, quam longe a nobis abſit fulminis origo, quid eſt cur de origine proxima dubitemus, ubi intervallum illud nullum eſt, ubi uno atque eodem momento aures oculosque ingens fragor & flamma occupat? Et quanquam Maffejanum dogma nullum habet inter Philoſophos ſuperiores, quantum quidem conſtat, propugnatorem ac patronum, complures tamen eo pervenerunt, ut parum ab ipſa veritate abeſſe videantur. Favent ſane Autori noſtro (ut ipſe interpretatur) qui cum Gaſſendo *fulmen fulmineumve ignem non advenire e nubibus in terram, illamque ferire, ut vulgo omnes opinantur, ſed ibi erumpere* exiſtimant, *ubi effectus ipſi violentiſſimi eduntur:* favent qui ſeries vaporum fulmineorum a loco fulminis natali ad res quasque fulguratas pertinentes ſtatuunt; ſed ut conficti a Gaſſendo glomeres merito repudiantur, ſic alterorum illud unum diſplicet, quod ſeries ſuas ad nubes uſque extendendas putant. Favent Peraltius, Mariottus, Fabri, quorum hypotheſes circa fulminis ac tonitru generationem non præciſe nubium præſentiam depoſcere, recte annotavit Sturmius: favent qui cum Jo. Clerico, *incenſionem fulminis nihil indigere opis nubium,* diſerte atque ingenue profitentur: favet celeberrimus Newtonus: favent multi alii. In partes etiam vocat Noſter mythologiam veterum, qui Vulcanum de femore Junonis idcirco natum finxerunt, *quoniam fulminum de imo aere naſcentium imago eſt*, quique non uni Jovi, ſed & aliis Diis, partim cœleſtibus, partim terreſtribus atque inferis, manubias ſeu jactus fulminum aſſeruerunt: provocat ad celebrata Plinio & Senecæ fulmina *infera, terrena* atque *atterranea*, quæ partim *e terra erumpere*, partim *in incluſo fieri*, partim *ex proxima & turbidiore natura venire pronunciant:* provocat denique ad gemmam antiquam Cauſſei, cujus Schema in opere magnifico Antiquitatis explicatæ expreſſit Montfauconius, ubi Ceres ſive Terra ſpectanda proponitur, cum fulmine in manu & duabus ſpicis ante pedes. Sed his cauſa brevitatis omiſſis, ad tertiam libri partem progredimur, ubi expenduntur rationes illæ, quæ inprimis obſtare novæ ſententiæ

vi-

videbantur. Quid enim? nonne ipſis oculis nubes fulminibus gravidas obſervamus? nonne eas ſupra horizontem aſſurgere, nonne ſenſim appropinquare, nonne ſcindi identidem & flammas evibrare cernimus? qui fit, ut eo graviora & propinquiora ſentiantur fulmina, quo magis ad verticem noſtrum accedunt nubes illæ craſſæ & ſqualidæ? & quid tandem in cauſa eſt, cur de ſerena cœli parte aut raro, aut nunquam detonet? His illa reponit Noſter: Nubes luridas & opacas cerni, fulminibus gravidas fingi ab imaginatione noſtra. Cum fulgur & lumen a nubibus fortiſſime repercuſſum, aut aeris a fulminea flamma veluti diſciſſi coruſcantes rimas, & ſignatas igne lineas videmus, continuo colligimus, e nubibus vibrari flammam: ſed idem plane effici poteſt a fulmine in aere paullo humiliore generato. Denique quod nexu ſatis arcto inter ſe vincta & velut colligata utplurimum ſunt fulmina & nubes, id ea re fieri ait Autor, quoniam fulmine effervеſcit, concutitur atque attenuatur aer, ut immixtas ſibi aqueas particulas ſuſtentare amplius nequeat; quocirca non a nubibus fulmina, ſed nubes potius a fulminibus introduci dicendum eſſe contendit. Affert deinde ac diſſolvit alias nonnullas objectiones, docetque, quam parum fidendum ſit vulgaribus fulminum hiſtoriis, ubi diſtincte relatum legitur, quo loco ſeſe inſinuaverit fulmen in ædificia vel res alias deſtructas, item qua progreſſum via, & qua porta mox elapſum fuerit; perinde ac ſi commode & pedetentim permeanti conclavia fulmini comites in itinere adfuiſſent obſervatores curioſi. Poſtremo veterem ſententiam cum novo dogmate aliquatenus conciliare commoda quadam interpretatione conatur. Appendicis loco ſubjiciuntur literæ & obſervationes quædam huc ſpectantes ipſius Maffeji, Lionii, Pagliarini, aliorumque, in Latinum ſermonem converſæ & variis annotationibus illuſtratæ, ne quidquam deſiderent lectores, quod lucem huic argumento fœnerari poſſe videatur.

NOVA LITTERARIA.

V. C. Gottlieb Cortius haud ita pridem Lucanum, locis permultis emendatum, vulgata lectione ſingulis paginis adnotata, typis tradidit. Cum enim cognoviſſet, alibi locorum viros eruditos novam ejus Poetæ editionem minari, ſuam vero, quam variis

Digitized by Google

riis & bonam partem ineditis doctorum virorum obſervationibus, ut & vetere Scholiaſte nondum vulgato augendam cum maxime adornat, vix proximo anno abſolvi poſſe videret: rationibus ſuis optime conſultum eſſe putavit, ſi hujusmodi minorem editionem primo quoque tempore in publicum emitteret. Ita nempe nemini quid ſurripuiſſe dici poterit, ſi quis poſt ipſum in easdem emendationes inciderit: & apparebit, quid cuique tribuendum ſit. Intra unum alterumve menſem prelo liberabitur; quam major illa editio proximo, ut ſpes eſt, anno ſequetur.

Petropoli in Ruſſia Reverendiſſimus P. Gabriel Buzinski, Pultavienſis, quondam Kyov. poſtea Moſcovienſis Gymnaſii Præfectus, modo Ruſſiacæ S. Synodi Conſiliarius, Scholarum atque typographiarum in Ruſſia Protector, & primicerius in Ruſſia Monaſterii, quod *Troiza S.* S. Triados & S. Sergii vocant, Archimandrita,&c qui ante aliquot annos Sam.L.B.de Puſendorf Introductionem in Hiſt. Univ. in linguam Ruthenam vertit, atque bis Petropoli in fol. & in 8 typis excudi curavit, 1719; Theatrum Hiſtoricum M. Wilhelmi Stratemanni Frf. & Lipſ. in 8 impreſſum, univerſam Hiſtoriam Eccl. & profanam exhibens, e Latina in linguam Slavonicam verti juſſit, eaque translatione emendata, typis monaſterii S. Alexandri Nevenſis prope Petropolin 1724 in fol. cum fig. mandari, addita epiſtola Dedicatoria ad Auguſtiſſimas Majeſtates M. Ruſſiæ, & præfatione ad Lectorem. In Dedicatione laudatur imprimis Petrus Magnus, Imperator Ruſſiacus, ſub cujus auſpiciis Ruſſia e tenebris ad lucem ſcientiarum pervenit, atque Seren. Imperatrix, Catarina Alexievna, mater patriæ, uti norma & exemplar virtutum. In Præfatione vero oſtendit utilitatem hujus libri & ſcopum Verſionis, ſimulque agit de computatione annorum ceterarum gentium inæquali ac diverſa a computatione Græca,utpote quæ varia diſcrimina & difficultates in computatione temporum Chronologis peperit.Hortatur quoque, ut &Proteſtantium libri (a quorum lectione quondam prohibiti & coerciti fuerant Ruſſi) evolvantur, manibusque terantur. Expectamus brevi verſionem Ruthenam Puff. de off. hom. & civis, in qua idem Archimandrita deſudat,ut ad captum lectorum Ruthenorum,imprimis ſtudioſæ juventutis in Academia, ſumtibus munificentiſſimi Imp. brevi fundanda, quam fieri poteſt clarius explicetur.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXV.

A. DE LA MOTRAYE'S TRAVELS.
i. e.
AUBRII DE LA MOTRAYE ITINERA PER Europam, Aſiam & partem Africæ. *Volumina II.*

Londini, ſumtibus Autoris, 1723, fol.
Alphab. 10 plag. 8 Tabb. æn. 48.

AVide fuit exſpectatus hic liber, & Regum etiam atque Principum ſtudiis, ut ex ſubſcriptorum indice præfixo patet, promotus; utrum vero exſpectationi ſatisfecerit, nec ne, haud difficulter dijudicabit Lector. Tantum abeſt certe, ut a rebus nemini adhuc viſis, a periculis fabuloſa virtute propulſatis, a præſtigiis, & quæ ſunt alia peregrinationum meteora, ornatum Commentariis ſuis quæſiverit Cl. Autor, ut ea etiam videatur inſuper habuiſſe, ſine quibus nec placere diu, nec vivere libri poſſunt; ſelectum ſcilicet argumentorum, penitiorem rerum cognitionem, errores cavendi curam. Ita nec illi, qui vana mirantur, ſibi ſcripta putabunt hæc itinera, & ſolidi amatoribus haud probabitur, pleraque vulgaria, multa aliena, manca quamplurima, prout forte in Commentarios temere prius relata fuerant, nunc ad molem faciendam in duo Volumina fuiſſe coacervata. Tot & tam elaboratæ Romæ pariter ac reliquarum Italiæ urbium deſcriptiones extant, tam trita ſunt imprimis, quæ ad religionem & ceremonias ſacras Romanenſium pertinent, ut cum talia primo ſtatim loco evolventibus occurrant, in ipſa guſtatione faſtidii periculum ſit lectoribus. Infiniti ſunt, qui Conſtantinopolin, Ægæi maris inſulas, Natoliæ Syriæque me-

Digitized by Google

morabilia, Turcarumque & Græcorum inter Turcas mores & inſtituta expoſuerunt, ut eadem nunc repetens Autor operam ludere videatur. Nonnullos male habebit, cum ſe primum ex Italia ad Palæſtinæ & Africæ littora, hinc per Ulyſſiponem in Trapæ monaſterium rapi, dein, vix libata Galliæ aula, in Angliam, ex Anglia in Orientem transportari, inde ſubito Barcinonem vehi, rurſusque Italiæ reddi, paulo poſt ad Turcas relabi, luſtrata porro Tartaria, Germaniæ parte & Hollandia viſis, Turcis tertium reſtitui, illisque demum valere juſſis, ab adito extremo Europæ Septentrione ad Angliam denuo contemplandam revocari videbunt. Verum id quidem excuſaveris, ſi dicas, diaria eſſe, quæ ſcripſerit Autor, vel annales, quod genus, præter temporis ſeriem, ad alium ordinem haud ſit exigendum. Quis autem vel in annalibus diariisque paulo concinnius ſcriptis ferat inter itinera Turcica nuncios de Regis Hiſpaniæ morte, Suecorum ad Narvam victoria, Hochſtetenſi prælio? quaſi ab Helleſponti littoribus reſonando facta ejusmodi aut veritatem firmiorem aut novam ſaltem ſpeciem aſciſcerent. Quisquis tamen hæc non averſatur, delectetur ille *Tomi I capite* 7, cujus titulus Ludovici XIV geſta pollicetur, neque putet, illa plane ab hoc libro eſſe aliena. Fac etiam non eſſe. Sed ſpecta narrationem ipſam. Ante ovum a ſterilitate matris eam orditur, mira circumſtantiarum implicatione. Cur enim expoſitionem votorum, pro fœcunditate Reginæ conceptorum, dividit Richelii & Mazarinii ad gubernacula imperii conſtitutio? Porro cum ex ejusmodi principio copioſam Ludovici Regis hiſtoriam merito expectet Lector, facili artificio deſcriptis hic ex opere ſatis noto 137 nummis hiſtoricis, ſpem ſuam an videbit impletam? an deluſam Verum ſunt adhuc alia epiſodia, in quibus
T. II c. 4. & 16. magis ſibi placet Noſter, & veremur, ne ſibi ſoli. Dum enim de rerum Anglicarum agitationibus, quas ipſe vidit, loquitur, non facta ſolum, ſed &, quod nemo requirat, ſcripta diverſarum partium & colloquia operoſe recenſet, & aliquando, tanquam ſpiritu
p. 247. raptus, Duci Aurelianenſi Diſſertatione de Whigiſmo & Torriſmo parentat, & Elogii vice Galli cujusdam pro Duce Apologiam annectit, inter calidæ potum effuſam, ferventem ipſam, Anglosque potiſſimum adurentem, quos tamen intercedens ipſe quaſi affuſa

fri-

ſrigida, periculo liberat Autor. Imprimis inexpectatum accidit, p. 135-145.
Satyram Swiftii, *a Tale of a Tub* inſcriptam, prolixius excerpi, &
Collinii nihil cum reliquis commune habentem *Diſcurſum de fun-* 426.
damentis & rationibus religionis Chriſtianæ, addito etiam præco-
nio ingenioſi & eruditi libri, commendari. Sed & inficeta quæ- T. I p. 81.
dam de religione colloquia mallemus omiſſa. Scitum enim profe- 235.
cto Turcas & Mythologiæ gnaros & Critico acumine eſt audire de
Textus Ebræi interpolatione querentes, & Anti-Chriſtianiſmum
crepantes, & Apocalypſin cum Alcorano conferentes. Adſunt &
quædam negligentius nec ſine errore prolata. Eo pertinet, cum T. I p. 4.
ſcribit, ultra trecentos annos effluxiſſe, ex quo viris ſacris cœli-
batus a Pontifice ſit injunctus; exemplum Evangelii Marci Vene- 67.
tiis aſſervatum pro Græco venditari; a Præſule Cameracenſi Fe-
nelonio librum ſub titulo, *la pratique de Devotion*, ſcriptum, eun-
demque Romæ damnatum; πανιερωτάτȣ titulum, Sacerdotibus 257.
Græcis (vel potius ſec. Goarum Metropolitis) tribui ſolitum, æta-
tis & prudentiæ maturitatem indicare; Roſcoporedoum Regis T. II p. 40.
Boſphorani nomen eſſe, eum ſub Conſtantino natu minimo re-
gnaſſe, æram urbis conditæ in nummis Boſphoranis ſignatam
fuiſſe, notas AKX numerum 1079 referre. Si evolvat Lector
obſervationes ejus Hiſtorico-Geographicas in reditu ex
Turcia per Germaniæ partem factas, deprehendet quædam ſupi- T. II. 176.
ne errata, ut, Pragæ S. Nicepovicenum coli; arcem ejus urbis
(*Citadelle*) inter Germaniæ munitiſſimas referendam; Dreſdam 177.
Metropolin eſſe ſuperioris Saxoniæ & præter propugnacula, qui-
bus undique cingitur, pariter arce muniri; Sueciæ Regem poſt 178.
pacem Travedalenſem cum Rege Poloniæ factam, ad eum Dreſ-
dæ viſendum veniſſe; Lipſienſi circulo Ducatum Halenſem &
comitatum Wettinenſem comprehendi; Halam arce munita de-
fendi; ſpecus Baumannianæ meatus nil niſi Catacumbas vel *Caſa-* 179.
tombas, ut Noſter appellat, eſſe. Porro, unde Monachorum ordo 205.
S. Johannis regulæ aſtrictus eruetur? Quo autore Servium Tulli- 278.
um Romæ Conſulem fuiſſe reſcivit, quem omnes adhuc Regem
crediderunt? Sunt tamen etiam, quæ legentem juvent, & gratiam
libro concilient. Talis eſt hiſtoria prægrandis adamantis Medi-
cæi, quam non meminimus alibi reperiſſe. Talis narratio Itali T. I 54.

 cu-

Digitized by Google

p. 79. cujusdam Monachi de fraudibus Græcorum ignem cœleſtem ſtato tempore in ſepulchro Chriſti excipientium, ubi in mentem venit illud Juvenalis: *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?*
92. Talis obſervatio de *Secretis Petri Apoſtoli*, libro, quem plerique Coptorum ne nomine quidem tenus norunt; pauci, qui aliquid ſe ſcire videri volebant, Noſtro dixerunt, archetypum extare apud Abyſſinos, ectypum apud Patriarcham Alexandrinum, unde corruit antoritas *Prateoli*, in Elencho hæreticorum aſſerentis, Coptos eum librum in Eccleſiis ſuis legere. Tale indicium fornicum
187. ſubterraneorum ad aquas ſervandas Conſtantinopoli ſumma magnificentia ſtructorum, qui Sponii, Wheeleri, aliorumque ſcrutinia fugerunt. Neque injucunda ſunt, quæ ad recentiorem Hiſtoriam illuſtrandam paſſim afferuntur. Ita ſolennis introitus
205. legati Poloni, poſt pacem Carolovicenſem Byzantium miſſi, deſcribitur, propterea notabilis, quod ſexcenti ejus comites evaginatis gladiis & illis plerique loricis induti proceſſerint, quibus
ib. ad Viennam Turcas exuerant. Quod Comes Oettingenſis, ab Imperatore ad Sultanum miſſus, veſte talari uſus ſit, ea ratio redditur, quod ita controverſia de gladio in conſpectu Sultani portando facillime vitaretur, cum gladium iſte habitus fere prohibeat. Multa paſſim de Comite Tœckelio occurrunt, quem ſæpe in loco
265. exilii ſui ad Nicomediam convenit Autor. Id vero præcipuum, quod falſo vulgatum fuerit, eum ad Romanenſium partes transiiſſe. Profeſſus eſt enim ipſe paulo ante mortem, ſe quidem ejus rei ſpem aliquam ſub certis conditionibus feciſſe Jeſuitis, eam vero nunquam impleviſſe, teſtatumque id ſcripto ſua ſuorumque
238 ſeqq. manibus ſignato reliquit. Inſignis iſta rerum inter Turcas mutatio, qua A. 1703, Muſtapha remoto, Achmetus adhuc ſuperſtes imperio fuit admotus, copioſe narratur, ut &, quæ Fe-
238 ſeqq. riolio legato Gallico acciderunt, qui, cum ſatis pro dignitate munus ſuum per aliquot annos obiiſſet, denique ob animi, ut ajebant, intemperiem a ſuis vinctus & in Galliam remiſſus eſt.
T. II p. 120. Ad Chotimias (*Chotzim*) a Turcis A. 1713 non aliam ob cauſam exercitus admotus dicitur, quam quod putarent, Cameneciam ſibi vel a Stanislai fautoribus, qui id promiſerant, vel ab Auguſto Rege, per hanc armorum oſtentationem territo, traditum iri.

Præ-

Digitized by Google

Præter hæc vero notabilia ſparſa hinc inde, tria potiſſimum ſunt argumenta ſelectiora, unde dignitatem opus hoc habere poteſt. ***Primum*** eſt plena de geſtis & fatis Regis Sueciæ, poſtquam ad Turcas An. 1709 confugiſſet, narratio, quæ hoc magis videtur fide digna, quod integro triennio apud legatum Holſaticum, Fabricium, interioris admiſſionis fuit Noſter, ab illo Regi commendatus, pro quo & itinera quædam ob cauſas ſat graves ſuſcepit. Imo in Norvagiam ſecutus eſt Regem, ab eo per Görtzii gratiam, incertum, quid impetraturus; quæ ſpes Regis morte ſubita decollaſſe videtur. Memorabilia ſunt *ſecundo* & ***tertio*** loco itinera ad Tartaros circa mare nigrum, paludem Mæotidem & mare Caſpium ſitos, & in extremam Lapponiam ſuſcepta, quas terras inhoſpitas ſumma cum patientia permeaſſe Noſtrum apparet. ***Suecica*** lectores eo fortius alliciunt, quod ſingularis plane exempli Rex iſte fuit, ſeu fata ſpectes, ſeu mentis indolem. Confirmatur hic, quod ſæpe fando accepimus, eum T. I p. 291. Curtii lectionem amaſſe præ aliis, & Alexandrum ſibi non imitandum modo, ſed ſuperandum etiam animi magnitudine & expeditionum difficultate, propoſuiſſe. Quid mirum igitur, ſi heroem, quem in oculis ipſe geſtabat, a Boilavio naſo ſuſpenſum ferre non T. II p. 344. poterat, atque proin Satyram hujus Poetæ, qua mordaciſſime læditur Alexandri memoria, dilacerabat? Neque cenſendus eſt Carolus in ſuperando Alexandro fruſtra laboraſſe. Cum enim hunc ſecundæ res cito corrumperent, & vacationes a militia ad comeſſandum & pergræcandum inducerent, ille contra in otio quoque nunquam quievit, nunquam voluptatibus indulſit, & tam conſtanter ſobrietatem ſervavit, ut poſt diſceſſum ab Holmia neque delicatiorum ciborum appetens fuerit unquam, neque ſitim alio, quam aquæ potu reſtinxerit, donec Warnitzæ a Turcis ferro T. II p. 207 ignique oppugnatus, aqua deficiente, primum poſt tot annos vinum & id quidem pileo, ignarus, quis liquor eſſet, hauriens, biberet. Atqui non naturali ſtupore velut coactus ita vivebat, nam & genuiſſe dicitur Holmiæ antequam bello implicaretur, & poſtea quoque jocis delectabatur, ſuos hilarius potantes absque tædio ſpectabat, amoribus illorum ad ſe delatis arridebat, quæ omnia p. 46. absque inſito quodam voluptatum ſenſu eſſe non poſſunt. Verum

Digitized by Google

prudens & firmo propoſito ad continentiam temperantiamque ſe formaverat, ut omnem a ſe mollitiei ſpeciem amoliretur. Quantus in turbatis adverſa fortuna rebus futurus fuerit Alexander, non liquet. De Carolo certe conſtat, quod nunquam agitaverit majora, quam cum caſtris exutus, opibus, exercitu, provinciis privatus, ad Turcas ejectus, animum propemodum ſolum ſuperſtitem haberet. Iſtud autem non admirabile modo, ſed ultra fidem futurum eſſet, niſi tot αὐτόπταις, inter quos & Cl. Autor numerandus, confirmaretur, quod, cum ab aliquot millibus Turcarum & Tartarorum urgeretur, cum manipulo ſuorum, e domo non munita, oppugnatores diu propulſaverit, ardentis domus ruinas impavidus viderit, non niſi numero oppreſſus in hoſtium manus venerit, victores alto ſupercilio deſpexerit, captivus de aliorum Regum fortunis evertendis cogitaverit, obdurandoque pervicerit, ut ab illis, quos manifeſte laceſſiverat, melius tandem haberetur. Neque hæc ſui haud compos egerat. Nam,
p. 111. cum quidam, id Turcis perſuaſum eſſe referrent, reſpondit; *ſe malle pro inſano ab iis haberi, quam pro meticuloſo.* Non vacat, nec eſt hujus loci, ſingula commemorare, quæ mota, dicta & acta ſunt inter Turcas a Rege Sueciæ toto quinquennio, aut quæ de conſiliis ejus atque vivendi ratione tempore Norvagicarum expeditionum usque ad mortem, cui nimio periculorum contemtu occurrebat, annotavit Cl. Autor. Legi merentur omnia, ipſis Litteris Magnatum inter Turcas Tartaroſve aliisque documentis confirmata.

T. II p. 21-85 *Tartaricum* iter Tomi ſecundi capite II continetur, quo Akermanenſes, Ozakovianos, Crimæos, Nogajenſes, Circaſſos peragravit, quæque de populis hiſce ſcripſit, oculis ipſe uſurpavit, majorem ita gratiam a lectoribus initurum ſe ſperans, quam ſi aliorum veſtigia fuiſſet ſecutus, qui vel ex ſolis incolarum, hominum ignariſſimorum, narrationibus, vel, opinione ducti de barbara crudelitate harum gentium, e ſuo cerebro falſa pro veris produnt. De *Akermania* & *Ozakovienſi* tractu parum dicit, ſive quod curſim hæc tranſiverit, ſive quod deſerta ſint omnia. Cultior eſt *Crimæa*, quanquam longe abſit ab eo, quod nos cultum di-
22. cimus. Precopiæ namque domus palis & arborum ramis luto fimoque

que tectis conſtant; munimenta vero vix ſunt arcendo hoſti imperitiſſimo rei militaris idonea. Ejus urbis Dominus eſt ſecundus ex Chami filiis, cui reditus præbent Salinæ quædam prope ſitæ, & qui in urbe cauponariam exercent, quemadmodum & reliqui hujus Principis filii ſuis titulis ſinguli ſunt inſignes, propriisque
dignitatibus præditi. Bacaſiræ, (*Bacchiſerai*) quæ ſedes Principis p. 24.
eſt, in palatio aquam fontanam offendit Autor, qua meliorem bibiſſe non meminerat, dictumque eſt, eam ſeptem vel octo drachmis leviorem aliis omnibus in Tartaria Turcarumque ditionibus inventam. Neque aquas ſolum excellentes gignit Cherſoneſus Taurica, ſed vina etiam producit, quæ bonitate Burgundico
& Campanico nihil cedunt. Habent Tartari nobiles ſuos, inter 25.
quos quatuor præ aliis eminent familiæ, quarum primæ permiſſum eſt connubia jungere cum principali. Omnes autem nobili genere prognati jus habent ſuffragiorum in comitiis. Arces &
caſtella per Crimæam a Turcis tenentur, neque in loca ejusmodi 22.
quicquam imperii eſt Chamo. De vocabulis linguæ Tartaricæ affi- 32.
nibus noſtræ, quæ vel a Saxonibus, eo aliquando deportatis, vel a Gothis, earum regionum priſtinis dominis, deducenda ſuſpicatus eſt *Busbequius legat. Turc. Ep. 4*, ita cenſet Noſter, per bella Germanos complures in Tartarorum ſervitutem redactos, ibi matrimonia iniviſſe liberosque genuiſſe, horum vero progeniem poſtea linguas parentum & incolarum miſcuiſſe. *Nogajenſes* Tarta-
ri ad paludem Mæotidem, non confundendi cum ſynonymis circa 41. 51.
Aſtracanum, Nomadum more viventes & aſpectu fœdi, hoſpitales tamen ſunt, excipiunt pro facultatibus ſuis peregrinantes liberaliter, & qui ſunt inter eos inhumaniſſimi, (quales ſunt montani,) nunquam tamen eos vel furto vel alio quocunque modo lædunt, ſed ſalvos tranſire patiuntur, iniquum putantes, idem in eos ſtatuere, qui ſe fidei ipſorum credunt, quod in vicinos ſtatuunt, quos aſſiduis incurſionibus vexant, & homines rapientes
& eorum facultates. Imo inter ſe quoque furta exercent, equo- 52.
rum maxime, quæ non niſi reſtitutione ablati puniuntur, cum
cædes contra ſint capitales. De *Circaſſis* idem prædicat, quod an- 25 ſeqq.
te Noſtrum alii, affabiles eſſe peregrinis & elegantis formæ, religione in mediterraneis mere gentiles, in extremis vel Perſiæ vel Ruſſi-

Ruſſiæ atque Georgiæ finitimos, multa ex illorum cultu adoptaſſe,
p. 69. filias ſuas exteris vendere. Ea vero occaſione quædam de *Calmuccis* diſſerit, quos ad maris Caſpii ſeptentrionale & orientale latus habitantes, fixa domicilia non habere, neminique parere teſtatur, niſi quod a Ruſſis per dona & prædæ ſpem in expeditionum militarium ſocietatem trahi ſe patiantur. Alicubi in Circas-
72. ſia inter varias urbis everſæ ruinas lapidem invenit Noſter literatum, cujus characteres ejusdem ætatis eſſe putat cum characteribus foliorum a Ruſſis ante aliquot annos verſus mare Caſpium inventorum. Unde circa ætatem conjectura ipſi nata ſit, neſcimus. Hoc autem lapidem delineatum cum Specimine MStorum a Ruſſis repertorum, in his Actis M. Jul. An. 1722 exhibito, conferentibus nobis patuit, ſcripturas eſſe prorſus diverſas. Illud etiam hic non eſt prætereundum, chartam Geographicam maris Caſpii ab Au-
68. tore exhiberi, litera C inſignitam, de qua prodit, eam ad obſervationes Mathematicorum, a Ruſſorum Imperatore ad id miſſorum, eſſe exactam, & a Medico Imperatoris, Areskino, cum Thalaſſiarcho Anglorum Norriſio communicatam. Aſt deprehendimus, ei nec cum *Homanniana*, nec cum illa convenire, quam Gallorum celebris Geographus *de l' Isle* edidit, plura etiam loca in terris ad Orientem maris ſitis harum utraque indicari, cum interim conſtet, utrique Geographo ad illas imprimendas materiam e Ruſſia ſuppeditatam. Noſter ipſe, cum Caſpii maris litora non luſtraverit, mavult illius chartæ fidem præſtare, qua ſub lit. B mare nigrum exhibet. Eam delineatam dicit a Germano quodam, qui juſſu Imperatoris Ruſſici, cum commeatu Legati Batavi, litora maris iſtius & munimenta prope illud Turcica primum nemine turbante, quod plerique illum Magicam exercere, ex inſolentia inſtrumentorum crederent, ſit dimenſus, denique vero, cum ſecurus omnium abſque literis legati exiiſſet, in depingenda Jegnikala deprehenſus & clam in carcere necatus fuerit.

Quomodo inter *Lappos* verſatus ſit Cl. Autor, Tomi II ca-
T. II c. 12. pite XII narratur. Altius in iſtam regionem penetravit, quam vel Epiſcopus a Carolo XI ad eam indagandam miſſus, vel quisquam
p. 289. alius peregrinatorum; usque in illos montes ſcilicet, qui ſum-
309. mam

mam Norvagiam a Suecica Lapponia dividunt, & in quos Lappones mediterranei æſtatis tempore ſe ſuaque omnia & rangiferorum greges, omnis caloris impatientiſſimos, transferunt; unde ſeptentrionalem Oceanum proſpicere potuit. Fructum e tam difficili peregrinatione per invias, ſteriles, gelu horridas regiones, hunc tulit maximum, quod non viderit, quæ alii fabuloſa de Lapponibus prodiderunt. Quæ extitit huc usque luculentisſima deſcriptio Lapponiæ a *Scheffero* edita, eruditione plena, hoc vitio, quod Autor non viſa ſed audita tantum ſcribit, manifeſte laborat. Inde ſunt enim tot incerta, tot contraria, cum inter ea, quæ diverſis Autoribus acceperat, ſeligere optima non valeret Hiſtoricus, neque ſatis diſcernere, quæ, cui Lapponum ſpeciei, ſint tribuenda. Patet enim, alios in multis mores eſſe illis, qui Finlandiæ Sueciæque propiores vivunt, quam qui verſus Norvagiam ſunt remoti. Noſter hos homines habitu corporis plerumque bono, ſæpe etiam ſatis formoſo, ſtatura vero mediocrem excedente & membris apte compoſitis ex illorum numero vidit multos. Tantum abeſt, ut, non dicimus pro pygmæis, iſta enim fabula dudum exploſa eſt, ſed pro hominibus *inconcinni corporis & tanquam in nodum contorti* haberi debeant, quod *Iſ. Voſſius* ad Melæ III, 8, magnis autoribus, oculis ſcilicet ſuis, credi cupit. Truculentos facit *Schefferus*, doloſos, pigros, impudicos. Noſter humanos expertus eſt, officioſos, hoſpitales, bonæ fidei. Ubique enim in tuguria receptus, paſtus & potus, in via ductus fuit & reductus. De induſtria dubitari nequit, ſi cogites, eos veſtes ſibi, naviculas, trahas, arcus & quicquid eſt utenſilium manibus ſuis parare, ab aliis inſtrumentis, præterquam ſecuri & cultro acuto, haud inſtructos. Unicum cædis a Lappone, & illo quidem ebrio, commiſſæ exemplum extare, furta vero & rapinas plane ignorari huic genti, a fide dignis accepit Autor. Quæ veriſimilia videri poſſunt, cum & ſibi ipſi contrarius *Schefferus* c. 13 ſcribat: *vitia graviora, furta, rapinas, cædes, adulteria & id genus apud Lappones fere eſſe ignota*; c. 8 autem virtutum chriſtianarum exercitium inter eos ſummopere commendet. Fatendum tamen eſt, Autorem noſtrum de illorum religione, prout ad revelatam exacta eſſe deberet, non

p. 297. 302. 331. 323.

p. 298 ſqq. nimis magnifice ſentire. Perſuaſus enim eſt, omnem Dei cultum ab
302 ſq. 329. iis collocari in accurata & liberali ſolutione eorum, quæ ſacerdoti
331 ſq. debentur; de ipſis autem religionis fundamentis eos parum eſſe edoctos, licet Sacramentorum exteriores actus ipſis non ſint incogniti. Culpam in defectum ſcholarum & paſtores negligentes & ineptos conjicit, cui addere poſſes difficultatem inſtituendi gentem, quæ vaſtis terrarum tractibus per familias diſperſa, ſedes præterea pro anni tempeſtatibus mutat.
29. Tuguriorum ſtructuram apud Lappones explicat quidem Autor, ſed nihil de myſterioſo iſto poſtico habet, per quod, ſec. *Schefferum* c. 16, ſoli viri a venatione reduces prædam referunt, & quo mulieribus accedere nefas. Diu eſt, quod in Magicis excellere putantur Lappones, neque adhuc omnium animis exceſſit iſta opinio. Ipſi certe credunt, eſſe Magos inter ſe, qui tympanorum tam celebratorum ope futura prædicere, oculis faſcinare & nihil non noxii ſecretis artibus efficere queant.
314. Noſter, cum cupidus eſſet eam rem indagandi, deduci ſe paſſus eſt ad ſenem præſtigiatorem, qui, cum ante largo vini aduſti hauſtu ſe proluiſſet, (inde ſcilicet Enthuſiaſmus,) e tympano ſuo nil, niſi futilia, prædixit, ad quæſtiones vero propoſitas reſpondere noluit. Alia experimenta ſcientiæ apud hunc populum occultæ non cepit Mottrajus, neque, curioſe licet quærendo, ab illis quid expiſcari potuit. Ceterum optaremus, alia quædam a Cl. Autore tacta legere, qui magis ſollicitus de obſervandis accurate, quæ ſe eſſent oblatura, quam de conſtituendis ante, quæ vellet quærere, fuiſſe videtur. Talia ſunt, de lingua Lapponum, de diviſione regionis, inter eos autoritate regia olim jam facta, de ſuperſtitionis & paganiſmi reliquiis & ſimilibus. Expediret imprimis, ſi locorum ſitum, quos in Tartaria & Lapponia attigit, ſecundum longitudinum & latitudinum gradus deſignaſſet. Chartæ enim, quas exhibet, non ſatisfaciunt. Duo verba de *Appendicibus* itinerum horum, epiſtolas & diſſertationes quaſdam continentibus de argumentis in opere ipſo tractatis, dicenda reſtant. In Appendice T. I notanda ſunt imprimis, Comitis *Tœckelii* confeſſio de religione uſque ad mortem ſervata, p. 406, Turcarum Imperatoris adverſus Jeſuitas mandatum, p. 409, Jeſuitarum Apologia querelis Armeniorum oppo-

oppoſita, p. 401, literæ quædam inter Regem Sueciæ, Mullerum, ejus Cancellarium, & Sultanum atque Supremum Vezirium mutuæ, p. 415 ſqq. In illa, quæ *Tomo II* annectitur, legi meretur *Poniatovii* Epiſtola de Turcarum & Ruſſorum ad Hieraſum (*Pruth*) congreſſu, p. 6, Comitis *Wellingii* literæ, de voluntate Anglorum erga Suecos, p. 16, 17, 25, Tartarorum Chami & Regis Sueciæ literæ mutuæ, cum ille hujus e Turcarum ditionibus diſceſſum urgeret, p. 23 ſqq. *Fabricii*, Legati Holſatici, relationes de vi Regi Sueciæ a Turcis illata, p. 26 ſqq.

Denique non pigebit hic legere verſus, tanquam tabulam votivam ab Autore in templo Yukacervenſi, poſt abſolutum iter Lapponicum, ſuſpenſos, quibus complexus eſt omnes ſuas peregrinationes: T. II p. 325.

Me genitrix tenuit bis denis amplius annis,
Gallia, *me* Italica, Africa *terra*, Britannica *regna*,
Amba Aſiæ, Melite *ſterili vicina* Coſyræ,
Utraque me Germania, Græcia *magna minorque*,
Urbes Tarraco, Barcinon, Herculeæque *Columnæ*,
Euxina *&* Mæotica, Caſpia, Baltica *nec non*
Littora viderunt ; vidit Polus arcticus *ipſe*,
Ac mihi inocciduum oſtendit Lapponia *Solem*,
Proque cibo ac potu carnem & lac Rangiferinum
Præbuit, ut quondam præbere ſolebat equinum
Tartaria.

LA RELIGION CHRETIENNE PAR
les Faits &c.
h. e.

RELIGIO CHRISTIANA PROBATA EX FActis, cum Diſſertatione Hiſtorico-Critica de methodo præcipuorum Autorum, qui pro Chriſtianiſmo, vel contra eum, ſcripſerunt; Autore Abbate HOUTTEVILLE.

Pariſiis, apud Gregorium Dupuis, 1722, 4.
Alph. 3 pl. 17.

ETſi liber iſte ſero ad manus noſtras pervenit, tamen recenſionem ejus, cum propter argumenti dignitatem, tum propter induſtriam Autoris in eo tractando adhibitam, hic non omittendam putavimus. In præmiſſa diſſertatione, non eſt, quod vel ſiccum aliquem indicem, vel integram bibliothecam omnium eorum, qui religionem Chriſtianam ſcriptis quibusdam aſſeruerunt, aut impugnarunt, expectes. Nam Autori tantum notitia methodi, pro diverſitate temporum diverſæ, qua hujus generis ſcriptores, inde ab initio Chriſtianiſmi usque ad noſtram ætatem uſi ſunt, ſuppeditare propoſitum fuit. Ad hanc vero vel unum atque alterum ex præcipuis ſingularum ætatum autoribus, exempli cauſa nominare ac dijudicare ſufficiebat. Dividuntur illi in tres periodos, quarum prima in confinio tertii & quarti ſeculi definit, altera a temporibus Imperatoris Conſtantini M. usque ad ſeculum XV, quo bonæ literæ refloreſcere cœperunt, tertia inde usque ad noſtram ætatem decurrit. Ad periodum primam poſt *Petrum* & *Paulum* Apoſtolos, ut præcipuos contra
p. XVII. Simonem Magum, (cujus volatum caſumque Romanum quaſi verum recenſeri, miramur) Hymenæum, Philetum aliosque Pſeudapoſtolos, religionis Chriſtianæ aſſertores referuntur *Ariſtides*, *Quadratus*, *Juſtinus Martyr*, *Tatianas*, *Theophilus Antiochenus*, *Hermias*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, cum adverſario ejus *Celſo*, *Minutius Felix*, *Arnobius* & *Lactantius*. Sicut autem horum argumenta, quibus religionis Chriſtianæ veritatem, antiquitatem & innocentiam contra adverſariorum obtrectationes vindicant pariter ac ſuperſtitionis Paganæ vanitatem demonſtrant, merito commendat; ita neque nævos illorum tacet. Plerosque omnes de animæ humanæ natura minus recte ſenſiſſe, eique compoſitionem ex corpore ſubtiliori, effigiem humanam, & præexiſtentiam, licet non
LXIX ſeq. æternitatem, cum Platone, attribuiſſe, obſervat. Nonnullos præterea, nominatim Papiam, Irenæum, Juſtinum, Tertullianum & Lactantium, chiliaſmum docuiſſe, quem quidem Noſter ut ſubtiliorem & in bonis duntaxat ſpiritualibus quæſitum, a craſſiori Cerinthi, Marcionis, Nepotis aliorumque hæreticorum chiliaſmo, in corporis voluptate poſito, diſtinguit, atque ex Plato-

Platonis Phædro & libro X de republica deducit. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, utrique corporis æque ac animi delitias in regno ſuo millenario promiſerunt, atque adeo re ipſa non multum differunt. Annon præterea opinionis iſtius origo ex placitis Judaicis veriſimilius, quam ex Platonicis arceſſatur, doctiſſimo Autori amplius cogitandum relinquimus. Denique Juſtinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Lactantius & alii ex ſuppoſitis ſæpe monumentis, ac præcipue ex oraculis Sibyllinis, veritatem religionis Chriſtianæ infeliciter probatum iverunt, paganis propterea contemtim Sibylliſtæ dicti. Hujusmodi nævos evitarunt *Periodi ſecundæ* ſcriptores Chriſtianorum apologetici, prioribus ſine controverſia doctiores & cultiores, inter quos primo loco commendatur, ſimulque Arianiſmi ſuſpicione liberatur *Euſebius Cæſareenſis*, præcipuus religionis Chriſtianæ adverſus paganos æque ac Judæos vindex. Illos enim in libro contra Hieroclem ſcripto, & in Præparatione Evangelica, hos in Demonſtratione Evangelica confutavit. Eum deinceps inſecuti ſunt *Cyrillus Alexandrinus*, libris adverſus Imp. Julianum Apoſtatam inſignis, & *S. Auguſtinus*, qui in Civitate Dei, civitati mundi, h. e. paganiſmo oppoſita, præter cetera Theologiam paganorum philoſophicam, in eaque potiſſimum Theurgiam Platonicam, a Platonicis junioribus, ut Plotino, Porphyrio, reliquis celebratam, & hiſtoriæ evangelicæ de miraculis Chriſti oppoſitam, confutavit. Idem Præſul Hipponenſis doctrinam morum pariter ac fidei Chriſtianæ in meliorem ordinem redegit, & non minus contra Pelagianos, Manichæos aliosque hæreticos, quam contra Paganos vindicavit. Sed poſt eum, in Eccleſia præſertim Occidentali, magna talium Doctorum penuria extitit, & in cultioris religionis locum ignorantiæ & vitiorum barbaries ſucceſſit, cui inanis ſcholaſticorum, Ariſtotelis potius, quam Scripturæ S. autoritate nitentium, ſubtilitas medelam non attulit. Interea tamen a vulgo Scholaſticorum S. Thomam Noſter excipiendum putat, cui doctrina Chriſtiana clariorem & diſtinctiorem methodum acceptam referat, quæ ad illam non modo addiſcendam, ſed etiam fovendam, & adverſus errorum labem conſervandam plurimum valet. Ex iſta medii ævi barbarie,

p. LXXV.

LXXX.

in qua orientalis Eccleſia hodieque hæret, Occidentalis ſeculo XV paulatim eluctari cœpit. Hinc ab eo *periodi tertiæ* initium ducitur, qua quidem religio Chriſtiana non amplius contra Paganorum idololatriam, ſed adverſus Judæorum calumnias, Socinianorum ratiocinationes, & Spinozæ ejusque ſimilium Scepticorum inpietatem vindicanda fuit. Ac Judæis quidem jam ſeculo XIII *Raimundus Martini* Pugionem fidei oppoſuit, ex quo libro *Porchettus Salvaticus* totum fere opus ſuum, ſub titulo Victoriæ adverſus Judæos editum, depromſit. Sed uterque plus zeli, quam roboris habet. Majus operæ pretium fecit *Hieronymus de Sancta Fide*, cujus refutatio Talmudis ſic ſatis ſolida eſt, licet, pro ratione illorum temporum, omni ornatu deſtituatur, adeo, ut ſine tædio legi vix poſſit. Seculo autem XVI illi, qui religionem emendare aggreſſi ſunt, complurium virorum doctorum induſtriam excitarunt, & bonas literas magis magisque inſtaurandi occaſionem dederunt. Poſt harum igitur παλιγγενεσίαν multo limatius, ac tantum non profuſo eruditionis apparatu, hoc argumentum tractavit *Phil. Mornæus*, in libro de Veritate religionis Chriſtianæ, quem communi orbis literati applauſu non immerito exceptum eſſe, Houttevillius profitetur, quamvis eum in refutanda idololatria, tunc pridem abolita, & in cumulandis Philoſophorum ac Poetarum paganorum teſtimoniis, de peccato originis, de S. Trinitate, & ſimilibus dogmatibus Chriſtianorum propriis, operam ſupervacuam poſuiſſe arbitretur. Majori delectu, licet minori eruditionis oſtentatione hoc argumentum perſecutus eſt *Joh. Lud. Vives*, in quo id unum deſideratur, quod jugum opinionum quarundam Philoſophicarum, tunc adhuc regnantium, nondum excuſſerit, quo poſteriora demum tempora Carteſius, præcipuus artis recte cogitandi magiſter, liberavit. Secundum hanc artem primus veritatem religionis Chriſtianæ accuratius aſſeruit *Hugo Grotius*, qui tamen luculentam vaticiniorum quorundam expoſitionem, in libello de veritate religionis Chriſtianæ a ſe datam, ipſe poſtea in annotationibus ſuis ad Scripturam S. pervertit. Magnum *Paſcalii* ingenium, in aſſerenda religionis Chriſtianæ veritate occupatum, infirmitas corporis, & mors ipſa tandem, quo minus deſtinata perficeret, impedivit.

p. CXLV ſſ.

divit. Interea conatuum ejus præſtantia vel ex ſpecimine poſthumo meditationum de religione apparet. Seculo XVI & XVII religionem Chriſtianam Anti-Trinitarii & Athei potiſſimum impugnarunt. Illorum, ac præcipue Socinianorum, objectiones *Andr. Keslerus*, *Abrahamus Calovius* & *Adamus Scherzerus*, viri in Theologia Scholaſtica haud obiter verſati, & poſt eos alii diverſis ſectis addicti profligarunt. Contra hos, & nominatim contra *Bened. Spinozam*, *Lamii*, *Fenelonii*, *Turneminii*, *Jaqueloti* & aliorum libri pro Dei exiſtentia & attributis ſcripti commendantur. A *Petro Dan. Huetio*, in Mythologia Pagana hiſtoriæ ſacræ veſtigia, & in utriusque ſimilitudine quadam neſcio quod Chriſtianæ religionis præſidium quærente, Autor noſter diſſenſum ſuum non diſſimulat, & in ejusdem quæſtionibus Alvetanis vix quicquam præter Librum II probat. Inter noviſſimos hujus generis ſcriptores *Abbadio* palmam tribuit, ut qui primus omnes cum infidelibus controverſias uno opere complexus ſit. Nam in ejus libro I Atheos, in libro II Deiſtas & Naturaliſtas, in libro III Socinianos refutat, quamvis in ultimo hoc induſtria ejus relanguiſſe videatur. Denique cum noſtra memoria *Petrus Balius* veritates quasdam religionis Chriſtianæ non modo ſupra rationem poſitas eſſe, ſed etiam cum ea pugnare, contenderet, difficultates ab eo motas, præter ceteros, *Leibnizius* ſolvit, diſtinctione veritatum Geometricarum, quæ æternæ & abſolute neceſſariæ ſunt, a veritatibus phyſicis ſive ſecundum communes tantum naturæ leges neceſſariis. Scilicet hæ quidem interdum, nunquam vero illæ veritatibus Theologicis adverſantur. His omnibus, diverſarum licet partium, ſcriptoribus debitam laudem Noſter ingenue tribuit, & poſt eos, in præſenti opere ſe id tantum egiſſe profitetur, ut omnia in meliorem ordinem redigeret, nonnulla novis argumentis fulciret, & adverſus infidelium objectiones clarius vindicaret. Et ſane, cum inter Romanenſes, viæ autoritatis potius, quam viæ examinis adſuetos, rari admodum ſint, qui veritatem religionis Chriſtianæ demonſtrare ſtuduerunt, & vel ipſe index eorum Houttevillianus, hucdum recenſitus, prodat, quod optimi quique hujus generis ſcriptores extra eorum communionem fuerint; non immerito, cum

in

in hac parte fidei ſuæ ſociis, qui adhuc talibus ſcriptis innotuerunt, palmam præripuiſſe, dixeris.

In *libri I cap. I-IV* probationis per facta naturam, autoritatem & characteres exponit, cujusmodi ſunt, ut factum aliquid non ſit ἀδύνατον, ſive contradictorium, ut a teſtibus pluribus fide dignis, & extra fraudis ſuſpicionem poſitis, confirmetur, ut ſit publicum & magni momenti, ut cum antecedentibus & conſequentibus apte cohæreat, ut ab ejusdem autoritatis & fidei teſtibus non infirmetur, & ut per omnia Secula ſine variatione relatum ad nos perveniat. Singulos hoſce characteres in facta, Apoſtolorum & Evangeliſtarum monumentis celebrata, & in ipſa miracula Chriſti & Apoſtolorum convenire, ſingulis *capitibus V-XI* ſeorſim demonſtratur. Inter teſtes de factis religionis Chriſtianæ minime ſuſpectos, *capite X* ipſi adverſarii ejus, Judæi ac Pagani, adducuntur, ex Judæis nominatim Joſephus, cujus notiſſimum de Chriſto teſtimonium contra Blondelli & Fabri objectiones copioſe vindicatur, & Talmudiſtæ, qui non tantum ab ipſo Jeſu Nazareno, ſed etiam, nomine ejus, ab aliis miracula patrata fuiſſe, agnoſcunt: ex Paganis, præter Porphyrium, Celſum, Julianum & reliquos, qui Jeſum partim virum bonum & immortalitate dignum judicarunt, partim etiam miracula ejus agnoverunt, ipſi Imperatores, Tiberius, Hadrianus, & Alexander Severus, qui templa & aras ei deſtinarunt. In *capite XI*, quod narratio de factis Evangelicis intemerata ad nos pervenerit, demonſtratur, & adverſus objectiones, potiſſimum ex locis, quæ in codicibus quibusdam ſacri Codicis deſiderantur, ut Marci XVI, 1, 12, de Chriſti reſurrectione & apparitionibus, Joh. VIII, 3 ſeqq. de adultera, 1 Joh. V, 7, de tribus teſtibus divinis, vindicatur. Præterea etiam ad objectiones ab autore Anonymo libelli de libertate cogitandi, ex chronico Victoris Tununenſis, in quo, *Imperatore Anaſtaſio jubente, ſancta evangelia, tanquam ab idiotis compoſita, emendata eſſe* dicuntur, reſpondetur, & verba hæc de corruptela quadam particulari, quam ſub Imperatore Anaſtaſio Macedonius, Patriarcha CPtanus, in Neſtorianiſmum propenſus, & propterea expulſus, ſacro Codici intulerit, intelligenda eſſe, Liberati Diaconi teſtimonio probat.

Liber

Digitized by Google

Liber II Veteris Teſtamenti de Meſſia vaticinia in Jeſu Nazareno impleta eſſe probat; ſpeciatim *caput II*, poſt nonnulla de prophetiæ natura, in *capite I* præmiſſa, docet, quod Jeſus Chriſtus eo tempore, loco, & modo venerit, quo Meſſias, ſecundum Prophetas, venire debuit. *Capite III & IV* præcipua illa de tempore hujus adventus oracula, Gen. XLIX, 8 & Dan. IX, 24 explicantur & vindicantur. In poſteriori Autor eorum ſequitur hypotheſin, qui LXX hebdomadas ab anno vigeſimo Artaxerxis Longimani incipiunt. *Capite VI & VII*, quod Jeſus Chriſtus prophetam, qualis Meſſias ſecundum Deut. XVIII, Dan. VII & VIII eſſe debuit, cum vaticinando, tum docendo ſe præſtiterit, demonſtrat, ubi quidem Noſter, dum Chriſtum novum legislatorem facit, qui amorem Dei perfectiorem & alia melius, quam Moſes, docuerit, ſectæ ſuæ placitis pluſculum indulgere videtur. Quam evidenter vero iis, quæ Chriſtus de excidio templi & urbis Hieroſolymitanæ, de ſignis illud præceſſuris, de paſſionis & mortis ſuæ ratione, de Eccleſia Chriſtiana adverſus portas inferorum prævalitura &c. prædixit, eventus reſponderit, non tantum ex hiſtoria ſacra, ſed etiam Scriptorum Romanorum & Judaicorum teſtimoniis accurate oſtendit. Inter vaticinia de Meſſia non poſtremum locum tenet illud de vocatione gentium, ſive quod gentes in toto terrarum orbe, idololatria hucdum quaſi faſcinatæ, per eum ad verum Deum convertendæ ſint, ſec. Eſ. XI, 9, 10, XXXI, 7, Jer. XVI, 19, Hoſ. I, 10, II, 24, Hagg. II, 7, Zach. IX, Malach. I, 1c &c. Hoc vero tam mirabiliter impletum eſſe, ut doctrina Chriſtiana jam Sec. I poſt C. N. toto terrarum orbe perſonarit, & ſubſequentibus deinceps ſeculis majores ſubinde, intra & extra fines Imperii Romani, progreſſus fecerit, in *capite VI* ex inſtituto demonſtratur. *Caput VIII*, quod Jeſus Chriſtus mortuus ſit, ſicut Meſſias, ſecundum vaticinia Prophetarum, mori debuit, & *caput IX*, quod iisdem convenienter in vitam redierit, oſtendit, & imprimis veritatem reſurrectionis Chriſti contra Spinozæ & aliorum objectiones luculenter vindicat. *Liber III* duodecim Deiſtarum objectiones adverſus facta evangelica, & religionis chriſtianæ veritatem diſſolvit, quas cum reſponſionibus ſuis apud Autorem ipſum integras legi, quam hic recenſeri, ſatius judicamus.

Digitized by Google

ADAMI FRIDERICI GLAFEY COMMENTatio Hiſtorica de vera quondam Miniſterialium Indole, qua Miniſteriales Palatini, præſertim vero Milites Imperii aut Statuum Nobiles, qui nomine olim Miniſterialium potiſſimum veniebant, priſtino nitori, dignitati, juribus, generis integritati, eminentiæ ſingulari, & immunitatibus reſtituuntur &c.

Francof. & Lipſ. apud Chriſtoph. Riegel, 1724, 4. Alphab. 2 Pl. 12.

CUm ſint varii, cum in aliis doctrinis, tum maxime in iis, quæ ad Jus Imperii noſtri publicum pertinent, diſſenſus & perpetuæ fere Virorum Doctorum contentiones, de Ordinis etiam Equeſtris, maxime immediati originibus, Juribus, & ſtatu JCtorum non una eſt opinio, aliis ad perturbanda eorum jura, proturbandamque dignitatem cuniculos varios agentibus, aliis maſcule eorum vetuſtum decus & ex vetuſtis fontibus pulcre profluentes prærogativas aſſerentibus. Poſteriorum caſtra ſequitur Conſultiſſimus *Glafeyus*, quod duo hujus ſuæ Commentationis hiſtoricæ Libri abunde probant, in quibus ſe ita geſſit, ut in priore equidem ex genuinis antiquitatum Germanicarum monumentis veram Miniſterialium indolem exponat, in poſteriore cum delecto ſibi adverſario, Illuſtri Joachimo Georgio de Plönnies, olim Illuſtriſſimo Comiti Naſſovio a conſiliis ſecretioribus & dirigenda cancellaria, jam vero Imperialis Cameræ Aſſeſſore graviſſimo, qui, ſingulari diſſertatione de Miniſterialibus Marpurgi habita, litem de ſervili indole Miniſterialium ſuam fecit, manus conſerat. Nos, a quorum inſtituto quam maxime abhorret, litem hanc etiam facere noſtram, ſepoſito illo poſteriore libro, lectorique docto & harum concertationum appetenti commendato, ex priore, quæ ſit Conſultiſſimi Autoris de Miniſterialibus ſententia, pro virili & candide dicemus. Initium facit Conſultiſſimus Glafeyus a Miniſterialibus Palatinis, & C. 1 Sect. 1 Miniſteriales Palatii Regii exponit. Fuere Cancellarii,
p. 6. Buticularii, Stabularii, Seneſchalli, Dapiferi, Camerarii & ſimiles

ſimiles Regibus Franciæ; idem mos ab Imperatoribus Germa- p. 8.
nicis fuit ſervatus, unde Electorum Archi-Officia, ita quidem 9.
ut iidem Imperatores in ſingulis etiam provinciis Marſchallo-
rum, Camerariorum, Dapiferorum & Pincernarum officia ordi-
naverint, & inſignioribus familiis curam, quæ ad ejusmodi mi-
niſteria pertinet, commendaverint. Hoc exemplum Regum &
Imperatorum imitati ſunt Principes & Status Imperii, Sect. 2,
& ſibi etiam ſuos delegerunt Miniſteriales, *Dienſtmanne*, *Dienſt-* 11.
herren, Officiales ſimpliciter dictos, quotiens a miniſterialibus
militibus diſtinguendi erant, miniſteriales nempe provinciæ, 17.
probe iterum ſecernendi a miniſterialibus Principum aulicis &
quotidianis, quorum provinciæ miniſterialium ordo adeo fuit 25.
honoratiſſimus. Nunquam non in diplomatibus ante milites,
equites & ipſos principum officiales collocantur, integritate ge- 27.
neris ut ſplenderent candidati, erat neceſſe, Duces aliquando &
comites inter miniſteriales occurrunt, nobilis viri, Domini, *der*
Dienſt-Herren, *Herrn Herrn* titulos iidem miniſteriales uſurpa- 28.
runt, ad partes reipublicæ regundas admiſſi ſunt, Pares Curiæ 34.
habuere judices, nec eſt, ut ex reſtricta matrimonia ineundi po- 41.
teſtate quicquam ſiniſtri omineris; tantum abeſt, ut inde nobi- 42.
litati eorum & ingenuitati quicquam derogetur, ut potius inde
conſtet, quam arcto fidei vinculo Principibus ſuis fuerint juncti,
& quaſi innexi, ut matrimoniorum miniſterialium cura ad ipſam
rempublicam & principis inſpectionem pertinuerit. Ab his di-
verſum genus Miniſterialium Militum Imperii Cap. 2 explicatur,
& Sect. quidem I eos ſub Imperatoribus Francorum apud Anſe- 49.
giſum ſe reperiſſe contendit Conſultiſſimus Autor, ſane ſub Im- 54.
peratoribus Germanicis ante Interregnum paſſim in vetuſtis char-
tis occurrere, Sect. 2 demonſtrat, nobilitatem generis ex variis 59.
diplomatibus iisdem aſſerit Sect. 3, immo immediate Regi atque
Imperatori ſubfuiſſe & paruiſſe, Sect. 4 oſtendit, inter Judices & 65.
teſtes in tribunalibus Imperii admiſſos, Sect. 5 tradit, Sectione 67.
denique 6 hos Imperii miniſteriales quartum geſſiſſe clypeum, 72.
Comitibusque & Baronibus Imperii dignitate fuiſſe pares, evin-
cit. Exiſtimat nempe Conſultiſſimus Glaſeyus, Speculatorem
Saxonem ſuos ſeptem clypeos ex doctrina Longobardica de Capi-

 tancis

Digitized by Google

taneis, Valvaſſoribus, & Valvaſinis effinxiſſe, & Capitaneis qua-
druplicem clypeum tribuiſſe, Imperatoris, Principum Eccleſia-
ſticorum, Secularium, Comitum denique & Baronum. Ita
& rationes inſtituiſſe Suevum, addidiſſeque his quatuor clypeis,
der Hochfreyen oder Hochmænner, clypeum quintum *der Mittel-
freyen*, mediatam nobilitatem, & ſextum miniſterialium armi-
gerorum. Jam vero Celeberrimum Gundlingium dudum do-
cuiſſe, Capitaneum eſſe Vaſallum, qui feudum habet a capite, hoc
eſt, immediatum, non poſſe adeo miniſteriales milites Imperii
quinto aut ſexto clypeo comprehendi, quod Sect. 4 jam ſit oſten-
ſum, eos immediate Imperatori ſubfuiſſe, ad priores adeo cly-
peos pertinere, & ſaltim ad quartum, qui Comitum eſt & Baro-
p. 85. num. Horum Miniſterialium Officia Sectione 7 indagat, quæ
89. bellica aſſerit, ita ut ad vexillum vocati ſe ſiſtere debuerint, Sect.
8 diſcrimen, quo a militibus ſimplicibus & Vaſallis Imperii
95. diſtinguuntur, indicat, Sect. 9 jus eorum ſuffragia ferendi in
100 Comitiis Imperii adſtruit, proprios homines poſſidere potuiſſe
Sect. 10 confirmat, quæ denique utilitates ex hac doctrina ad
104. Equeſtrem Imperii ordinem redundent, Sect. 11 innuit, quibus
ut Miniſterialibus Imperii militibus Jus ſuffragii in Comitiis,
parem cum Comitibus dignitatem, antiquiſſimas & propria au-
ctoritate contra Duces non uſurpatas origines tribuit. Sed nunc
& de Miniſterialibus militibus Principum & Statuum Imperii
agendum erat, quos & a liberis hominibus, ab omni nempe nexu
ſive miniſteriali ſive feudali immunibus, ab ipſis vaſallis, ab ar-
migeris denique diſtinguendos eſſe docet Conſultiſſimus Autor.
128. Capitis III principio & Sect. 1 per milites nobiles, nobilitatis
puta non primæ, ſed ſecundæ, Principibus aut Statibus Imperii
136. pro feudis vel ſalariis militari opera deſervientes definit. Fuiſſe
ejusmodi miniſteriales omnino milites, Sectionis illius 1 mem-
144. bro 1 adſtruitur, fuiſſe nobiles & ingenuos, quæ veluti controver-
ſiæ arx eſt, longa argumentorum & auctoritatum ſerie membr. 2
194. evincitur, eosdem, milites antea Imperii, novo nexu miniſteriali
Principum finitimorum ſuſcepto, non ſtatim in ſubjectionem
216. novorum dominorum tranſiiſſe, membro 3 diſputatur, eosdem
fuiſſe coimperantes provinciarum Germaniæ, variis rationibus
& ex-

& exemplis fulcitur membro 4, quibus omnibus membro 5 obſervationes de iisdem miſcellaneæ adduntur, & membro ultimo, p. 223. 235.
quando deſierint, inquiritur, placetque, ſublata poſt Maximilianum Cæſarem neceſſitate ſervitia militaria in perſona præſtandi, in quo inprimis miniſterialium eſſentia & forma collocanda videtur, eosdem a JCtis cum Vaſallis fuiſſe confuſos.
Capite IV de Miniſterialibus Armigeris diſſeritur, quos & 243.
famulos, ſervos, *Knechte*, *Knapen*, *Wappenträger*, *Wappenknapen*, clientes, militares appellatos eſſe, Sect. 1 oſtenditur. Horum officium fuit bellicum, Sect. 2, nobilium nempe juvenum, 259.
honore militare nondum præditorum, ſed tale decus, non famulitio reliquis militibus præſtando, ut nonnulli volunt, ſed 277.
fortibus factis merentium. Qui nobilitatem generis ejusmodi armigeris denegant, contrarii probationes in Sect. 3 offendunt. Sic 283.
a comitibus quoque dabantur & accipiebantur fidejuſſores, arbitri erant in litibus Statuum, tutores Principum & Dominorum ſuorum, ſocii & fœderati majorum Statuum. Non licuit matrimo- 287.
nium inire armigero, niſi miles prius factus eſſet, ut ſera ſit juvenibus venus, nec iſtis illecebris virtus juvenilis exſtingueretur. Ad ordinis injuriam, non niſi injuria, hoc referri poterit. 291.
Ad ſextum clypeum armigeros pertinuiſſe mediatos, ſupra anno- 293.
tatum eſt. Fuiſſe autem nobilitatis amittendæ varios modos, ex hiſtoriarum monumentis liquet, quæ peculiari capite V collegit doctiſſimus Autor, uti & plebejos homines ſeu ruſticos miniſterialium nomine aliquando venire, idem capite VI indicat.

PETRI ANTONII MICHELOTTI, TRIdentini, ad Illuſtrem ac Celeberrimum Virum, BERNARDUM FONTENELLIUM, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis a Secretis epiſtola, in qua aer pulmones influens cogatne, an ſolvat ſanguinem, eorum canales permeantem, inquiritur.

Lutetiæ Pariſiorum, typis Petri Johannis Marietti, 1724, 4.
Plag. $7\frac{1}{2}$

POſtquam Clariſſimus Helvetius, filius, pulmonum ſtructuram ſingulari ſolertia rimatus, varia vidit nova, hactenus non obſervata, quæ Anno ſuperiori Menſe Januario pag. 14 recenſuimus, ulterius in ſanguinis pulmones transfluentis mutationes ab aere illatas inquiſivit, ſuamque opinionem in ſchediaſmate quodam Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum, quæ Pariſiis floret, Anno 1718 pag. 222 inſeri voluit. Tres videlicet in ſcholis Medicis circa reſpirationis uſum hactenus viguerunt ſententiæ; ſiquidem Hippocrates, Galenus, Avicenna, Carteſius, Swammerdammius & Franciſcus de le Boe Sylvius ſanguinem in ductibus pulmonum ab aere perfrigerari atque condenſari crediderunt; Malpighius pulmonum agitationem miſtioni & coactioni particularum ſanguinis opitulari exiſtimavit; ac denique cruorem ab aere relaxari, ſolvi, atterique putarunt Borellus, Bellinus, Pitcairnius, Gulielminus, Boerhaavius atque Keilius. Helvetius priores ſecutus ſanguinem in vena cava, in dextro cordis ventriculo & in arteria pulmonali rarefactum in venæ pulmonalis propaginibus ab aere revera inſpiſſari, variis rationibus & experimentis probare conatus eſt. Quæ poſtquam Clariſſ. Michelottus accuratius examinavit, plures ſubeſſe cauſas, quo minus in Helvetii ſententiam deſcendere queat, convictus, eas in Epiſtola hac ſignificavit. Potiora nunc hujus argumenta, illiusque ad hæc reſponſionem cum L. B. communicabimus, relictis reliquis, ne nimis prolixi eſſe videamur.


Statuit ſcilicet Helvetius, ſanguinem ideo in venis pulmonalibus coccineum induere colorem, quod illius particulæ antea exolutæ, ab aere in cellulas pulmonales inter inſpirandum irruente ad ſe invicem propius accedere cogantur, & ita quidem, ut ſanguis inde ſpiſſior reddatur. Pro ſtabilienda hac ſententia tribus potiſſimum utitur argumentis, quorum primum eſt, quod non modo ſanguis, ſed & reliqui corporis noſtri humores, ſive intra ſive extra canales, ab aere, nulla re interjecta, nunquam attingantur, quin condenſentur. Provocat enim ad ſanguinem ex vena arteriave inciſa aut in hæmorrhagiis profluentem, qui coagulatus conſpicitur; ad liquores, quos ulcera fundunt, qui in aere, potiſſimum frigidiori, inſpiſſantur; & ad experimentum


in cane ſufflatu aeris in venam jugularem occiſo factum, cujus pulmones maxime rutilantes, ſanguineque turgidi, cruor vero tam in venis quam arteriis per eos diſperſis coagulatus & coccinei coloris fuerunt. Alterum argumentum in eo conſiſtit, quod cruor nullo non tempore rutilantem eum, quem in vena pulmonali & arteriis conſpicimus, colorem adipiſcatur, quando fit denſior. Experientia ſiquidem conſtare dicit, eam cruoris, vaſculo excepti & coagulati, partem, quæ fundo adhæret, diviſioni minus reſiſtere, nec coccineo micare colore, inverſam vero & aeri aperto per duos treſve horæ quadrantes objectam rubicundiorem & ſpiſſiorem fieri; imo ſanguinis per anguſtam aperturam exilientis aut anguſtiore vaſe collecti ſummam ſuperficiem firmioris quidem eſſe conſiſtentiæ ac purpuraſcere, reliqua vero ſuppoſita ſtrata & molliora & coloris rubri obſcurioris evadere; contrarium vero obſervari, ſi cruor ex eodem homine, ex eadem vena & per idem foramen exiens vaſe valde lato ac ferme plano excipiatur, vel ſi idem ſanguis per minimum filo ſubtiliſſimo egrediens orificium in vaſculum decidat ſatis anguſtum; cruoris etenim utraque ratione excepti inferiora ſtrata colorem & denſitatem fere eandem atque ſuperiora habere. Ex quibus infert, cum iſtiusmodi coloris & firmitatis ſanguinei craſſamenti differentiæ a nulla alia re, quam a debiliori aut fortiori aeris actione provenire poſſint, ſanguinem revera purpureo nitere colore, cum ab aere coagulatur. Tertium argumentum exinde deſumit, quod ſanguis venæ pulmonalis & arteriarum a ſanguine arteriæ pulmonalis & venarum nulla alia re quam ſpiſſitudine & denſitate differat, ſiquidem aer particulas uniendo ſanguini venoſo arterioſi colorem aliasque affectiones impertiat. Obſervaſſe ſcilicet ſe ſcribit, ſanguinis ex arteriis detracti, vaſeque nonnihil profundo excepti coagulum, minus de ſua altitudine ac diametro amittere, quam venoſi craſſamentum, hocque majori ſeri quantitati quam arterioſi coagulum innatare, ac parte ſumma, aera ſpectante, firmius rubicundiusque, ima laxius atque coloris rubei ad atrum vergentis exiſtere: ſecus ac ſanguinis arterioſi coagulum, quod ſuprema & infima ſua ſuperficie æque firmum rutilansque illi viſum fuit. Hæc cruoris diſcrimina fere omnia ſatis ſuper-

ſuperque oſtendere autumat, particulas ſanguinis in arteriis confertiores eſſe quam in venis. Vim autem ineſſe aeri, ſanguinis ex vena aliqua proſilientis particulas congregandi, eique cunctas quibus arterioſus gaudet, qualitates impertiendi, ſequenti probat experimento. Si ſanguis ex arteria profluens vaſe aliquo excipiatur, & in conſimile vas ſanguis ex vena ejusdem hominis per exiguum foraminulum lente aut guttatim depluat, tum iſtiuſmodi cruor omnes fere arterioſi affectiones aſſequetur, quoniam particulæ aeris in ſingulas cruoris maſſulas penetrant. Ad hæc ſequenti modo reſpondet Clariſſ. Michelottus; primum gratis aſſumitur, liquores corporis noſtri a contactu aeris ſpiſſiores reddi, ſiquidem ſemen humanum ſubtilius inde fluidiusque fit. Deinde negatur, propter condenſationem ſanguinem in colore exaltari, & qui in vena pulmonali, & arteriis vehitur, compactiorem eſſe ſanguine in venis & arteria pulmonali incluſo, huncque colore rubeo haudquaquam ſplendentem, aeris ope ad condenſationem redactum æque ac illum purpuraſcere. Quod autem a condenſatione rutilus ſanguinis color non oriatur, cruor demonſtrat in quibusdam morbis craſſeſcens, qui vel flaveſcit, vel albicante cuticula eſt obductus: nec ſtante hac hypotheſi inferiora hujusmodi coaguli ſtrata nigreſcerent, quæ uſque adeo firma & indurata quandoque conſpiciuntur, ut cultro difficulter diſcindi queant. Et cum ſanguinis ruborem determinatæ magnitudinis ſphærulæ ſeu globuli, certo numero peculiarique ratione invicem coeuntes, præſtent, aer exaltat hunc colorem, dum ſanguinis particulas vi ſeſe dilatandi ociſſime agitat, & ne plura planoovalia corpuſcula, primæ compoſitionis globulos compingentia, ad colorem rubrum ſaturum producendum uniantur, prohibet. Quo poſito evidens Autori videtur, aerem in pulmones irrumpentem non cogendo, ſed continue renitendo & coagitando ſanguinis maſſulas, ut is rutileſcat, efficere. Quandoquidem igitur haud abſolute verum eſt, cruorem nullo non tempore rutilantem colorem adipiſci, quin eodem temporis momento fiat denſior; non recte ex colore coccineo ſanguinis, in vena pulmonali & arteriis contenti, Helvetius deduxiſſe videtur, ſanguinem arterioſum venoſo ſanguine denſiorem exiſtere, nihilque inter

hunc

Fig





Digitized by Google

Digitized by Google

hunc & illum præter denſitatem intereſſe. Neque ex eo, quod miſſus ſanguis calicibus exceptus, aerique libero expoſitus coagulatur, & ſuperficietenus colore micat purpureo, recte infert, a condenſatione ab aere facta hoc phœnomenon dependere. Nam ante omnia diſcrimen faciendum eſt inter coagulationem & condenſationem; dein ſanguinis vaſculo excepti craſſamentum ſpiſſum firmumque evadit, non aeris prementis aut condenſantis virtute, ſed motus ceſſatione, qua fit, ut ſanguinei craſſamenti partes, fibræ nimirum & globuli, ſeroſis particulis ponderoſiores, deorſum ferantur, ſeſe mutuo petant, ac inter ſe implicentur: ſuperficies vero rubet, quia majori globulorum coccineorum, fibris ſanguinis graviorum, parte deorſum ſubſidente, ille ſolummodo ſphærularum rubearum, peculiari modo ſibi aptatarum, numerus ſummis fibrarum ſanguinearum areolis irretitur, qui requiritur, ad lucis purpureos radios repellendos. Nec inferiora ſanguinei coaguli ſtrata ſemper mollia aut laxa deprehenduntur. Quod ſanguis concretus, ſi invertatur aerique exponatur, colorem rubeum ſplendentem acquirat, propterea fit, quoniam globuli ſanguinis antea ſubſidentes & acervatim ſuperimpoſiti primum aeris actione nonnihil agitantur, inde quoad majorem partem pro ratione gravitatis iterum deorſum ruunt, quapropter paucioribus globulis in inverſa craſſaminis ſanguinei fibroſa parte reſtantibus, villoſisque fibris ſe mutuo apprehendentibus, illa ipſa inverſa ſuperficies & rubeſcit, & ſolidiorem compagem nanciſcitur. Sanguinis autem aut parva venæ apertura egreſſi, aut anguſtiore vaſe collecti ſumma ſuperficies rutileſcentis apparet coloris, & difficilius ſcinditur, reliquis interim ſtratis nigricantibus, cultroque minus renitentibus, ſecus ac evenit in ſanguinis vel in vas latum ac ferme planum injecti vel per anguſtiſſimum foraminulum educti coagulo, cujus inferiora ſtrata colorem & conſiſtentiam fere eandem atque ſuperiora habent, idque ex variis cauſis. Nam in vaſe latiſſimo peneque plano ſanguinis adhuc calentis & quoquoverſus diffluere nitentis globuli valde minorem quam in vaſe profundo & multum anguſto ad dilabendum offendunt reſiſtentiam: quamobrem ſanguineis ſphærulis multo confertiori copia in hujus quam illius fundo con-

gregatis, conſequens eſt, quod coloris & compagis differentia non admodum ſit notabilis. Porro in vaſe latiore aereæ particulæ ſanguinis globulos, ad ſtrata ſupremæ coaguli ſuperficiei ſuppoſita pertingentes,& facilius penetrare & fortius disgregare valent, quam in vaſe anguſto altiori. Ob eandem rationem non multum admodum intereſt inter colorem & firmitudinem ſupremæ & infimæ partis craſſamenti in ſanguine per minimum foramen proſiliente, inque anguſtum decidente vaſculum; ſiquidem ſubtiliſſimi ſanguinei fili globuli, præterquam quod effluendo a ſe invicem ſeparantur, facilius ab aere permeantur, validiusque exagitantur, quam globuli fili craſſioris, quod obſcuro eſt colore. Quæ autem Helvetius ſubjicit ad demonſtrandum, ſanguinem arterioſum venoſo denſiorem exiſtere, pro majori potius gravitate ac denſitate partium, coagulum venoſi cruoris conſtituentium, pugnare videntur: ſi enim coagulum ſanguinis arterioſi revera ſumma ac ima ſui parte æque rubet atque dureſcit, minus de ſua amittit altitudine, minusque in ſero ſubſidet, quam coagulum ſanguinis venoſi, neceſſario ſequitur, hoc illo ponderoſius, imo vero, poſita utrobique voluminis æqualitate, etiam denſius exiſtere. At vero ſanguinis ex arteriis educti concretam maſſam æque ſemper fulgere ſuprema ac infima ſui ſuperficie, nulla re intermedia tangente, admodum dubium eſt. Quod ad colorem rubrum ſplendidiſſimun ſanguinis arterioſi attinet, is non coagulationi globulorum ſanguineorum, ut Helvetius vult, ſed continuæ eorundem jactationi, ab alternis ſiniſtri ventriculi cordis & arteriarum pulſibus, nec non ab aere ſeſe expandere conante factæ,in acceptum eſt referendus, quemadmodum etiam ſanguis venoſus in vaſis vitreis aliquando pene nigricans fortiſſima jactatione in purpureum colorem exaltatur. Mutatio coloris, quando ſanguis venoſus per exiguum foraminulum in vas aliquod lente & guttatim depluit, ex eo evenit, quod guttulæ ſanguineæ, præterquam quod aliæ poſt alias ſeparatim cadendo ab aere jactantur, vi lapſus ad fundum vaſis alliſæ in minores globulos disjiciuntur, atque hoc pacto ad colorem arterioſi ſanguinis recipiendum excitantur. Sed ex iis quoque liquet, pulmones canis vehementi inflatione aeris in venam jugularem necati, ſanguine rutileſcente coagulatoque plenos apparere

pa-

paruiſſe, propterea quod diſcruciati canis pulmones primum mirum in modum una cum incluſo cruore fuerint concuſſi, inde vehementiſſime diſtenſi, ab ejusmodi autem vaſorum pulmonalium jactatione, ne plures coccinei globuli ad præſtandum colorem fuſcum accumularentur, fuit cautum: hinc continua flatus in venam jugularem vi ad dextrum usque cordis ventriculum & ad ipſosmet pulmones, motus preſſionis communicatione propagata, cruoris globuli per aquearum ſphærularum & fibrarum ſanguinis perexigua interſtitia huc illuc diſperſi, validiſſime in ductus pulmonales ad eos in continua diſtenſione detinendos, ipſique cruori urgendo ineptos reddendos adigebantur, atque idcirco nimia arteriolarum venularumque pulmonalium compreſſione, motu lationis ſublato, ibidem ſubſiſtendo in ipſarummet ſanguinearum fibrarum areolis æquali numero & poſitu, ad coagulationem & coccineam rubedinem progignendam irretiebantur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences. A. 1722.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum A. 1722, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem anni.

Pariſiis, ex typographia Regia, 1724, 4.

Alph. 2 plag. 19 Tabb. æn. 18.

IN *Phyſica generali Juſſieu* cornua *Ammonis* (quæ ſunt lapidum figuratorum ſpecies) cum nautilis comparat, atque oſtendit, illa non eſſe niſi nautilos petrefactos. Plures nautilorum ſunt ſpecies; plures etiam *Cornuum Ammonis;* trium ſimilitudinem evolvit *Juſſieu.* Nautili ſunt in numero teſtaceorum in mari Indiæ obviorum. Quamobrem cum cornua *Ammonis* magno numero in Gallia, Anglia, Helvetia & Germania reperiantur, *Fontenellius* inde concludit, quod olim mare Indiæ obtexerit totam Europam. *De Reaumur* deſcribit machinam *Greylianam*, qua incendium in conclavi ſubortum ſubito reſtinguitur, & experimentum Pariſiis factum, cui ipſemet interfuit. Ejus mentionem jam fecimus in Actis A. 1724 p. 408 & hoc Anno p. 181 ex conjectura *Thümmigiana* atque ex deſcriptione præſenti apparet, *Thümmigium* in

Digitized by Google

conjectando non fuiſſe infelicem. *Deslandes* mira narrat de inundatione arenoſa in Britannia minori, quæ Galliæ provincia eſt. Etenim non procul a littoribus maris ab anno 1666 terra ad diſtantiam quatuor milliarium Gallicorum obtecta fuit ſabulo, ita ut incolæ, quorum nunc ædes ſepultæ ſunt, nonniſi turrium faſtigiis & fumariis hinc inde eminentibus, loca habitata relinquere fuerint coacti. Progreditur quotannis inundatio, & hodie nonniſi dimidii milliaris intervallo diſtat ab oppido *S. Pauli*, ſucceſſu temporis tandem evacuando. Arenam valde ſubtilem magna copia & ingenti celeritate ſecum vehit Solanus & arctapeliotes ex vado, ubi arena accumulata ultra ſuperficiem maris eminet. Idem *Deslandes* autor eſt, aquam dulcem, poſtquam putredine corrupta fuit, mortuis vermibus, iterum fieri bonam. Dum altera vice corrumpitur, alia in eadem generari inſecta; immo adhuc alia, ubi tertia corruptio accidit. Fieri autem poſſe, ut trium menſium intervallo aqua ter, immo quater corrumpatur. Impediri corruptionem & inſectorum generationem, ſi dolia halitu ſulphuris accenſi inficiantur, vel aquæ ſpiritus vitrioli exigua quantitas affundatur. Ceterum ut aqua marina ſalubris fiat, eam non a ſale, ſed amaritudine purgandam eſſe cenſet. *De Mairan* meminit novæ ceræ ſpeciei, quæ ex granis cujusdam arboris in India excoquitur. In terræ motu, de quo dictum Menſe Martio p. 109, & qui contigit noctu inter 7 & 8 Decembris A. 1720, nova inſula prodiit, quæ in diſtantia 7 vel 8 milliarium Gallicorum conſpicitur; ſed Menſe Martio A. 1722 jam inſigniter imminuta fuit. *De Malezieu* ſingulare prorſus vidit phænomenon trium Solium in eodem circulo verticali poſitorum & ſeſe mutuo contingentium d. 24 Octobris A. 1722. Unus occidit poſt alterum, cumque tertius ſolus reſtaret, inſtar veri luminoſus apparuit. Antequam occiderent, omnis terra circumjecta quaſi ardere viſa. *Maraldus* A. 1721 deprehendit quantitatem aquæ pluvialis 12 dig. $7\frac{1}{3}$ lin. Idem d. 16 Octobr. A. 1721 & d. 4 Jan. 1722 obſervavit declinationem acus magneticæ 13° verſus occidentem, ita ut intra biennium ſtationaria viſa fuerit.

In *Anatomicis* novam morbi ſpeciem deſcribit *Petitus* ſub nomine *carnificationis oſſium*, quam pluribus obſervationibus confirmat. Oſſa ſcilicet duritiem amittunt, fibris eorundem carneis

neis propemodum aſſimilatis. Notatu vero dignum eſt, quod oſſa ſæpius abierint in carnem, immutata prorſus cartilaginum ſubſtantia. *Morandus* obſervationes nonnullas de oculorum ſuffuſione communicat. *Littre* caſum ſingularem recenſet, ubi uterus & difficultas reſpirandi eandem habuere cauſam. Vulgi opinione conſtat, ſoleas a carabis gigni. *Deslandes* cum inſignem caraborum multitudinem in labro ligneo aqua marina pleno aſſervaret; tredecim diebus elapſis octo vel decem ſoleas exiguas deprehendit. Repetito ſæpius experimento, idem ſemper fuit eventus. Re tandem accuratius examinata, vidit ovula ſolearum inter pedes caraborum magno numero obvia, in quibus ope microſcopii embryonem diſtinguere licuit: ut adeo carabi excludant ovula ſolearum. *Godofredus* commemorat menſtrui ſanguinis anno ætatis 40 ob fœtum tubarium defectum, qui tandem in maſſam irregularem excrevit & anno decimo quinto mortem intulit matri. *Freſier*, Architectus militaris Regius in inſula S. *Dominici*, refert, natum ibidem fuiſſe vitulum, cui ſquamæ pilorum loco fuerint. Fertur eſſe effectus imaginationis vaccæ gravidæ metuentis ſibi a crocodilo vaccis infeſto. Denique *Lemery* autor eſt, virum Religioſum ſtato tempore per octo jam annos vomitus pati, materia excreta urinæ ſimili. A vomitu ingentem ſentire dicitur in renibus dolorem. Ceterum A. 1722 *Helvetius* edidit *Ideam generalem œconomiæ animalis & obſervationes de variolis*, cujus argumentum *Fontenellius* recenſet. In ſolis Commentariis extant duo ſchediaſmata *Petiti*, Chirurgi, alterum de luxatione cruris; alterum de ruptura tendinis, cui *chordæ Achillis* eſt nomen. Ibidem quoque reperies obſervationes *Morandi* de hydatidibus & obſervationes miſcellaneas *Winslovii*. Explicat hic ex principiis anatomicis, qui fieri potuerit, ut præſtigiator per nares clavos adigeret & vas aqua plenum fune mediante inde ſuſpenſum teneret. Deſcribit ſtructuram cranii ſingularem & alia ad oſteologiam ſpectantia. *Morandus* vero in cadavere militis reperit ſaccos membranoſos pluribus viſceribus infimi ventris annexos & hydatidibus innumeris plenos.

In *Chymicis* vegetationes artificiales expendit *Petitus*, Medicus, eas præſertim, quæ nihil metallici continent, ſed tantum ex ma-

teriis ſalinis, ſulphureis ac terreis fiunt. Uſus eſt potiſſimum nitro depurato, cryſtallo minerali, ſale Armoniaco, ſale marino, ſale de duobus ſeu ſale ex capite mortuo aquæ fortis ex nitro & vitriolo paratæ extracto, & menſtruis, aqua communi, vino, aqua calcis, variis ſpiritibus, ſubinde cum oleo Tartari per deliquium commixtis. *Godofredus* de impoſturis Alchymiſtarum diſſerit, & *Fontenellius* omnem philoſophiam hermeticam rejicit, negans, unquam metallum imperfectum, nedum aurum arte fuiſſe productum, vel radicaliter ſolutum. Prodiit A. 1722 liber, quem *de Reaumur* conſcripſit, ſub titulo Artis convertendi ferrum cuſum in chalybem & artis emolliendi ferrum fuſum, cujus argumentum prolixe recenſet *Fontenellius*. Liber utiliſſimus, cum opera ex ferro longe minori ſumtu parare doceat, quam vulgo fieri ſolet.

In *Botanicis* Florem terræ ſeu cœli, quem *Magnolius* & *Tournefortius* primi inter plantas retulerunt, deſcribit *de Reaumur*. *Godofredus* ſibi videbatur reperiſſe radices, ſed *de Reaumur* perſuaſus eſt, nullas dari. Hiſtoriam naturalem *Vagnillæ* exhibet *Juſſieu*, quam obtinuit a *Partietio* Conſule Gallo Gadibus in Hiſpania. Affertur enim ad nos ex America ab Hiſpanis, qui nomen indiderunt fructui. *Vaillantius* in condendis novis plantarum generibus pergit & ſtricturas quasdam in methodum *Tournefortii* edit.

In *Algebraicis* comparet integer Tractatus, quem *de Lagny* modeſto titulo de Progreſſionibus arithmeticis omnium graduum in infinitum inſcribit, cum in eodem agat de reſolutione æquationum determinatarum omnium graduum, quem adeo iſti in Hiſtoria ſubſtituit *Fontenellius*. Sumit autem *de Lagny* vocem progreſſionis arithmeticæ in latiori ſignificatu, ita ut per eam denotetur numerorum ſeries, quorum differentiæ vel primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ, vel quartæ, vel quintæ &c. in infinitum ſunt æquales. Et ex harum ſerierum indole deducit methodum ſuam extrahendi radicem ex æquationibus determinatis cujuscunque gradus. Promittit autem, ſe calculum integralem ſeu ſummatorium harum ſerierum alio tempore daturum & ad Geometriam appli-

Digitized by Google

applicaturum. Promittit etiam methodi ſuæ applicationem ad æquationes intricatiſſimas & compendia operationum.

In *Geometricis* ultimum ſchediaſma recenſetur, quod *Varignonius* exhibuit Academiæ Scientiarum & in quo reſpondet Religioſo cuidam Italo ante annos complures ipſum aggreſſo, quod cum recentioribus Geometris curvas inſtar polygonorum infinitorum laterum conſideraret. *Saurinus* difficultatem examinat, quam olim *Parentius* contra iſochroniſmum cycloidis movit & nuper *de Louville* renovavit. Nimirum 1 per principia Geometriæ recentioris arcus infinite parvus eſt chordæ æqualis & tempus mobilis per utramque viam æquale, & 2 arcus infinite parvus curvæ & circuli oſculatoris ſunt æquales & conſequenter idem quoque tempus deſcenſus per utrumque. 3 Secundum Galilæi ſyſtema tempus per diametrum circuli oſculatoris dimidiæ cycloidis eſt duplum temporis per diametrum circuli generatoris, & 4 tempus per chordam infinite parvam, qua terminatur ſemicirculus, eſt æquale tempori per diametrum circuli. Denique 5 ſecundum *Hugenium* tempus per ultimum arcum infinite parvum cycloidis eſt ad tempus per diametrum circuli generatoris ut ſemiperipheria circuli ad diametrum, h. e. fere ut 3 ad 2. Ex harum propoſitionum collatione difficultatem deduxere *Parent* & *de Louville:* inferunt enim ex 4 propoſitionibus prioribus, tempus per arcum infinite parvum cycloidis eſſe duplum temporis per diametrum circuli generatoris, quod per propoſitionem *Hugenianam* eſt ad hoc ut 3 ad 2. *Saurinus* admittit errorem aliquem, ſed qui nec a principiis pendet, unde *Galilæus* deduxit Chordarum circuli iſochroniſmum, nec ab iis principiis, quorum ope *Hugenius* detexit arcuum Cycloidis iſochroniſmum. Oſtendit nimirum, etſi in Geometria recentiori arcus infinite parvi cycloidis & circuli oſculatoris ſibi mutuo ſubſtitui poſſint, perinde ac arcus infinite parvus circuli oſculatoris ac ipſius chorda, tempus tamen per arcum infinite parvum & ejus chordam non eſſe idem. Etenim identitas arcus & chordæ infinite parvorum pendet inde, quod non differant niſi quantitate infinite parva ſecundi gradus, quæ reſpectu primi evaneſcit: quoniam vero vis verticalis, qua utrumque ſpatium per-

Digitized by Google

percurritur, eſt quantitas infinite parva ſecundi gradus, ejus reſpectu differentia ſpatiorum ſecundi gradus non evaneſcit, ut adeo temporibus inæqualibus percurrantur. Notandum vero, quod non chorda, ſed arcus minori tempore percurratur: id quod probare aggreſſus eſt *de Louville*, cum paradoxum videri poſſit ad curvam celerrimi deſcenſus non attendentibus.

In *Aſtronomicis* parallaxin Martis methodo *Caſſiniana* ſcrutatus eſt *Maraldus*, cum menſe Auguſto A. 1719 in oppoſitione cum Sole eſſet terræ proximus, non procul a Perihelio diſtans. Reperit autem parallaxin Martis 27 ſcrupulorum ſecundorum, unde ſequitur parallaxis Solis horizontalis 10 ſecundorum, qualem *Caſſinus* reperit A. 1672 & A. 1704, ubi eadem propemodum fuit Martis poſitio reſpectu terræ. Inveſtigavit quoque in commoda poſitione Veneris parallaxin, cujus a parallaxi Solis differentiam reperit eadem methodo 33 ſcrupulorum ſecundorum, quanta ex parallaxi Martis ante determinata per famoſam regulam *Kepleri* reſultat. Quoniam hodie multi ſpe præmii ampliſſimi obtinendi ducti arduum in re nautica problema de determinanda maris longitudine ſolvere tentant, qui nec ſatis intelligunt, quid quæratur, principiorum Geometriæ & Aſtronomiæ prorſus ignari, *Caſſinus* operæ pretium duxit de hoc problemate commentari. Argumentum ſcripti recenſet *Fontenellius*. *De Malezieu* egregium obſervavit Stampis Tabularum Solarium *Caſſini* cum cœlo conſenſum. Elevationem æquatoris in urbe iſta reperit 41° 34′ 30″ & A. 1720 d. 21 Junii declinationem Eclypticæ maximam 23° 28′ 42″. *Caſſinus* quædam monet de obſervationibus aſtronomicis, quas R. P. Feüillée, Mathematicus Regius, ad Academiam Regiam Scientiarum miſit. Cum A. 1720 d. 5 Martii Venus a Luna occultaretur, per limbum illuminatum h. 11 18′ 25″ eclipſari cœpta, ante occultationem tota ſuper diſco Lunæ apparuit, miro refractionis effectu. Eidem cauſæ tribuendum, quod ſubinde, vere præſertim & autumno, matutino & veſpertino tempore, montes *Corſicæ* inſulæ in tractu Genevenſi videantur, qui alio tempore quaſi undis ſubmerſi diſparent. Inſulæ hujus ſitum geographicum determinat *Maraldus*. Idem d. 28 Jun. 1722 obſervavit eclipſin lunarem. Penumbra attigit limbum Lunæ orientalem 12 h. 1′ 5″; ini-

initium eclipſaos h. 12. 15′ erat adhuc dubium, ſed h. 12. 16′. 20″ certum. Hor. 13. 22′ immerſio totalis erat dubia; at hor. 13. 24′. 20″ certa. Color erat ruber in obſcuratione totali: pars ſeptentrionalis paulo obſcurior erat meridionali. Hor. 14. 25′. 48″ emerſio erat dubia; at h. 14. 27′. 38″ initium emerſionis certum. Hor. 15. 36′. 45″ accidit finis totius eclipſeos. Duratio abſcurationis totalis ſeu mora Lunæ in umbra fuit 1 h. 3′. 18″; integræ vero eclipſeos 3 h. 20′. 25″. *Caſſinus* initium notavit h. 12. 16′. 37″, immerſionem totalem 13. h 23′. 46″, emerſionis initium h. 14. 27′. 20″, finem h. 15. 35′. 41″. Iidem d. 8 Decembr. A. 1722, præſente Rege, Verſaliis obſervarunt eclipſin Solis. Initium accidit h. 1. 42′. 58″, maxima obſcuratio h. 2. 51′. 30″, quæ erat dig. 6. 12″. Hor. 3. 44′. 30″ quantitas decreſcentis erat 2 dig. 44″. Mox cœlum nubibus tectum.

In *Mechanicis* de corporum reflexione tractat de *Mairan*. Prima parte diſſertationis ſuæ agit de reflexione corporum in planum immotum impingentium. Quodſi corpus latere deſtituatur, nullam fore reflexionem, ſed motum expirare debere, ſi directe impingat; mobile autem juxta planum, in quod impingit, progredi debet, ſi oblique impingat. Quodſi vero corpus fuerit elaſticum, tum demum locum eſſe reflexioni, cum in impactu comprimatur & mox iterum figuræ priſtinæ reſtituatur. Si elaſticum oblique impingit, tum motum obliquum more recepto reſolvit in duos ſimplices, quorum alter eſt verticalis, alter vero horizontalis. Horizontalem, cui planum ſeſe minime opponit, invariatum agnoſcit; verticalem vero mutari pro ratione impactus. Anguli incidentiæ & reflexionis æqualitatem pendere a duobus principiis, vi nempe horizontali conſtante & inalterabili, atque vi verticali per conflictum deſtructa & integra rurſus reſtituta. Quodſi iſta reſtitutio patiatur diminutionem vel augmentationem, rationem quoque anguli reflexionis ad angulum incidentiæ variari, atque adeo in natura rerum ob cauſas phyſicas vix unquam perfectam dari æqualitatem anguli incidentiæ & reflexionis. Differentiam omnem poſſibilem formulis algebraicis comprehendit *de Mairan*. Probat autem *Newtoni* placita, quod reflexio luminis a ſpeculo non fiat a particulis ſpeculi, ſed a particulis atmoſphæræ ipſum ambientis, quæ eſt eadem cum materia poro-

minimos replente. *Bon*, horologiopæus, oſtendit Academiæ Scientiarum pendulum a ſe inventum, quod indicat tempus verum, diverſum ab eo, quod A. 1717 dedit *de la Hire*. Utitur ea fini curva in ſe redeunte, quæ juxta tabulam æquationis horologii conſtruitur, quotannis in Ephemeride juſſu Academiæ Scientiarum edita ſub titulo: *la Connoiſſance des temps* extantem.

Mortui ſunt hoc anno *Cupletus, Meryus* & *Varignonius*. Eorum primus *Claudius Antonius Couplet* natus eſt Pariſiis d. 20 Aprilis 1642, patre *Antonio Couplet*, cive Pariſienſi. Patre ſic volente, Jurisprudentiæ ſtudio ſeſe tradidit & in numerum Advocatorum receptus fuit. Sed mox hujus vitæ generis pertæſus, opera *Buboti*, Coſmographi & Architecti militaris regii, in Matheſi profecit, cujus agnatam cum 24 annos natus A. 1665 in uxorem duxiſſet, ejusdem commendatione in Academiam Scientiarum A. 1666 fundatam receptus eſt, habitationem commodam in Obſervatorio regio cum cuſtodia machinarum nactus. A. 1670 Profeſſionem Matheſeos in equili majori regio a *Buboto* meruit, cumque illo tempore ſtupendi aquæductus fierent juſſu Regis, in arte libellandi, quæ novam prorſus formam induebat, multum profecit. Maximum, quod perfecit, opus fuit, quod in Burgundiæ oppidum *Coulanges la vineuſe*, fontibus deſtitutum, aquam ex fontibus ſcaturientem deduxerit A. 1705. Cum ex lacubus haurirent aquam, quibus exſiccatis, ejus tanta erat penuria, ut eam ex fonte, integro milliari Gallico ab oppido diſtante, arceſſere tenerentur, maximo in incendiis diſpendio, ad quæ reſtinguenda vinum flammæ ferali aliquando affundere coacti, & irrito prorſus ſucceſſu aquæ in vicinia ſæpiſſime fuiſſent quæſitæ; *Cupletus*, principiis ſuis confiſus, quod intra viſcera terræ ubivis ſint venæ aquam verſus declive deducentes, in ſolo ſabuloſo diſſipandam, in glareoſo & alio aquas ſiſtente colligendam, aquas repertas in oppidum feliciſſime deduxit, tanto incolarum gaudio, ut ad ejus adventum campanas fortiſſime pulſarent, maxima earum ob agitationem nimiam ſede ſua divulſa, & hymnum S. *Ambroſii* cantarent. Cupletus aliorum magis commodo, quam propriæ utilitati ſerviens, rationem aquarum inventarum candide exponebat, hanc inſcriptionem meritus:

Non

Digitized by Google

Non erat ante fluens populis ſitientibus unda,
Aſt dedit æternas arte Cupletus aquas.

Anno ætatis 79 apoplexia ipſi infeſta & mox altera vice repetita paralyſin in lingua & œſophago cauſata eſt. Morbo biennali enervatus A. 1722 d. 25 Julii ætatis 81 vitam cum morte commutavit. Fuit Academiæ Scientiarum Theſaurarius, in qua functione ipſi ſucceſſit filius.

Joannes Mery natus eſt Vatani in Biturigum Provincia d. 6 Jan. A. 1645, patre *Joanne Mery*, Chirurgo. Cum ex ſtudio literarum parum voluptatis perciperet, ad Chirurgiam animum applicuit & anno ætatis 18 Pariſios venit, ut in noſocomio proficeret, ubi exercitiis diurnis minime contentus, clanculum cadavera noctu in lectum ſuum deportavit, ut ex eorum ſectione proficeret. A. 1681, cum *Lamius*, Medicinæ Doctor, ſecundam editionem libri de anima ſenſitiva meditaretur, ab eo rogatus, auris deſcriptionem appoſuit, mox Chirurgi Reginæ ſpartam nactus. A. 1683 *de Louvois* ipſum Chirurgum Superiorem militum invalidorum conſtituit, & anno ſequente mittebatur a Rege Galliarum in Luſitaniam, Rege Luſitanorum Chirurgum petente, qui conjugi ægrotæ ſuccurreret: ſed antequam is advolaret, expiraverat Regina. Nullis vero precibus ſe adduci paſſus, ut vel in Luſitania, vel in Hiſpania ſedem ſuam figeret, in patriam mox rediit, ubi A. 1684 in Academiam Scientiarum receptus. A. 1692 juſſu Regis in Angliam abiit; ſed quænam fuerit itineris cauſa, nec conjux, nec liberi reſcivere. A. 1700 Chirurgus primarius noſocomii factus, obſervationes exactas curæ cordique habebat, neglectis ſyſtematibus; parum enim curabat, cur hæc ita ſint, non aliter. Muſæum habuit Anatomicum inſtructiſſimum. Fulget in eo ſceleton, ubi nervorum omnium ductus a primo fonte, usque ad extremitates comparent. Parum loquebatur de iis, quæ noverat, nec precibus exterorum adduci poterat, ut Anatomiam traderet. Varia ipſius ſchediaſmata leguntur in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum, de aere in pulmonibus, de iride oculi, de choroide, de nova nervi optici ſtructura, de generatione animalis absque coitu, & inprimis de circulatione ſanguinis in fœtu, ſeu de uſu foraminis ovalis, in quo univerſam Anatomicorum cohortem

ſibi contradicentem inſuper habuit. De hoc argumento A. 1700 peculiarem edidit Tractatum, cui ſubjunxit animadverſiones in novam artem ſecandi lapides. Quemadmodum difficillimus erat in admittendis placitis alienis, ita pertinaciter inhærebat ſuis & in diſputando non ſibi temperabat a fervore. Dicitur vidiſſe valvulam *Euſtachii* & glandulas *Cuperi* ante *Euſtachium* & *Cuperum*: enimvero, judice *Fontenellio*, inventa relinquenda ſunt iis, qui in publica poſſeſſione exiſtunt. Obiit d. 3 Novembr. A. 1722, ætatis 77, relictis liberis ſex. Per omnem vitam uſus eſt amico fideliſſimo *Varignonio*, & ultimos vitæ annos totos in exercitiis pietatis conſumſit.

Petrus Varignonius natus eſt Cadomi in Normannia A. 1654, patre Architecto, cui fortuna erat valde mediocris. Artem ruditer delineandi horologia Solaria a parente hauſerat, & ſtudio Theologico conſecratus, cum apud Jeſuitas Cadomenſes Philoſophiæ operam daret, forte fortuna in bibliopolio incidit in *Euclidem* & ejus lectionem antepoſuit Philoſophiæ ſcholaſticæ, æterna incertitudine, perplexitate Sophiſtica & inutili, immo affectata ſubinde obſcuritate laboranti. Geometriæ ſtudio ad *Carteſii* opera deducebatur, unde ipſi multum luminis affundebatur, improbantibus parentibus ſtudium, quod in iis evolvendis poneret, qui facile videbant, non eſſe libros ordinarios, quos tractarent commilitones. Ad Theologiam cum pedem promoviſſet, vetera ſtudia non deponebat, ſed ſæpiſſime in claſſibus Philoſophorum opponentis vice fungebatur. Commendabant opponentem argumentorum firmitas & vocis elatæ claritas. Firmam ea de cauſa amicitiam contraxit cum Abbate *S. Petri*, qui tunc in eodem collegio Philoſophiæ operam navabat, & qui ipſum contubernalem ſibi adſciſcebat, addito 300 librarum ſtipendio annuo. Uterque Pariſios venit A. 1686. Abbas potiſſimum ad mores hominum & principia regnandi, *Varignonius* vero ad Matheſin cogitationem omnem convertebat. Ipſorum ſodalitio frequentiſſime fruebatur *Fontenellius* conterraneus. *Varignonius*, cum conſtitutione corporis eſſet robuſta, continuis laboribus tempus conſumebat, ita, ut lucubrationibus intentus ſæpe miratus fuerit, jam alteram a nocte media elapſam eſſe horam. A. 1687 in publicum emiſit

Ide-

Ideam novæ Mechanicæ, dedicatam Academiæ Scientiarum, de qua olim diximus in his Actis, cum applauſu a Mathematicis excepta: & mox A. 1688 Geometræ locum in Academia Scientiarum & Profeſſoris Matheſeos in Collegio *Mazariniano* obtinuit. A. 1690 prodiere ipſius Conjecturæ novæ de gravitate, & Commentariis Academiæ Regiæ inſerta ſunt, quæ de motu analytice meditatus. Quæ enim de hoc argumento hactenus meditati fuerant alii, *Varignonius* formulis admodum generalibus complexus eſt, calculo *Leibnitiano* feliciſſime uſus, quem plurimum excoluit. In Geometriæ hiſtoria valde verſatus erat. Studiorum intemperantia morbum pertinaciſſimum ſibi conſciverat, ita ut ſex menſium ſpatio vita periclitaretur & tribus annis integris languorem perennem perciperet. In ſymptomate febrili ſubinde ſibi viſus eſt ambulare in media ſylva, ubi omnia arborum folia calculis algebraicis obſita. Illo tempore *Wallisii* ſpatia plusquam infinita refellere ſtuduerat, quod ſcriptum ipſo inſcio in Commentariis evulgari curavit *Carré*. Omnibus exemplaribus Ideæ novæ Mechanicæ diſtractis, de amplo opere Mechanico edendo cogitabat; ſed tempus eidem perficiendo non ſuppetebat, cujus non exiguam partem fruſtrabat commercium literarium cum eruditis, & quod plurimi cum exteri, tum indigenæ eum quotidie accederent. Pacis quamvis eſſet ſtudioſiſſimus, Religioſus tamen Italus impugnabat principia, quibus more modernorum Geometrarum uſus fuerat in tangentibus & angulo contactus curvarum determinandis. Et ex ejus reſponſione, quæ ſcriptorum ultimum eſt, quod Academiæ Scientiarum obtulit, relationem contexuit *Fontenellius* in Hiſtoria anni 1722. Duobus ultimis vitæ annis difficultate reſpirandi laboravit, & cum d. 22 Decembris A. 1722 lectionibus in Collegio *Mazariniano* vacaſſet, nocte ſequente ſubita morte extinctus. Non vidit *Fontenellius* quenquam, qui conſcientiæ ſuæ magis rationem habuerit, quam *Varignonius*, ſeu exactius ſatisfacere ſtuduerit judicio mentis interno. MScripta legavit *Varignonius* amico ſuo *Fontenellio*, qui Mechanicæ editionem & commercium literarium una cum relatione de ceteris publice promittit.

Notandum denique, ſub finem Commentariorum comparere

Digitized by Google

Scriptum a Societate Regia, quæ Montepeſſulano floret, ad Pariſienſem miſſa, in quo *Seneſius* continuat praxes Geometricas de ſoliditate fornicum determinanda, quarum pars prior ſubjuncta eſt Commentariis A. 1719.

Ausführliche Anleitung zu der gantzen Civil-Bau-Kunſt ꝛc.

i. e.

INSTITUTIONES COPIOSÆ TOTIUS ARchitecturæ Civilis, quibus, præter Deſcriptionem vitæ, V Ordinum, præcipuorumque ædificiorum J. BAROZZI DE VIGNOLA, nec non MICH. ANGELI, quicquid ad Architecturam civilem pertinet, luculenter explicatur atque illuſtratur; antea Gallice collectæ atque editæ ab A. C. DAVILERIO, ac deinde in linguam Germanicam translatæ, multisque Annotationibus & ſchematiſmis auctæ a L. CHRIST. STURMIO; nunc cum nova & pleniore editione Gallica collatæ, correctæ, atque accurato Indice inſtructæ.

Auguſtæ Vindelicorum, apud hæredes Jerem. Wolffii, 1725, 4. Alphab. 2 plag. 8 & Tabb. æn. 150.

QUanta ſit apud Architectos J. Barozzi de Vignola autoritas, neminem præterire poteſt harum rerum vel mediocriter peritum. Complures quidem extant editiones præclariſſimi ejus libelli, ſed palmam ſine dubio meretur illa, quam Gallice adornavit luculentiſſimoque Commentario illuſtravit A. C. Davilerius. Prodiit ea primum Pariſiis 1691, ſub titulo, *Cours d' Architecture*, ac deinde iterum Amſtelodami 1694: quo anno etiam in Actis noſtris recenſita & collaudata eſt. Tranſtulit hoc opus Davilerii in linguam Germanicam atque Amſtelodami edidit B. Leonh. Chriſt. Sturmius, Vir haud dubie de Architectura meritiſſimus, atque hoc nomine a nobis ſæpius commemoratus; idemque novas quasdam annotationes delineationesque adjecit, ac præfationem præmiſit, in qua potiſſimum de libris ad addiſcendam Architecturam pertinentibus, deque ipſius clariſſimi Editoris

ris in hac arte progreſſibus, exponitur. Nunc cum & exemplaria hujus Editionis omnino diſtracta ſint, ut haberi amplius vix queant, & nova haud ita pridem editio Gallica prodierit, compluribus capitibus, ad conſtructiones podiorum, caminorum, ſcalarum, contabulationum, ſpectantibus aucta, operæ ſane pretium fecerunt hæredes B. Jerem. Wolffii, Auguſtani, quod Verſionem Germanicam Sturmianam, cum Gallica modo commemorata diligentiſſime collatam, denuo recudi eleganter, correcte, & cum pleniore Indice, curarunt.

DE OPTIMIS STUDIIS ORATIONES X JACOBI FACCIOLATI, S. Theologiæ Doctoris, & in Seminario Patavino Stud. Præfecti. Accedunt Laudatio Funebris, Commentariolum de Latina lingua, & Exercitationes aliæ.

Patavii, apud Jo. Manfré, 1723, 8.
Alphab. 1 plag. 3.

QUam varie ſe diffundat Celeb. *Facciolati* ingenium, quanta & eidem inſit vis in dicendo, ſi non aliunde conſtaret, quamvis vel nobis teſtibus ſatis conſtare poteſt, hæ certe Orationes abunde docerent: in quibus recenſendis otium nobis ipſi quodammodo fecimus, qui aliquas earum ſeparatim editas jam antea recenſuimus. Et primæ quidem, quæ *ad Grammaticam* inſcribitur, brevem jam pridem mentionem fecimus in Actis A. 1714 M. Dec. p. 563: illud nunc addimus, Autorem, incertas admodum eſſe Grammaticorum regulas, paſſim contendere, quod inter multa Emanuelis Alvari, qui de ſola nominum, verborum ac participiorum conſtructione quingentas ferme regulas compoſuit, exemplo docet, qui verbum, *AMO*, Activum pronuntiat: at Facciolatus ipſi Auſonium opponit, qui ad Neutra hoc verbum refert: *Ut apud Deum fieri amat*; cumque ille aſſerat, nullum alium caſum poſcere hoc verbum, quam Accuſativum, Noſter cum Genitivo jungit: *Nolo Thaidem amare tanti*; atque ita multis ipſius regulas perſtringit. Imprimis vero riſui & ludibrio exponit ipſas Grammaticorum inter ſe contentiones, quibus illi

in-

incertam rerum ſuarum fidem luculenter ſatis produnt; ut cum de Pronominum cauſa, numero ac natura longe aliter Varro, aliter Probus, aliter Priſcianus, aliter Donatus, aliter ipſe Quintilianus ſentiant; Valla caſtiget Priſcianum, quod ficum morbum quartæ Declinationis fecerit; in hunc item invehatur Petrus Ramus, quod ficum fructum maſculo genere extulerit; Imperſonalia dicat Alvarus, *decet*, *pœnitet*, *pluit* & ſimilia; nulla dari Imperſonalia, teſtetur Deos hominesque Scioppius. Hinc illa eſſe puerilia fere tantorum virorum jurgia & contumelias; litterarum porcum Varronem dici a Palæmone; Priſcianum græcum hominem Latinæ linguæ fucum illiviſſe, credere Alvarum; Vallæ elegantias a Ramirezio de Prado inelegantes appellari; Donatum, Probum, Servium, Chariſium monſtra Latii vocari a Scioppio; imo & hunc miſerabilem Litteratorem ab Hornio, virum deſultoriæ levitatis a Labbeo, canem Grammaticum a Lambecio. Denique & ipſum Orationis genus, cui aſſueſcere ſolent Grammatici, egregie carpit, & Terentium Varronem ex antiquis, Julium Cæſ. Scaligerum e recentioribus in theatrum producit. De altera *ad Humanitatem* non eſt ut nunc repetamus, quæ in Actis A. 1715 M. Jun. p. 279 dicta ſunt. Sequitur *ad Rhetoricam* Oratio tertia, in qua de cura verborum, quæ præcipua debet eſſe Rhetori, verba facit, eos imprimis adortus, qui præcipuas eloquentiæ partes volunt, invenire ac diſponere, eloqui vero poſtremam, ceu minimi laboris, nulliusque fere dignitatis. Hos tum ipſo Eloquentiæ nomine, quod ab eloquendo dictum, tum & aliorum teſtimoniis refutat; ut Ciceronis in Orator. Cap. 14 dicentis, *inventionem ac diſpoſitionem prudentis hominis eſſe*, *Eloquentiam Oratoris;* necnon M. Fabii, qui lib. 8 in proœm. *elocutionis rationem partem operis difficillimam* vocat; imo ipſius etiam Cæſaris, qui, *ſumendam a verborum delectu eloquentiæ originem*, contendit. Nimirum inventionem ac diſpoſitionem ad Dialecticam pertinere, ſolam eloquentiam ad Rhetoricam, nec illos Græciæ Oratores celeberrimos, ut Piſiſtratum, Solonem, & Cliſthenem, ceterosque omnes, qui Athenis ante Periclem & Thucydidem dixerunt, Oratorum nomen mereri, quod invenire ac diſponere probe quidem ſciverint, ſuaviter vero ac eleganter eloqui

qui

qui plane ignoraverint. Nec mitiorem ſperandam Ciceroni fortunam fuiſſe, ſi, quæ ſingulares, exquiſitæ, imo plane divinæ ſunt ipſius ſententiæ, hiulca quadam & inquinatiſſima aut Apuleji, aut Tertulliani, aut Marcellini dictione involutæ fuiſſent. Jam vero, quod ſua illis conſtet præſtantia ac dignitas, verborum ſuavitatem efficere. Nihil vero ſecundum Iſocratem, uti Plutarchus in vita ejus refert, eſſe aliud artem Oratoriam, quam facere de parvis magna, de magnis parva, ad quod efficiendum neceſſe ſit, ut omnium figurarum artes probe calleamus, iisque tum extendere res, tum contrahere ſciamus. In Orat. IV *ad Philoſophiam* ſolam adoleſcentibus hiſtoriam Philoſophicam commendat, ſubtiliorem vero omnem cogitandi rationem diſſuadet, propterea, quod ingeniorum debilitas altiorem doctrinarum indagationem ferre nequeat, nec tantum ipſis ſit judicii, quantum ad dignoſcendum verum requiritur, multo vero facilius ſit, variorum referre hac & de illa re ſententias, quam ſuam ceteris addere, aut certi cujusdam Philoſophi opinionibus inhærere, ad quas penitus intelligendas in omnem ipſius doctrinam variasque quæſtiones alias ſubtili quodam acumine ſit excurrendum. Delabi enim in varios præjudiciorum errores adoleſcentem, qui prima ſtatim ætate, deficiente plane judicio, Philoſophiam affectet, doctrinamque aliquam magis juvenili quodam impetu, quam certi verique conſcientia arripiat. Expectandam potius maturam ætatem eſſe, judiciique vires præſtolandas; tum demum, quid optimum, quidque rectum ſit, judicandum. Nec ipſum inanem eſſe, qui ex hiſtoriæ Philoſophicæ notitia depromatur, fructum, cum in interpretatione autorum, inprimis Poetarum, non parum illa afferat utilitatis, & horum nonnulli Stoici, Epicurei nonnulli, plures Socratici, imo & Peripatetici ac Pythagorei quidam inveniantur, quos ſi quis inſpexerit ignarus hiſtoriæ Philoſophicæ, illum hæſitaturum, nec, quid ſibi velit autor, intellecturum. Hinc illam eſſe Criticorum ignorantiam, Homero infauſta multa minitantium, quod ineptæ fabulæ autorem illum crederent, rerum pulcherrimarum, quas ex vetuſta Ægyptiorum ac Phœnicum diſciplina collectas fabulis illis incluſit, ignari æſtimatores. Oratione VIII *ad Theologiam* id agit, ut Theologum neminem dici poſſe doceat,

Digitized by Google

niſi qui pius ipſe ſupremi Numinis cultor ſit, quique ad modum Socraticorum, qui ita omnino vivebant, quemadmodum docebant, magis ſuo exemplo, quam doctrina ad virtutem & Dei reverentiam alios concitet. Qui enim intentius de ſapientia & eruditione, quam de vitæ innocentia curent, ac in eo multum laudis quærant, ut vel novi ſectarum autores quondam audire poſſint, vel dubitent de eo, quod tot ſeculis ſuo conſtitit valore, hos nomine Theologorum indignos credi, & quam infelici produxerant ingenio, in alios etiam peſtem derivare. Sexta Oratio *ad S. Scripturam* veterum linguarum ſtudia illis commendat, qui ſubtiliori, quam plebs ſolet, judicio circa Scripturæ S. indagationem verſantur. Eſſe enim omnino quædam, aſſerit, S. Scripturæ loca, in quibus forte non ſuffecerit, illam, quam dicimus Vulgatam, Bibliorum verſionem cognoviſſe, ſed quæ ex fontibus explicari neceſſe ſit. Lexica nonnulli opponunt, quibus nimium temporis videtur impendendum eſſe linguarum exercitio; ex iis enim omnia, quæ cognitu difficiliora ſint, depromi facile poſſe, exiſtimant. At his, regerit *Facciolatus*, memoriæ magis, quam ingenio & judicio conſuli. Inter exempla varia maxime urget vocem סֶלָה Pſalmo LII, fruſtra de ea conſuli Lexicorum oracula ratus, cum parum referat inveniſſe in iis variorum de illa ſententias, quod e. g. Junius & Tremellius Adverbium, Paulus Burgenſis & alii vocem ἐγκλιτικὴν, Matthæus Polus Exclamationis ſignum, Calovius & Olearius pauſæ ſignificationem, Buxtorfius muſicam notam faciat. Horum vero omnium quis rectius ſtatuat, tacere Lexica, nec ſine ſolerti linguarum ſtudio cognoſci. Adducit inde loca multa alia controverſa, ut de verbo הַיֵּמִם Geneſ. XXXVI, de קָרַן Exodi XXXIV, de לַמֹּלֶךְ Levitici XX, de הַכֻּשִׁית Numer XII, in quibus explicandis judicium Criticum requirit. Hinc extollit illud Concilii Viennenſis, trecentorum Epiſcoporum ipſiusque Pontificis præſentia venerabilis, decretum, a Gregorio XIII, nec non Paulo V confirmatum, quo non minus Hebraicis, quam Chaldaicis, Arabicis, Græcisque etiam litteris ſuus in quavis Romana provincia locus conceſſus eſt. Oratione VII *ad Juris prudentiam* imprimis docet, omnes gentes Romanis legibus operam dare, ſed ſuis vivere debere. Duabus ergo partibus omne ora-

orationis caput abſolvit; altera, nullum eſſe jus ad cognoſcendum Romano præſtantius, altera, patrias leges hoc jure temperari oportere, oſtendit. Ideo vero illud ceteris præfert, quod egregie Legislator id, quod honeſtum, bonum, ac decorum ex naturæ principiis eſt, obſervaverit, nihilque bonum aut malum lege ſanxerit, quod non animus noſter ſponte ſua & cogente nullo arripiat, ſeu deteſtetur. Opponit hiſce leges aliarum gentium, quibus id, non dicam conceſſum, imo juſſum erat, quod natura ipſa horrore quodam deteſtatur. Ita Maſſagetis nec inhoneſtum nec deteſtabile viſum fuit, uxores habere promiſcuas, incertamque ſobolem educare: Filias in matrimonium ducere, non indecorum Perſis fuit, nec ſorores, Athenienſibus: eſculentorum furta Spartani probarunt, otium & ignaviam Sybaritæ. Hinc Cicero libro de Orator. c. 44: *Jus civile* inquit *Romanorum multis præclaris artibus excultum, ceterarum gentium inconditum fuiſſe, ac perridiculum, ne Lycurgi quidem libris, aut Draconis, aut Solonis exceptis.* Orationi VIII *ad hiſtoriam* titulum fecit: *Qualecunque hiſtoriæ genus ad omnes pertinet, criticum ad paucos.* Nimirum homines oſtendit ab ipſis incunabilis rerum novarum inſatiabili quadam cupiditate trahi, cum, ipſos infantulos vix ita crepundiis ſuis delectari, appareat, quam fictis illis nutricularum narratiunculis. Illam creſcere cum annis, ſemperque animis inſidere, donec cum vita omnis, quo agitamur, ardor exſpiret. Inde ad cunctas diſciplinas digreditur, nullamque perhibet ſine hiſtoriæ ſtudio ſolide poſſe excoli; non Poeſin, quæ facta imitari fingendo ſolet, non Eloquentiam, quæ rerum vetuſtarum exemplis tum ad ornandum tum ad probandum interdum utitur, non Juris prudentiam, quæ ſine Romani Imperii totiusque antiquitatis notitia explicari ac intelligi nequit, non Civilem ſcientiam, quæ multiplici rerum publicarum hiſtoria conſtat, & ex ea maxime conflata eſt. Neque etiam in ipſa Philoſophia morum doctrinam quidpiam eſſe aliud, quam hiſtoriam, aut cum hiſtoria ita conjunctam, ut, ſi careat exemplis, ſcholaſtica ſit, jejuna ac ſupervacanea. At maxime illa opus habere Theologum, quem probe noſſe oporteat omnes Moſaicas narrationes, acta Pontificum & Conciliorum, priſcorum Patrum res geſtas, vitasque Apoſtolorum & Martyrum.

Digitized by Google

rum. Criticum vero hiſtoriæ ſtudium neque opus eſſe ab omnibus excoli, neque ſine magno labore multisque ſubſidiis poſſe acquiri. Ut enim obſcuriſſimam antiquitatem excutiat quis, probet, caſtiget, excipiat, condemnet, pleraque genera rerum, linguarum, ſtudiorum inveſtigaſſe ipſum oportere, plurima legiſſe, vidiſſe, audiiſſe, ac percepiſſe ex omni vetuſta recentique doctrina. *Ad Ethicam* pergit Oratione IX, in qua ſolis Poetis moralem inſtitutionem vindicat, nec jure competere Philoſophis exiſtimat, ex eo potiſſimum, quod malit mens humana ſub jucunda imagine molliter flecti, quam ſeveris præceptis ad virtutem obſtringi. Quæ ultima eſt Oratio *ad Mathematicam*, minime nos morabitur, cum de ea abunde dictum ſit in Actis A. 1722. M. Oct. p. 509 Neque eſt, ut quicquam dicamus de Oratione XI in funere Georgii Card. Cornelii, IV Id. Aug. 1722 mortui, habita, quæ ceteris acceſſit, cujus Viri vitæ compendium deſcripſimus in Actis ejusdem Anni & Menſis p. 512, aut de vita Phil. a Turre, quam integram dedimus in Actis A. 1717 M. Aug. p 381. Prodierat & jam olim cum Oratione ad Grammat. alibi memorata, Commentariolus de ortu, interitu & inſtauratione linguæ Latinæ, quem hic diligentius elucubratum recudit Cl. *Facciolatus*, qui & poſtremo Epiſtolas de vocibus, *Nepos*, *Artopta*, *Locus* & *Nota*, quam ultimam vocem pro adnotatione aut explicatione temere ab ipſis Criticis uſurpari obſervat, Exercitationes item, quas vocat, Literarias, ex more atque inſtituto Seminarii Patavini, cui præeſt, recitatas, & alia quædam, quæ mira dictionis elegantia placent, ſubjunxit.

EXEMPLIS ILLUSTRATA ANALECTA ſtyli, quæ ex ore Divi CONRADI SAMUELIS SCHURZFLEISCHII, Polyhiſtoris incomparabilis, Vitembergæ quondam calamo excepta, nunc vero in uſum ſtudioſæ Juventutis ſunt exhibita a M. JO. CHRISTIANO KNAUTH, Strebl. Miſn. tertio docentium Lycei Dreſd. ad Divum divæ Crucis Collega.

Dreſdæ, ſumtibus Editoris, literis Cruſianis, 1725, 8.

Alph. 1.

Non

NOn tam de Manibus B. Autoris, qui, ſi hæc de ſtylo Analecta, quæ privatis ſcholis communicaverat, prodire olim in lucem voluiſſet, longe magis haud dubie exaſciata dediſſet, quam de ſtudioſa Juventute mereri voluit Cl. Editor, qui illa, hactenus non ſemel calamo a noſtris deſcripta, publici tandem juris fecit. Dedit in iis præcepta Celeb. Autor tum generatim de ſtylo, tum ſpeciatim de diverſis ejus generibus, de periodis ac menſura pedum orationis proſæ, de particulis recte componendis, de inveniendis argumentis, de iis, quæ pertinent ad Oratorem Civilem in deligendis Autoribus Claſſicis, de Charactere hiſtorico, qua occaſione conciones quasdam Livii earumque imitationes proponit, de ſcribendis Epiſtolis, ut & de Epiſtolæ partibus, ſubjunctis Ciceronis nonnullis, ut & ſuis & amicorum Epiſtolis, quibus accedunt poſtremo carmina quædam in laudem Editoris ſcripta. His interſperſæ ſunt p. 58 Particulæ quædam ex Cicerone, Cornelio Nep. & Vellejo Paterculo collectæ, ut & p. 312 ſelectiora loquendi genera, quæ in Lexicis vix invenias. Nos, ut ceteris recenſendis ſuperſedeamus, quædam tantum acutiſſimi Autoris de eruditis judicia, quæ larga manu adſperſit, enotabimus. Chriſtoph. Longolius, hortatu Petri Bembi, exquiſitiſſime imitatus eſt p. 3. Ciceronem, ita ut fuerint, (in quibus Majoragius,) qui eum ob nimium imitationis Ciceronianæ ſtudium reprehenderint, quamvis multo æquius de eo judicaverit Muretus, elegantis ingenii & judicii vir. In genere ſublimi Ciceronis Orationes pro lege Mani- 21. lia & pro Muræna, in tenui ejus Topica & Epiſtolæ quædam ad familiares, in mediocri Philoſophica & uterque Orator aliaque 24. commendantur. Demoſthenes apud Græcos primus numerum 31. excoluit, quem ſecutus ipſe Cicero. Ejusdem Ciceronis, quem identidem in exemplum proponit, liber ad Trebatium JCtum 76. ſcriptus, dignus dicitur, qui ab omnibus, præcipue a Jureconſultis & civilis prudentiæ ſtudioſis legatur, quod in eo & exempla ex jure civili petita ſint, & rationes egregiæ ad illud inſtitutum pertinentes, inveniantur. In Batavis magnam laudem adeptus eſt 121. M. Zuerius Boxhornius, quod ſtylum hiſtoricum perapte ad numerum oratorium compoſuerit, & ſumma vicinarum regionum ingenia recte ac liberaliter ad civile dicendi genus finxerit. Hu- 123.

go Grotius, priusquam imitari cœpit Tacitum, Julium Cæſarem legit diligenter, atque inde ſermonis Latini rationem regulamque ſumpſit. In exprimenda J. Cæſaris elegantiſſima ſimplicitate æſtimanda fuit opera Joh. Sleidani, cui in documentis rerum Jacobus Sturmius navavit inſigne ſtudium; in cultu ſermonis Johannis Sturmii conſuetudo ei profuit, multaque laude ejus ornatum ornavit. Ubertatem Livii multa cum elegantia & gravitate imitatus eſt M. Ant. Sabellicus, hiſtoriæ Venetæ conditor egregius, copioſeque laudandus. Inter epiſtolas variorum, de quibus accurate cenſet, meminit etiam Epiſtolarum obſcurorum virorum, quæ cum ad ignorantiam tum ad mores Monachorum reprehendendos comparatæ, Eraſmo tunc ex tumore, qui ei in facie natus erat, laboranti medicinam attulerunt. Nam cum ei a Jacobo Ammiano allatæ fuiſſent, atque is riſum tenere legendo non poſſet, raptus tumor eſt, atque ſine ope Medicorum Eraſmus convaluit.

p. 128. (beside "que ſumpſit. In exprimenda J. Cæſaris…")

236. (beside "imitatus eſt M. Ant. Sabellicus…")

M. CHRIST. HENRICI WEISII, LYCEI Chemnitienſis Con-Rectoris, Libri quinque de ſtylo Romano.

Chemnitii, apud Conradum Stœſſelium, 1724, 8.
Alph. 1 pl. 13.

De ſtylo Romano, ſive Latini ſermonis, cujus rite formandi ſtudium poſt religionis veræ, morumque honeſtorum præcepta, & Græcorum Latinorumque autorum interpretationem, præcipuam merito in ſcholis poſtulat induſtriam, jam bene multi operibus in lucem editis præceperunt. Quicquid vero ab aliis bene monitum invenit Autor clariſſimus, cujus Diſſertationem de Saxonum origine jam in Actis hujus anni pag. 76 recenſuimus, id omne pro muneris, quo cum laude fungitur, ratione, diſcipulis collegium ſtyli petentibus ut inſerviret, non ſolum in unum collegit, ſed etiam concinno ordine, & puro, perſpicuo, elegantique dicendi genere enarravit. Videlicet in libro I per VIII capita ea perſequitur omnia, quæ ad ſtylum univerſim ſpectatum referri poſſunt, utpote vocis ſtyli ſignificationem, ſtylique Ro-

Romani excellentiam, excolendi neceſſitatem, exultique utilitatem, autorum claſſicorum lectionem & imitationem, ſtyli exercitia & colloquia Latina. In reliquis vero Libris ad ſpecialiora progreditur momenta, & in Libro II de puritate XV capitibus: in III de perſpicuitate V capitibus: in IV de dignitate, qua voce decentiam moralem, ſive veritatis, prudentiæ, honeſtatis, & decori ſtudium intelligit, IX capitibus: & in V de elegantia ſtyli, Grammatica, Rhetorica & Logica, nec non de numero Oratorio, ſuavitate ſoni, & elegantia verborum ex rebus, quas notant, XI capitibus, docte non minus quam eleganter diſputat. Stylo itaque Romano uſurum primo reſpicere jubet linguam, qua ſcribitur, ut ſit pura; tum hominem, ad quem ſcribitur, ut illa, quæ afferuntur, citra difficultatem intelligere poſſit; porro ſuam ipſius dignitatem, ut fidem atque gratiam ſibi conciliet; & ultimo loco modum, quo ſcribitur, ut oratio non ſolum pura ſit, ſed etiam venuſta & elegans. Nos elegantiſſimum hunc libellum omnibus ſtyli elegantioris cultoribus de meliore commendare non dubitamus, quippe in quo invenient, quod in ſtylo & emendando & excolendo lectu obſervatuque digniſſimum.

NOVA LITTERARIA.

Eſt Holmiæ Vir quidam eruditus, qui Subſcriptionis lege vulgare in forma folii conſtituit opus inſigni ſtudio elucubratum, cujus hunc titulum typis impreſſum vidimus: ***Regni Sueciæ Hiſtoria Pragmatica, quam vulgo Jus Publicum vocant, inde ab initio Regni ad hoc tempus e traditionibus hiſtoricis, legibus non ſcriptis & ſcriptis, antiquis & recentioribus, provincialibus & communibus, tum pactis & conventis publicis, decretis comitialibus, & ſtatutis atque edictis regiis, &c. per rerum temporumque periodicas mutationes ingenue ac fideliter deducta, ubi etiam incidenter errores Autoris Anonymi Anecdotorum Sueciæ aliorumque deteguntur & refutantur. Holmiæ, typis Joh. Laur. Horrn, Reg. Antiq. Archiv. Typogr.*** Ex Schemate operis, quod titulo acceſſit, patet, poſt generalem ſtatus Regni Sueciæ notitiam, initia nempe, mutationes & diviſiones, formamque regiminis & jus Regium ſuccedendi, Leges hic conſiderandas eſſe tum primarias, quæ Regem ipſum, Or-

Ordines, Nobiles ſcilicet in corpore, claſſibus & familiis, Clericos, Civitates, ruſticos, Senatum porro, Collegia & Magiſtratus, etiam Academicos, obligant, tum ſecundarias, forenſes, permiſſivas ſeu privilegia, conſuetudinarias; denique œconomiam omnem expendendam, reditus nimirum, bancam publicam, rem metallicam, agriculturam &c. & quæ ad mercatores, artifices, advenas ſpectant.

In Belgio Typographi quidam Hagenſes & Amſtelodamenſes Illuſtriſſimi *Aloiſii Ferdinandi* Comitis *Marſili* Opus Danubiale, cujus jam pridem ſingulari Prodromo, A. 1700 in fol. maj. edito, nunc minori forma recuſo, & a nobis in Actis A. 1701 p. 84 recenſito, ſpem fecerat, typis mandare forma regia ac ſubſcribentibus vendere decreverunt. Continebit Opus, Leopoldi Imp. juſſu & impenſis ſuſceptum, Icones fere 400, a peritiſſimis Italiæ Magiſtris, ad hoc miſſis, ad vivum delineatas, cum juſta expoſitione, qua Geographia, Antiquitates & imprimis Hiſtoria naturalis Hungariæ egregie illuſtrantur. Exemplaria non ultra 625 imprimentur, ſiquidem Bibliopolæ, ſi numerus excedens reperiatur, ſibi ipſis ſtatuunt mulctam 10000 florenorum: nec de nova editione metuendum, cum Tabulæ omnes, exceptis Geographicis, Bononiam, abſoluta impreſſione, remittendæ, ibique inaurandæ & parietibus, ad perpetuam tanti operis memoriam, affigendæ ſint. Conſtabit vero ſex Tomis, quorum duo primi menſibus tribus poſt ſubſcriptionis terminum, qui ad Calendas Septembris hujus anni, nec ultra, protrahetur, duo a datis prioribus ſex menſium intervallo, reliqui poſt ultimam diſtributionem pari ſex menſium ſpatio, tradentur. Totius operis pretium erit 150 flor. Batav. quorum 30 in ipſo ſubſcriptionis momento, 40 prima, totidem ſecunda, totidemque ultima Tomorum traditione ſolventur. Ceterum quisque Tomus frontibus ad materiam pertinentibus, viticulis, & plurimis ornamentis, ab excellentiſſimis Italiæ cælatoribus inciſis, decorabitur. Apochas, propriis Bibliopolarum, qui editionem moliuntur, manibus ſignatas, tradent, & pecuniam ad ſe recipient, inter ceteros Hagæ Com. *David Martini*, Germanus, nunc ibi degens, & præcipui quique Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, Helvetiæ, & Belgii Typographi.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXV.

THESAURUS ANTIQUITATUM ET HIſtoriarum Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ & adjacentium, digeri cœptus cura & ſtudio JO. GE. GRÆVII, cum Præfectionibus PETRI BURMANNI.

Volum. VI, VII, VIII, IX & X.

Lugduni Batav. excudit Petrus vander Aa, 1723, fol. maj. Alph. 18½ Tabb. æn. 259.

CUm nobis, vix aliquot præſtantiſſimi hujus Theſauri Voluminum recenſione defunctis, continuo nova veniant perluſtranda, veniam facile impetrabimus, quod majori, quam optarent aliqui, brevitate in iis recenſendis utimur, quo aliis etiam libris optimæ notæ, qui quotidie prodeunt, locus relinquatur. Quinque iterum ſiſtimus Volumina, quibus novam Præfationem præmiſit Cl. *Burmannus*, in qua ſpicilegium quodammodo facit eorum, quæ in Præfationibus, ſingulis ſcriptis a Typographo vel Interpretibus præmiſſis, fuere neglecta & omiſſa.

Volumina VI, VII & VIII *Huberti Goltzii*, *Philippi Parutæ* ac *Leonardi Auguſtini* Sicilia Numiſmatica, ut & *Georgii Gualtheri* Tabulæ antiquæ Siciliæ occupant, quos ſcriptores in unum coegit Vir Cl. *Sigebertus Havercampius*, & Commentariis ſatis laborioſis illuſtravit, ita ut, quantum res litterariæ ferunt, teſte Burmanno, in hoc opere totius Siciliæ & civitatum ſingularum, per omnia ſecula, monumenta unum in conſpectum dederit. Etenim poſt *Goltzium*, cui uni, judice Havercampio, omnis Græ-

cia plus quam omnibus ſimul ſumtis debet Antiquariis, *Paruta* nummorum patriæ ſuæ longe majorem ediderat Theſaurum ſub tit. *Della Sicilia deſcritta con Medaglie. Parte I. Palermo 1612 f.* qui ſolos nummorum ectypos, indicatis tantum muſeis, ubi extarent, & cælaturæ dignitate notata, exhibuit, explicatione omni in ſecundam Partem, quæ nusquam tamen prodiit, rejecta; quem ſecutus *Auguſtinus*, coemtis tabulis æneis, additisque quingentis fere nummis, Romæ 1649. fol. recudit opus, nullis pariter additis notis, & omiſſa ipſa Parutæ præfatione & dedicatione, nummisque duobus ad hanc ſpectantibus. Denique *Marcus Majerus*, ſpe lucri, denuo recudit opus Lugduni in Gallia 1698. fol. non modo his quæ Auguſtinus neglexerat, verum & Parutæ indigitatione, quam ille provide retinuerat, omiſſa, ſimul tamen, ne Commentarius deſideraretur, pauca quædam, quæ *Inveges*, *Carrera* & *Mirabella* de quarundum urbium Siciliæ nummis obſervaverant, aliaque e Golzio, turbato ſubinde ordine, & nullo delectu, ut erat literarum fere expers, addidit. Cujus editionis exemplaria aliquot una cum tabellis (utimur verbis Cl. Havercampii) cum ſimiles Majero homines aliquot nacti eſſent, ſcirentque, ipſius Parutæ opus magno deſiderio ab eruditis flagitari, continuatis Auctionibus publicis intruſis ſemper aliquot exemplaribus, iisque divenditis accenſo pretio, aliis dein ſuppeditatis ex Tabellis iisdem denuo prelo ſubjectis, additaque pro more hædera *rariſſimi libri*, fecerunt, ut fucata illa editio ubique germanam Parutæ ſuffocaret prolem. Non poſſumus, quin de M. Majero hoc loco moneamus, eundem prelo paratos reliquiſſe nummos Neapolitanos & Calabros, quos in præfatione Siciliæ Parutæ promiſerat, eosdemque ante paucos annos prodiiſſe cum ejusdem brevi expoſitione, ſub titulo: *Il Regno di Napoli e di Calabria, deſcritto con Medaglie, arrichito d'una deſcrittione compendioſa di quel famoſo Regno; ed illuſtrato d'una ſuccinta Dichiaratione intorno alle ſue Medaglie, cavata da i più celebri ed approvati ſcrittori ſi antichi come moderni, da* Marco Maier. *In Lione 1717, f.* quem librum adjungere ſolent Bibliopolæ alteri, anno proxime antecedente Romæ (forte pariter Lugduni) hoc titulo edito: *Monete del Regno di Napoli da Roggiero primo Re ſino all Augu-*

ſtiſſimo

Digitized by Google

ſtiſſimo Regnante Carlo VI Imperadore, e III Re Catolico, raccolte, e ſpiegate da D. Ceſare Antonio Vergara, *Dottore dell' una e l'altra Legge. In Roma 1716, f.* quod opus præmiſſis Franc. Bianchini & Jo. Vignolæ cenſuris imprimis commendatur. Uterque liber, etſi exiguæ molis, figuris tamen haud paucis decoratus, & vix ultra centum, ut fertur, exemplis excuſus, ſatis magno pretio venditur. Sed his obiter annotatis, ad *Parutam* revertimur, in quo reſtituendo & Commentariis illuſtrando non fruſtra laboravit *Havercampius*. Præterquam enim quod, ſervato Parutæ civitatum ordine, ſingularum nummis Goltzianam deſcriptionem, cum notulis Parutæ, (Auguſtinianas, ſerius impetrata Auguſtini editione, præfationi ſeorſim adjecit,) tum & Majeri excerptis præmiſit; ipſe nummos Parutæ paſſim plusquam quingentis, accurate æri inciſis, a ſe detectis, immo & gemmis nonnullis auxit, & Introductionem in illos ac Commentarium ſatis prolixum ac eruditum ſuppeditavit; quibus denique ſubjecit Inſcriptiones veteres & novas Georgii Gualtheri, Panormi olim 1624 & Meſſanæ 1625, 4 editas, ſed hic, prout Parutæ ordo poſtulabat, diſcerptas ac translocatas. Eſſet hic locus longe ampliſſimus e Commentariis Cl. Havercampii, quas urbes hactenus ignotas invenerit, quos Clarorum Virorum vultus commonſtraverit, quas vel Græcorum vel Romanorum Colonias inveſtigaverit, quid novi in ſymbolis urbium, paſſim in nummis conſpicuis, detexerit, quæque ejus generis alia, ſpeciminis loco exhibere, niſi copia nos deterreret. De Gualthero, Germano, Auguſta quippe oriundo, obſervat Cl. Burmannus, eum circa veram lapidum lectionem perpetuo hæſitantem, nimium conjecturis in duplici editione indulgere, ut non multum ipſi fidere liceat; dolet tamen, eum denuo in Siciliam adnavigantem, forte ut ſecundas labori ſuo curas impenderet, in conflictu Melitenſium & Biſertenſium triremium ictu bombardæ a Barbaris exploſæ occubuiſſe, & ſimul ſcripta ejus, quibus Italiam illuſtrare meditabatur (nam in Præfatione ſe ad XX millia titulorum collegiſſe ſcribit) periiſſe.

Sequuntur Volumine IX *Joſephi Bonfilii & Conſtantii*, Equitis Meſſanenſis, Meſſanæ Deſcriptio, Libris VIII, Ven. 1606, 4 edita,

Digitized by Google

& *Placidi Reyna* Notitia Meſſanæ, cujus pars I Meſſanæ 1658, pars II ib. 1668, fol. prodiit Italice: utramque Vir Cl. *Jo. Laur. Mosheim*, S. Liter. in Academia Helmſtad. hodie Prof. ex Italico Latine vertit, & notis pereruditis illuſtravit, obſervans ſimul, eo majorem hunc præ illo fidem mereri, quo magis ab Annianis fabulis remotus ſit, addensque poſteriori Catalogum Codicum Græcorum, qui MSpti reperiuntur in Archimandritatu S. Salvatoris Meſſanæ. Succedit Ætnæ montis Topographia & ejus incendiorum Hiſtoria admodum accurata, autore *Antonio Philotheo de Homodeis*, qui ter A. 1533, 1540 & 1545 Ætnam longe feliciori, quam Plinius Veſuvium, ſucceſſu adſcendiſſe fertur; olim a Nic. Oddo Ven. 1591, 4 edita. Tum *Petri Carreræ* Deſcriptio Ætnæ, Catanæ 1634, 4 vulgata, ut & *Alexandri Burgos*, in Patavina Univerſitate hodie Profeſſoris, Terræ motus Siculi, qui contigit 1693, Deſcriptio: quod utrumque opuſculum ex Italico vertit *Havercampius*.

Volumine X comparent: *Petri Carreræ* Monumentorum hiſtoricorum Urbis Catanæ Libri IV, ex inſcriptionibus, nummis &c. collecti, & Catanæ 1639, fol. Italico idiomate editi, hactenus rariſſimi, quos una cum *Diodori Siculi* Epiſtolis, quas ſpurias eſſe, facile cum Burmanno credimus, & *Carreræ* ad easdem annotationibus, Latine nunc vertit *Abrah. Preigerus*; ejusdem *Carreræ* Diſquiſitio de vero ſignificatu numiſmatum quorundam Meſſanenſium, ſeu Mamertinorum, Catanenſium &c. ſive Refutatio & Cenſura Mariani Perelli, a Cl. *Havercampio* Latinitate donata; denique *Jo. Baptiſtæ de Groſſis* Catanenſe Decachordum, ſive noviſſima S. Eccleſiæ Catanenſis Notitia, qua tum Eccleſiæ, tum Secularis Politiæ Status univerſus ſignatur, cujus Tomus I Catanæ 1642, II ib. 1647, fol. prodiit. Hujus libri, non indocti, Autor melius famæ ſuæ conſuluiſſet, ſi, ut ſæpius ad Diplomata & MSpta provocat, ita Cluverium quoque & alios, per quos profecerat, nominare dignatus eſſet.

Dum hæc typis imprimuntur, nuntiatur nobis a perinduſtrio Typographo Lugdunenſi *Petro vander Aa*, prodiiſſe jam quinque ultima Theſauri Siciliæ Volumina, nempe XI, XII, XIII, XIV & XV, eoque abſolutum XLV Voluminibus nunc eſſe opus

Digitized by Google

opus integrum. Qua de re non poſſumus non publice gratulari Viro ſolertiſſimo, eo quidem impenſius, quod neminem meminerimus, Opus tam voluminoſum, tantis curis & impenſis, tantillo temporis ſpatio, (vix enim ultra biennium ſub prelo ſudavit,) in lucem edidiſſe. Ceterum cum primum ad nos pervenerint Volumina illa, quæ propediem exſpectamus, in iis recenſendis officio noſtro, prout conſuevimus hactenus, defuncturos nos pollicemur.

DOMINICI GEORGII DE ANTIQUIS Italiæ metropolibus Exercitatio hiſtorica.

Romæ, apud Georgium Plachum, 1724, 4.

Alphab. 1 plag. 4½.

AUtor hujus Exercitationis clariſſimus, Bibliothecæ antehac Cardinalis Ottoboni, iam Ioſephi Renati Cardinalis Imperialis Præfectus, in præmiſſa Dedicatione, *Innocentio XIII* P.R. inſcripta, omni diligentia ſe collegiſſe hic ſcribit, quicquid de clariſſimarum in Italia urbium præſtantia, ab Auguſtæi Imperii exordiis ad ejus occaſum, in literarum monumentis invenire potuerit, ut eas veluti ab interitu vindicaret. In Præfatione ad lectorem veteris Hiſtoriæ & Geographiæ utilitatem dum commendat, ad Philippi Cluverii Germaniam antiquam provocat, eundemque immenſo prope ac improbo labore veterem regionum & urbium Italicarum ſitum, collectis ex Græcis Latinisque ſcriptoribus, quæ in rem hanc congeri poterant, teſtimoniis ita illuſtraſſe fatetur, ut nihil excellentius, nihil laudabilius expeti poſſit. Ex Geographiæ itaque ſtudio multum lucis omnibus afferri diſciplinis cum ipſi perſuaſum eſſet, hac potiſſimum de cauſa ad hanc exercitationem conſcribendam ſe impulſum eſſe teſtatur. Attamen non diſſimulat, a Scipionis Maffeji ſe deflectere ſententia, qui in hiſtorica Diſquiſitione de antiqua urbis Veronæ dignitate, Italico ſermone anno 1719, 8 typis deſcripta, in Italia, Romano imperio vigente, nullam urbem præter Romam metropoleos jure donatam eſſe, tueri conatur. Huic tota, quod ex ipſa lectione evidenter apparet, oppoſita eſt hæc Diſſertatio, quæ viginti & duobus

Digitized by Google

conſtat capitibus. Poſtquam enim Cl. Autor in capite I de vocis Metropoleos, a Solino primum in Latium invectæ, ſignificatione, & de urbe *prima*, quid apud Græcos ſignificet, nonnulla attulit, ſtatim capite II Maffejum aggreditur, &, quæ hic de Cenomanis eorumque in Italia urbe principe, ac de Venetorum finibus vulgavit, ſigillatim expendit. Nempe Livius l. 5 c. 34, 35 Gallorum in Italiam tranſitum deſcribens, manum Cenomanorum conſediſſe tradit, ubi nunc Brixia & Verona urbes ſunt: Ptolemæus & Juſtinus Veronam quoque Cenomanis adſcribunt: & Catullus in carmine 68 Brixiam matrem Veronæ dicit. Maffejus ergo Veronæ dignitatem propugnaturus, omnes intendit nervos, ut locum Livii corruptum, & pro *Verona* reponendam eſſe *Cremonam*; Ptolemæum & Juſtinum hallucinatos; diſtichon vero Catulli, in quo de Brixia & Verona loquitur, ſpurium, & a Brixiano quopiam, ut Brixiam ſupra Veronam extolleret, Catullo ſuppoſitum eſſe, evincat. Livium vero non de Cremona, ſed Verona locutum eſſe, Autor noſter pluribus confirmat, & locum Livii, ab imperitis librariis miſerrime turbatum, in Vaticanis codicibus MSCtis optimæ notæ ita ſe habere ſcribit p. 17: *Alia ſubinde manus Germanorum & Citonio duce, veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu faventę Belloveſo cum transſcendiſſent Alpes, ubi nunc BRIXIA & VERONA urbes ſunt, locos tenuere. Libui conſidunt poſt hos Salivi, qui prope antiquam gentem, Lenos, Ligures, incolentes circa Ticinum amnem.* Porro Ptolemæum & Juſtinum vindicat, atque Cenomanos non modo ad Veronam, ſed ad fines Patavinorum protenſos eſſe; apud Iuſtinum quoque verbum *condere* frequenter *inſtaurare* & *amplificare* ſignificare, probat. Catulli verſum, in quo Brixiam Veronæ matrem dici, ægerrime tulit Maffejus, non ſolum a Catullo profectum eſſe, codicum MSCtorum fide confirmat; ſed etiam verba Catulli: *Brixia Veronæ mater amata meæ*, ita exponenda eſſe docet cum Scioppio: *Brixia mater*, i. e. Metropolis tuæ gentis, quam Livius lib. 32 cap. 30 Cenomanorum caput appellat, *quæ amaris a mea Verona.* Quando autem Scaliger in eodem verſu Catulli pro *meæ* ſubſtituit *tuæ*, quia Janua Brixiana Catullum Veronenſem alloquitur, receptam Autor noſter tuetur lectionem, cum omnes codices

codices eam exhibeant, & per Januam deſignari cenſet ancillam ſeu mulierem lenoniam, Veronenſem quidem, aſt Brixiæ morantem, quæ propterea Veronam *meam* dicat. Pari ratione in capitibus ſequentibus adverſus Maffejum diſputat, & quidem capite III & IV, de Metropolibus Italiæ ante Auguſti tempora, nec non de diviſione Italiæ, ab Auguſto, Hadriano & Diocletiano inſtituta, & pag. 55 Correctores iam ante Aureliani tempora Italiæ præfuiſſe, oſtendit: capite V de ſede Rectoris provinciæ, & de Metropol. Orientalibus agit: & capite VI de diviſione Italiæ per Conſtantinum ſtabilita. Ubi p. 70 ſqq. Italiam in XVII provincias diviſam eſſe, & octo quidem ex his a Conſularibus, ſeptem a Præſidibus, & reliquas duas a Correctoribus rectas; decem vero Vicario urbis Romæ, & reliquas ſeptem Ital. Vicario ſubjectas fuiſſe, tradit. Sic ſecundum ordinem ab Autore in tabula exhibitum Vicarius Romæ ſub ſe habuit Conſulares quatuor, Campaniæ, Thuſciæ & Umbriæ, Piceni Suburbicarii, atque Siciliæ: Correctores duos Apuliæ & Calabriæ, Bruttii & Lucaniæ: Præſides quatuor, Samnii, Sardiniæ, Corſicæ & Valeriæ. Vicarius Italiæ autem ſub ſe habuit Conſulares quatuor, Venetiæ & Iſtriæ, Æmiliæ, Liguriæ, Flaminiæ, denique Piceni annonarii; ac Præſides tres Alpium Cottiarum, Rhætiæ primæ, & ſecundæ. Singularum provinciarum fines & Metropoles Autor ſollicite indicat, & Conſulares ac Correctores, quos invenire potuit, ex veteribus monumentis enumerat in capite *ſeptimo* & ſequentibus usque ad cap. XIX. In capite *vigeſimo* reliquas celebriores Romani Imperii diviſiones, inter ipſos Auguſtos factas, proſequitur, ut perſpici poſſit, quibus Italia obvenerit, atque ad limites & provincias poſt everſum Romanum Imperium deſignandas, deſcriptionem Italiæ, quam Anonymus Ravennas, qui ſeptimo ſæculo floruit, in libris Geographiæ edidit, tum aliam, quam Paulus Diaconus, Warnefridi filius, confecit, atque aliam porro, quam Otto Friſingenſis, & ex eo Guntherus Poeta ſæculo duodecimo vulgarunt, inſerit illuſtratque. Capite XXI Maffejum, Italiæ fines prætergreſſum, in Hiſpanias & Gallias proſequitur, & in his Imperatorum ævo Metropoles fuiſſe, luculenter demonſtrat. Denique in capite XXII coronidis loco ſubjungit, neminem de Romana

ecclesia

Digitized by Google

eccleſia bene mereri, qui in Italia Metropoles expungat, ac hoc novo veluti invento acerrimas lites, a Gothofredo & Salmaſio excitatas, de ſuburbicariis provinciis, componere cupiat. Romanam enim eccleſiam in Epiſcopis & Metropolitanis conſtituendis Imperii Romani politiam & civilem provinciarum ordinem non ſervaſſe, Aquilejenſis, Mediolanenſis & Ravennatenſis Metropolitarum exemplis evincit. Sic in hac diſſertatione eruditiſſima, id quod titulus quoque pollicetur, veterum teſtimoniis oſtenditur, urbes provinciarum matres in Italia potiſſimum, atque alibi paſſim, fuiſſe; variæ itidem limitum & regionum Italiæ diviſiones deſcribuntur; Correctorum, Conſularium atque Præſidum ſeries exponuntur; Geographorum autoritas defenditur, & plurium ſcriptorum loca illuſtrantur; inter alia etiam lapis, qui apud Gruterum p. 1098. n. 1 mendis corruptus eſt, ex archetypo Mutinenſi p. 134 reſtituitur.

JOANNIS FRIDERICI SCHANNAT CORpus Traditionum Fuldenſium, ſive Donationum in Eccleſiam Fuldenſem collatarum, ab anno 744 ad finem usque Sæculi XIII.

Lipſiæ, apud Maurit. Georg. Weidmann, 1724, fol.

Alph. 4 pl. 21, cum Mappa Geogr. & figuris paſſim inſertis.

AUtori Rev. Hiſt. juſtam Fuldenſ. paranti, ne tardius aliquando publicæ expectationi faceret ſatis, Traditiones has, velut Prodromum, præmittere viſum eſt, quas a *Jo. Piſtorio* 1607 jam vulgatas, nunc emendatiores reddit & quadruplo auctiores, nactus quippe inter alia vetuſtiſſimum hujusmodi Traditionum Codicem, Seculo IX, ut e ſpecimine æri inciſo patet, exaratum. Dolet vero in Præfatione, octo reliquos Codd. medio Seculi XII in ſacrario Fuldenſi adhuc ſuperſtites, teſte ***Ebirhardo Monacho in ſummariis Traditionum Veterum***, ſub finem harum Donationum p. 280 ſubjunctis, periiſſe, monetque, in Traditionibus iſtis, ſub ***Regni*** nomine, diplomatibus ſubſcripto, deſignari annos Regni & Imperii, cum alius numerandi calculus apud Scriptores Fuldenſes olim non obtinuerit. In hoc corpore, Chronologico ordine

Digitized by Google

dine digeſto, continentur omnes & ſingulæ, quæ exſtant, Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque piæ donationes, in Eccleſiam Fuldenſem ab anno fundationis 744 usque ad finem Seculi XIII collatæ, & ad fidem autographorum, Rotulorum veterum, Chartariorum, aliorumque optimæ notæ MSC. Codicum typis impreſſæ. Hinc ingens ille diverſi generis prædiorum numerus, quibus olim Eccleſia Fuldenſis præ reliquis cumulata fuit, pateſcet, quæ ſi in unum collecta hodienum veteri jure ſtarent omnia, ad integrum fere Regnum conſtituendum ſufficerent, utpote cujus fines per Haſſiam, Thuringiam, Bavariam, Sueviam, Alſatiam, Friſiam utramque ac Weſtphaliam longe lateque diffunduntur, id quod magis firmant plures ex Ordine Equeſtri, Comites, Principes, Regesque, clientelari nexu adſtricti, & prædiis illis tuendis ſtrenue invigilantes. Idem teſtantur inſignes Eccleſiæ Collegiatæ & Præpoſituræ, Sacrarum Virginum & Monachorum cœnobia, in circuitu Eccleſiæ Fuldenſis quondam conſtructa, ac pleno jure eidem ſubjecta, ejusdemque munificentia dotata. Ex hoc theſauro diplomatum lubet nunc quædam notatu digniora producere. Quod cum *Baronio*, ex Monacho *Iſone*, initium Regni Pipini referendum ſit ad annum Chriſti 754, id luculenter confirmant hæ Traditiones, in quibus Regis hujus anno II & III Bonifacius *Martyr* & *Sanctus* appellatur, utpote A. 755 occiſus, quod certe minime convenit cum Epocha anni 751, quam cum pluribus ſtatuit *Mabillonius de re diplom. L. 2 c. 26*, licet dubius poſtmodum in *Annalibus Benedict. T. 2 p. 205*, annos Pipini Regis diverſimode numeratos fuiſſe, fateri cogatur. Idem Pipinus inuſitato more in *Charta Rantulfi* vocatur *Imperator*, quo nomine aliquando etiam Carolum M. antequam Imperiali dignitate ornaretur, vocatum fuiſſe, notavit *Mabillon. l. c.* ſicuti quoque poſt annum 800 Imperatorium axioma Carolo haud ſemper tributum, animadvertimus. In Pipini R. diplomate *N. 27* notanda ſubſcriptio Cancellarii, e regione ſubſcriptionis Regiæ poſita, ſigillo intermedio, quod effigiem hiſpidi capitis, ceræ cavo impreſſam, exhibet. Baddilo Cancellarii, & Hitherius ſub Pipino Notarii ſaltem officio functus, fruſtra contradicente *Mabillonio de re dipl. L. 2 c. 12*, præter mo-

pag. 2. ſq.
p. 4.
p. 19. 43.
p. 76. ſq.
p. 15.

rem in ſubſcribendo, invocatione Dei utuntur. Ex avtographo
p. 27. donationis *Hamalumburc* a Carolo M. factæ Autor animadvertit, Rudolfum Monachum Fuldenſem in vita Rabani, apud *Brower. antiqu. Fuld. p. 237*, errore ſeductum, *villam Hamalunburc*, nunc oppidum, *ſuper fluvio Sala ex largitate R. Pipini partibus S. Bonifacii collatam*, exiſtimaſſe; unde merito dolet, imperitum quendam, Hamelenſem civitatem Saxoniæ hic indigitari, erronee perſuaſum, hoc elegans & optime conſervatum Caroli M. diploma, quoad vocem *Hamalumburc*, ultima ſyllaba deleta, cor-
29. 55. 63. rupiſſe. Ex Traditionibus *Burgratæ* aliisque evidenter conſtat, ſanctimoniales quondam proprietatibus ſuis uſas, easdemque jure ſuo per donationem in alios transferre potuiſſe. Ex Traditi-
40.47.50.53. onibus *Bernacharis* & pluribus ſqq. patet, Clericorum & Mona-
57. ſq. chorum Fuld. in propria cauſa teſtimonium fuiſſe admiſſum.
43. Contra Trithemium Noſter ex Traditione *Waluramni* & *Waltratæ* evincit, hoſce Parentes fuiſſe Rabani, ex Abbate Fuldenſi Archi-Epiſcopi Moguntini, patriumque ipſi ſolum contigiſſe Moguntiam urbem; *Gundrammum* vero eſſe ejusdem ex Fratre
82. nepotem. Feſtucæ ſeu Stipulæ abjectionem etiam in uſu fuiſſe apud Virgines, quæ ſe per ſolenne votum divino mancipabant obſequio, ex Traditione *Bleonſuvindæ* diſcimus. In *Gundrammi*
87. *charta* mentio fit Conventus Regalis Moguntiæ A. 804 habiti,
107. qui a nullo hactenus ſcriptore fuit proditus. *Concambitio Ratgarii Abb. & Richolfi Archi-Epiſc. Moguntini* probat, teſtem eidem adhibitum Haiſtulfum, non fuiſſe Monachum Ordinis S. Benedicti, ut recentiores quidam contendunt, ſed potius Eccleſiæ Moguntinæ Canonicum, A. 813 Richolfo ſucceſſorem datum. Cir-
108. ca *diploma Caroli M.*, quo *Bennithi donatio* A. 812 firmatur, aliam fortaſſe chartam innotuiſſe *Browero Antiqu. Fuld. p. 217*, notatur; ex qua obſervandum, Bennithi hæreditatem habuiſſe ſoli culti tantum, ut duas in longum, totidem in latum, at in circuitu ſex leucas circa Viſurgin ambiret, *conf. Mabillon. l. c. L. 6 p. 512.* Porro
126. Cel. Autor *diploma Ludovici Pii de an. 817* producit: dubius equidem hæſerat, ad quem annum Regni Ludoviciani, penitus quippe omiſſum, illud referret, ſiquidem Indictio X, hic ſubnotata, in annum ejus Regni IV & XIX, incidit, donec in ipſo Fuldenſi
mona-

Digitized by Google

monaſterio inter neglectas chartas deprehenderet vetuſtum librum Muſices majoris formæ, cui pro tegulis erat inſigne hoc diploma autographum, magna quidem ſui parte mutilum, ſed recognitum ad *vicem Eliſacar*, qui primus Ludovici Cancellarius, A. 817, cui convenit hæc indictio X, miſſus eſt ad compeſcendos Marcæ Hiſpanicæ motus. Ceterum Noſter refert, parem venerandis antiquitatibus ſortem, craſſo illo ignorantiæ ævo, pluribus in locis obtigiſſe, ſiquidem Trithemius, in Hersfeldenſi Abbatia canes venaticos cum diplomatibus hinc inde diſcurrere videns, graviſſime indoluerit. *Lotharii Imp. confirmationem donationis Salzungæ* ex autographo ob oculos ponit Autor, cujus apographum mendoſum *Raſlerus* inſeruerat *appendici Vindiciarum diplomatis Lindavienſis*; ſigillum vero Lotharii, quod æri inciſum exhibet, ſummopere differt ab illo, quod exhibet *Mabillon. de re dipl. L. 5 Tab. 30.* Annos Ludovici Germ. paſſim ab obitu Ludovici Pii, ejus parentis, in diplomatibus numerari, hic pateſcit; excipienda tamen ſunt tria autographa *p. 190 ſq.* allata, ubi alia calculi ratio eſt ineunda, non quidem ab anno 833, uti poſt longam disquiſitionem haud absque ratione ſtatuerat *Mabillonius*, ſed potius ab A. 834, cum huic Epochæ annus & indictio in hiſce chartis conveniant. Autographum inde Ludovici III ad annum 880 comparet, unde conſtat, eodem modo, quo Carolus Craſſus annos incarnationis primus appoſuit in diplomatibus Imperialibus, illud jam præſtitiſſe Ludovicum in Regiis; ibidem Arnulfi Notarii ſubſcriptio deprehenditur e regione ſubſcriptionis Regiæ poſita; denique ſubjicitur ſigillum ære expreſſum, vultum bellicoſi hujus Principis, ad lævam præter morem converſum, exhibens, in quo Parentem ſuum Ludovicum Germ. imitatus eſt. Sigilla quoque Regum ac Imperatorum, Arnulphi p. 216, Ludovici Infantis p. 224, quod *Mabillonius* minus genuinum exhibuiſſe videtur, Conradi I p. 227, Henrici I p. 231, Ottonis II p. 242, Henrici II p. 248, Conradi II p. 245, (quæ duo poſteriora loco debito haud inſerta) Henrici III p. 251, Henrici IV p. 321, Pont. Clementis II p. 252, Abbatum Fuldenſium Erlolfi p. 260, Erchanbaldi p. 328, Civitatum in Geyſa p. 352, Fuldenſis p. 350, Vachenſis p. 414, Salzungen p. 417, Hamelburg p. 424, Gentis Steinoviæ

p. 183. TAB. III. Fig. 1. p. 210. Fig. 2. Fig. 3.

 p. 379,

Digitized by Google

TAB. III. p. 379, exſculpta heic comparent. Pariter æri inciſus occurrit lapis
Fig. 4. ſepulcralis Simonis de Sliteſe, in quo & Gœrziorum ſcutum
p. 374. gentilitium comparet, Fuldæ conſpicuus, quem Browerus p.
174 deſcripſit, ſed non exhibuit. Præterea deprehendimus, Con-
229. radum I. R. interdum ſemet nuncupaſſe *Romanorum & Franco-*
234. *rum Regem*, Henricum I vero *Regem & Advocatum Romanorum*
241. *Auguſtum.* Ottonis II Imp. *confirmatio commutationis A. 973 in-*
ter Adalbertum ArchiEp. Magdeb. & Werinharium Abb. Fuldenſ.
multo correctius, quam in *Leuckfeldi antiqu. Alſted. p. 236*, ex au-
244. tographo heic producitur. Tabulas informes de donatione Tha-
colfi Comitis de Boemia, quarum forſan *confirmatio ab Henrico*
II Imp. an. 1212 facta heic ſiſtitur, dubium unde expiſcatas, protu-
lit *Brower. Ant. Fuld. p. 257.* Datæ ſunt illæ A. 801 Indict. 9.
At in veteri Necrologio Fuld. autographo hæc habentur ad an-
num 873: *Thacolf Comes obiit Kal. Septembr.* quæ notæ chronicæ
248. Broweri tabulas erroris arguere videntur. Ejusdem Imperatoris
diploma, ex *Browero l. c. p. 252* depromtum, datum eſt *VI Julii,*
Indict. VII. Iſta indictio quidem demonſtrat annum 1024, quo
Henricus II adhuc in vivis fuit, verum dies VI Julii, ex Autoris
mente, admitti nequit, cum Grunæ *pridie Idus Julii* obierit, aut
certe, ut habent quædam Necrologia, *III Idus Julii* ejusdem
anni. Aſt humani aliquid heic paſſus videtur Noſter: ſi enim, ipſo
fatente, Henricus 14 vel 13 die Julii fatis eſt functus, aliquot ſane
diebus VI diem Julii vivendo ſuperavit. *Mabillonius*, nullum ſe
255 & 57. deprehendiſſe Abbatiale aut Monaſteriale ſigillum ante Seculum
XII, teſtatur *L. 2 de re dipl. c. 15:* enimvero illorum uſum jam in-
eunte Seculo XI obtinuiſſe, Noſter ſigillis Egberti Abb. Fuld., ut
& alio Monaſterii Fuld. S. Bonifacii imaginem præferente, hanc
in rem exhibitis, demonſtrat: imo jam ante iſta tempora hujus-
modi ſigilla ab Eccleſia Fuldenſi eſſe adhibita, ſemet oſtenſu-
rum, & in hiſtoria Fuldenſi, impoſterum edenda, plures nodos
ſoluturum aliquando, promittit; quod ut pro ſingulari, qua
pollet, dexteritate feliciter abſolvat, publico nomine vovemus.
278. Denique memoratu dignum eſt diploma Henrici VII Imp., quo
omnes Judæos, in ditione Fuld. commorantes, huic Eccleſiæ cum
279. omni jure & oneribus ſubjicit, & alterum *Ludovici Bav.*, quo
mon-

montem Rotenberg eidem concedit. Accedit poſtremo his Tra-
ditionibus *Cl. Schannat Patrimonium S. Bonifacii, ſeu Buchonia* p. 317.
vetus, una cum ſuis confiniis, ex Traditionibus Fuldenſibus eruta,
aliisque monumentis aucta & illuſtrata, a temporibus Pipini Regis
ad initium Seculi XIV, cui præmiſſa eſt mappa Geographica. Sal-
tus iſte *Buchonia* a *fagis* nomen ſortitus, fuit ſolitudo Franciæ Cap. I. p. 319.
Orientalis vaſtiſſima, Thuringiæ, Haſſiæ ac Wetteraviæ finibus
potiſſimum circumſcripta, horrida quondam ſilvis & montium
jugis, donec S. Bonifacius, adjutore Sturmio Abbate, prima ibi
jaceret Monaſterii Fuldenſis fundamenta, auſpiciis Caroloman-
ni Regis Francorum, ex quo tempore univerſus ille tractus cul-
tior eſt redditus. Dividebatur Buchonia vetus in *octo Pagos ſeu* C. II. p. 326.
Gau, a voce Germ. *Aue* læta paſcua denotantes, quorum nomina
Grapfeld Orientalis & *Occidentalis*, *Tullifeld*, *Salagewe*, *Sinna-*
gewe, *Aſcfeld*, *Weringewe*, *Baringe*. Juri dicundo præerant initio
Comites; hinc prima enituit beneficio Regum & Imperatorum
tributa Abbatibus Fuldenſibus per Buchoniam autoritas, qui, Co-
mitibus Provincialibus majores, *Advocatis* ſuis *Provincialibus*,
qui & ipſi paſſim Comites erant, & *Miſſis* ſeu *Nunciis S. Bonifa-*
cii, e Fratrum gremio deſumtis, officium hoc demandabant. A
Saxonibus quondam, Francis & Slavis Buchonia videtur habita- C. 3. p. 329.
ta. Nobiles a plebejis haud ſollicite ſecreti, donec ſub initium
Seculi XI a prædiis plerumque cognominati, & familiis nomina,
hactenus incerta, propria eſſe inciperent. Reliqui dividebantur
in *Liberos*, ingenuos nempe vel manumiſſos, *Villicos*, ſeu Villis
præfectos, & *Colonos* ac *Litos* ſive *Liddones*, mediæ fere conditi-
onis homines, denique *Servos* ſeu *Pueros*, qui in varias *Stipendi-*
ariorum, *Biduanorum* & *Triduanorum*, *Quotidianorum*, *Tribu-*
tariorum, *Novalium*, *Cenſualium*, *Mancipiorum* claſſes diſtribue-
bantur. His ſubnectuntur Henrici VII & Caroli IV Impp. diplo- 322.
mata contra *Pfalburgeros*, quibus proviſum, ut Eccleſia Fulden-
ſis ſervos fugitivos undecunque vindicare poſſet. Hinc VIII Pa-
gorum ſupra memoratorum delineatio, topographia & confi- C. IV-XVII.
nia, ex monumentis fide dignis eruta, immixtis ſubinde diploma-
tibus rarioribus, huc inſervientibus, ob oculos ponuntur, quæ
Geographiæ medii ævi & Genealogiæ vetuſtæ Nobilitatis inſi-

Digitized by Google

gnem lucem affundere, & his delitiis ineſcatos ſatiare poterunt, ſi eaſdem in ſuccum & ſanguinem vertere viſum fuerit. Cete-
p. 353. 361. rum ex diplomatibus hiſce non prætereunda ducimus Jura Impe-
386.395.414. ratorum antiqua in civitatibus condendis, muniendis, dirutis
414. 433. mœnibus reſtaurandis, tribuendis nundinis ſolennibus annuis &
351.409.426 hebdomadalibus, Alberti Thuringiæ Landgravii donationes ca-
419. ſtri Wildek, retento ſaltem conductu & venatione, A. 1301, Ju-
404. ris Patronatus in Sunnebum A. 1306, Pacem inter Fridericum,
411. Balthaſarem & Wilhelmum, Landgravios Thuringiæ & Miſniæ Marchiones, ac Henricum Abbatem A. 1362 concluſam, oppi-
415. gnorationem arcis, urbis & præfecturæ Fach ab Eccleſia Fuldenſi A. 1611 pro ſumma 12000 fl. domui Haſſiacæ ſalvo jure reluitionis, in caſum maſculæ prolis extinctæ, perpetuo factam, deni-
439. que compoſitionem concordiæ A. 805 inter Eccleſias Fuldenſem ac Herbipolitanam procuratam.

JOANNIS ALBERTI OBSERVATIONES Philologicæ in ſacros Novi Fœderis Libros.

Lugduni Bat. apud Jo. Arn. Langarak, 1725, 8. maj.

Alph. 3 plag. 4.

TAnta in his obſervationibus copia eruditarum lectionum ubique occurrit, ut totus propemodum liber, ſi omnia ſectari vellemus, quæ hic pulchre eruuntur ac illuſtrantur e profanis ſcriptoribus, deſcribendus eſſet. Lectoribus igitur, ut ſitim ſuam ipſi ex fontibus ſedent, integrum hoc relinquentes, pauca potius, ubi hærere iidem ac dubitare, in quam partem deſcendendum videatur, poterant, attingemus, pauca etiam, ubi ea alias quærenda ſint, adjicienda. Matth. III, 11 *καὶ πυρί p. 15. Ego vero*) Tertullianum hic laudavit D. Olearius, Obſ. ad Matth. p. 91. Cap. III, 16. *ὡσεὶ περιστεράν. p. 17.*) Hammondus contra omnes fere etiam recentiores & quaſi primus allegatur, qui *τὸ ὡσεὶ* retulerit ad motum columbæ. Pridem autem Socinum ita ſenſiſſe, notum eſt. Addit Noſter, clara fuiſſe verba Lucæ, ſi dixiſſet, *σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερᾶς*, non autem *ὡσεὶ περιστεράν*. Et hoc e Sim. Epiſcopio ſumptum. Nam & Hammondus ab illo multa eſt mutua-

Digitized by Google

mutuatus. Modum autem apparitionis & deſcenſus a modo *καταβάσεως* difficulter diſtinguas. Nam ſi per ſe verum eſt, Sp. S. ſub ipſa columbæ forma apparuiſſe, lis eſt finita, & recte ab Hammondo diſſenſit D. Olearius *d. l. p.* 101. De columba Fabiani Epiſcopi agit Euſebius *H. E.* 6, 29. C. IV, 5 *παραλαμβάνει*, *p. 22 recte monuit*) & ante illum iterum D. Olearius *p.* 106, ceu dictum eſt *Suppl. T. VIII Sect. 12 p. 521.* C. V, 6 *οἱ πεινῶντες nondum videre licuit.*) Monſtratum hoc fuit ab eodem in exemplo Pauli, 1 Cor. IV, 10, 11, 12, 13, ubi in Apoſtolo concurrunt, quæ prædicta erant omnia. Et pro *ἕνεκεν ἐμοῦ*, eſt hic, *διὰ χριστόν.* Hoc ſenſu, beati, qui flagrantiſſime deſiderant juſtitiam, ac propter illam etiam famem & ſitim libenter tolerant, ex mente Clementis Alexandrini. Nam etiam hi videntur perſecutionem pati propter juſtitiam, quia lugent propter eandem, famemque ac ſitim in perſecutione ſuſtinent, *1 Petr. III, 14.* De ellipſi *τοῦ διὰ* dubius eſſe haud potuit Clemens, quando apud Demoſthenem & Xenophontem præſto ſunt exempla. C. VI, 11 *τὸν ἐπιούσιον.*) Panem *peculii* noſtri, vel *peculiarem*, vertit doctiſſimus Autor *p.* 47. Peculium autem non eſt *οὐσία* ſimpliciter, ſed *οὐσία δούλου*, ut tamen dominus eam adhuc poſſidere credatur; quia ſervus civiliter non poſſidet. Et contra paterfamilias non habet peculium; filius autem familias, etiam liberam peculii adminiſtrationem habens, plenam ubique non habet. *Bona noſtra* ſane vocantur *οὐσία* per omnia *Luc. XV, 12, 13*, perinde ut apud JCtos Græcos, *ταῦτα πάντα τῇ οὐσίᾳ προσέζευκται.* *Hæc omnia* bonis *ſunt comprehenſa.* Ælianus ſimiliter, X, 17 & XIV, 32. Hunc ergo panem, ceu præcipuam *οὐσίας* noſtræ partem & ad ſuſtentationem quotidie neceſſariam, *ἐπιούσιον* dignum erat appellari. C. XII, 20 *εἰς νῖκος τὴν κρίσιν p. 90.*) Victoriam ait poſſe conſiderari ceu judicem, ad quem cauſa defertur. Apud Plutarchum autem dicitur quidem, *ἐκβαλεῖν τὴν κρίσιν εἰς ἄλλον ἄρχοντα*, non vero *εἰς νῖκος*. Et apud Matthæum neque *ἄρχων* extat, neque *κριτής*. Acceſſit ergo Noſter ad ſententiam D. Olearii *p. 390*, etiam ubi illum non nominat. Is vero Jacobo Capello ſatisfecit præterea *f. 57, 58, 515.* C. XVI, 18 *καὶ πύλαι ᾅδου p. 110.*) Comparatur *ᾅδης* magnæ civitati; iterum verbis, uti puto, D. Olearii *p. 452.* C. XVI, 28 *ἐρχόμενον. p. 111.*)

Vertit

Digitized by Google

Vertit Noſter, *abeuntem in regnum ſuum*, per aſcenſionem ſcilicet. Dudum id placuit Bezæ. Sed æque commode intelligas de adventu ad excidium Judæorum & vindictam: quod contigit viventibus adhuc quibusdam, qui tunc adſtabant. Marc. IX, 1, Luc. VIII, 27. Et neq; Matth. XIV, 12. XVIII, 31, XIX, 1, Marc. VI, 29, Luc. II, 44, Joh. VI, 17, Act. XXVIII, 14, *abeundi* ſignificatio nobis injungitur. De profanis autem hic parum ſumus ſolliciti. C. XX, 23, *ὐκ ἔςιν ἐμὸν. p. 118.*) Fortiſſimum hinc fluit argumentum, eum qui ſedet ad dextram Patris, eſſe Deum, & ſoli Chriſto ſeſſionem hanc paratam eſſe a Patre. Apoſtolis enim non promittitur ſeſſio in throno majeſtatis Chriſti, ſed ſeſſio ſuper 12 thronos, ad formam judicii tribuum Iſrael. *Matth. IX, 28, Luc. XXII, 30.* C. XXVI, 24 *ὑπάγει p. 152.*) Chriſtum hic, & *Marc. XIV, 21, Luc. XXII, 22* de morte inſtante loqui, inde patet, quod proditor Judas jam imminebat. Quia vero mors illa ſublimior erat & ſimul reditus ad Patrem, eo modo utique occurrere iſtud vocabulum *ὑπάγω* apud profanos non potuit. Apud Theognidem v. 917 vitam aliquis degit mentem oblectans, quamdiu bona ſua dilapidat: nunc autem miſere mendicat. Qui ſenſus huc plane non pertinet. Nam verba illa, *prout de filio hominis ſcriptum eſt*, monſtrant implementum inſtans omnium prophetiarum. Add. Marc. XIV, 41, 42. In ſenſu autem contrario hanc vocem occurrere *Matth. XIII, 44*, de inventore theſauri in agro, qui præ gaudio, quod habet ſuper eo, *ὑπάγει*, *abit*, & omnia vendit, ut agrum illum mercetur, ac ſimiliter *XX, 4, 7, XXVII, 65, Joh. XI, 44, XV, 16,* nemo miretur. Marc. III, 21 *κρατῆσαι αὐτὸν· ἐξέςη. p. 165.*) Vertit Noſter, *ad prehendendum aut vi tenendum, ob impotentiam animi.* At enim unicus in his libris eſt locus, *Act. VIII, 11*, ubi *ἐξίςημι*, junctum *ταῖς μαγίαις*, deliquium tale, quod comprehenſionem hominis poſtulet, indicat. Nam *2 Cor. V, 13* alienum eſſe, nemo non videt. Vires autem Chriſto per inediam & continuas turbæ ipſi incumbentis moleſtias tandem viſas deficere, ita, ut propinqui exeundum ſibi ad eum exiſtimarent, non repugnat. Sic Saulus *λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν, Act. IX, 19.* Neque etiam *τὸ κρατῆσαι* ubique manus violentæ injectionem involvit. De claudo illo, quem Apoſtoli ſanaverant, quique ab eo tempore non diſceſſit a Petro & Johanne, ſed adhæſit illis, dicitur, *κρατοῦν-*

τος

τος τὸν Πέτρον καὶ Ἰωάννην. Act. III, 11. De eo, qui capiti eccleſiæ, Chriſto, non inhæret, ſimiliter, *ὀ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, Coloſſ. II, 19.* Tene omni cura ſtudioque, quæ habes, ne amittantur, *κράτει, ὃ ἔχεις. Apoc. III, 11.* Ovem etiam, incidentem in foveam, apprehendimus, ut erigamus. *Matth. XII, 11.* Summo ergo jure Georg. Wolfg. Wedelius *Decad. 1 Exerc. 4* hunc Marci locum neque de delirio, neque de furore, ſed ſolum de prætenſa ab adſtantibus & putata animi paſſione intelligendum exiſtimavit. (v. *Act. Er. 1705 p. 233*) multumque abiit a Sam. Baſnagio, quem vide in *Act. 1706 p. 76.* Marc. VI, 5 *καὶ ὀκ ἠδύνατο ἐκεῖ p. 168.*) Noſter, *id eſt, noluit* ibi miraculum ullum edere. Atqui Heinſius & Saubertus, quos laudat ipſe, Hebraiſmum hic, tantopere alias noſtro inviſum, agnoverunt, *ὀ δύναται*, pro *ὀ θέλει*, Heſychius etiam, qui ſcriptores ſacros Chriſtianos ipſe legerat, ignarus phraſeos iſtius eſſe non potuit. Et Homerum, *Iliad. I v. 352*, populariter non potuit non intelligere Anna Daceria, Tom. 2 p. 98: *Agamemnon avec tous ces retranchements ne peut encore repouſſer l'homicide Hector. Tant que j'ay combattu à la teſte des Grécs, jamais ce terrible Hector n'a osè tenter le combat loin de ſes murailles; à peine oſoit il ſortir des portes Scées. -- Preſentement donc que j'ay reſolu, de ne plus combattre contre le divin Hector* &c. Hic *τὸ δύναται, ἐθέλεσκε, ὀκ ἐθέλω*, conſtanter accepit ſignificatione communi Daceria. Heliodorus itidem *Lib. I: ὄτε ἐδυνάμην, ὄτε ἐβελόμην, nec poteram, nec volebam:* citante Noſtro ipſo *p. 188.* Obiter verſio Theophraſti, *vice ſua*, emendanda eſt, judicio Caſauboni p. 124 & Duporti p. 447. Marc. XI, 13 *ὀ γὰρ ἦν καιρὸς p. 171.*) Non convenit, *inquit*, cum Chriſti ſapientia, ſi plane non erat tempeſtas ficuum. Quia vero tempeſtas ficuum, reſpectu hujus ſaltem arboris, inſtabat, & folia præcocem fructum promittere videbantur, potuiſſe Chriſtum ad hanc ficum accedere; ſed fruſtra acceſſiſſe, neque fructum inveniſſe. Ita vero claudicat hæc argumentatio de ſapientia ejusdem. Dicendum videbitur igitur, Chriſtum vidiſſe procul hunc ficum habentem folia, ac veniſſe, *ἐι ἄρα ἐυρήσει τὶ ἐν αὐτῇ*, ſed inde non ſequi, eum per ſapientiam ſuam ignoraſſe, quod nihil niſi folia inventurus eſſet. Sciebat enim, quod Marcus addit, *ὀκ ἐιναι καιρὸν σύκων.* Sed

Qq ſciebat

ſciebat etiam jam tunc, quid facturus eſſet, *Joh. VI, 6*, & quale ſpecimen ſeveriſſimi judicii ſui ante mortem nunc inſtantem edere adhuc vellet adverſus Judæos contemptores viſitationis ſuæ, neque fructus ullos ferentes poſt tot exhibita beneficia miraculoſa. Eodem ſpectant verba, Matth. XXI, 41, 43, & integrum c. 23. Ait igitur ficui, *ne poſthac ex te in æternum quisquam fructum edat:* & arefacta eſt continuo poſt iſtam execrationem. Omnipotentia ergo illius teſtabatur de omniſcientia ejusdem antecedente. Marc. XII, 4. *p. 174.)* ἄλλον δοῦλον. Alterum hunc ſervum, *inquit*, ſaxis fuſtibusque percuſſerunt. Stante hac expoſitione gradatio trium Evangeliſtarum ita collocabitur. Primum ſervum ἔδειραν, loris v. g. cæſum remiſerunt vacuum; apud Matth. Marc. Lucam. Alterum non cæſum tantum, ſed & aliis contumeliis onuſtum remiſerunt inanem; apud Marcum, & imprimis Lucam. Tertium vulneribus per ſaxa fuſtesque in caput inflictis, ejecerunt; juxta eosdem. Quartum occiderunt; juxta Matthæum & Marcum: multisque aliis fecerunt ſimiliter. Luc. II, 14 δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ *p. 185.)* Conſentit Noſter cum Cl. Moshemio, *Obſ. Lib. 1 c. 2 p. 105*, in hymno hoc duo eſſe membra, laudes Dei, & rationem illarum. Iſtas Deo decerni tam in terra quam in cœlo, & duas haſce partes non eſſe ſeparandas. Punctum tamen non figit cum Moshemio poſt ἐπὶ γῆς, ſed poſt εἰρήνη. Hoc ſenſu: gloria Deo in excelſis, & pax (i. e. laus Deo & benedictio) in terra: reſpiciens ſimul ad *Luc. XIX, 38* εἰρήνη ἐν οὐρανῷ. Rationem exhibere verba poſtrema, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, ſive plenius, ὅτι εὐδοκεῖ κύριος ἐν λαῷ αὐτοῦ, *Pſ. CXLIX*, 4. Patet hic per ſe, homines in terra a laudibus Dei non excludi, etiam ubi non nominarentur diſerte. Et εἰρήνη ἐν οὐρανῷ apud Lucam, eadem eſt pax hominum apud Deum per Chriſtum, quæ hic vocatur pax hominum in terra. Angeli igitur Deo decernunt laudes, quod Filium miſerit, & hominibus gratulantur pacem illam cœleſtem tunc partam, διὰ εὐδοκίαν ἐν ἀνθρώποις, ſive cum Joach. Camerario, εὐδοκίᾳ, caſu tertio, *p. 154.* Sic enim exprimitur iterum τὸ ὅτι, Pſ. CXLIX, 4. Certe in libris novi fœderis homines benedicentes Deo non uſurpant τὴν εἰρήνην; nam ipſe ſolus dat pacem, *Act. X, 36. Rom. V, 1. Philip. IV, 7.* Luc. II, 19 Μαριὰμ συμβάλλουσα, *p. 187.)* Συμβάλ-

λειν

λειν hic ſignificare videtur Noſtro, conjicere ex variis ſignis ac ſymbolis, vel indiciis aliquid colligere. Frequens id ſane profanis: ſacris his autem ſcriptoribus non omnino. Alia enim omnia deprehenduntur Luc. XIV, 31, Act. IV, 15, XVII, 18, XIIX, 27. Habebat Maria jam tunc evidentia teſtimonia divina, quæ ſuperant omnem conjecturam, neque locum relinquunt incertitudini, cui per nova ſigna & indicia demum ſuccurrendum fuiſſet. Sic Paulus ejusque comites, viſo per noctem viro illo Macedone, non conjiciebant demum, ſed plane convincebantur ſtatim, quod Dominus eos in Macedoniam vocaſſet, *Act. XVI, 10.* Et Saulus, *κηρύσσων τὸν Χριςὸν, μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο, συμβιβάζων, fortiſſime conſtringens & convincens Judæos,* Actor. IX, 22; ſicut corporis membra compinguntur intime, nec amplius fluctuant. *Eph. IV, 14, 16, Coloſſ. II, 2 & 19.* Deſeri ergo Piſcator veſter hic non debuit, quod Maria, trutinans quaſi teſtimonia divina inter ſe, & cum hac nova narratione paſtorum, confirmata ſit in fide. Joh. I, 3 *οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. p. 206.*) Utique nova haud eſt diſtinctio, quæ Adriano Valeſio placuiſſe hic dicitur: ceu poſt Bezam oſtendit Jo. Crojus Obſerv. Sacr. c. 25 toto, recentius etiam Dan. Whitby, in *addendis* laudatus. Joh. I, 18 *ἐξηγήσατο. p. 208.*) Eruditam expoſitionem Henrici Valeſii legis in edit. Lugd. Bat. 1682 *p. 202,* tum vero *p. 277.* Joh. IX, 23 *ὅτι ἡλικίαν ἔχει. p. 215.*) Illuſtrat hanc phraſin verbis Ariſtophanis de tantillo juvene, qui ætatem non habeat *tecum* dormiendi. Meliora affert Dodwellus de *ἡλικίᾳ* Irenæi ex Nazianzeno, oſtenditque, jura Romanorum circa numerum annorum obſervaſſe etiam Judæos, ejusque rei veſtigia in hoc ipſo Johannis loco deprehendit, *Diſſ. 3. ad Irenæum §. 8 p. 235.* Joh. XVII, 3 *τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. p. 216.*) Ait Noſter, *τὸν ἀληθινὸν* opponi fictitio, quomodo Ælianus eqvum verum picto opponit, *Lib. 2 c. 3.* Sane neque iſte Æliani locus, neque etiam Clementis Alexandrini, *protrept. f. 25 Ed. Heinſ.* ad convincendos Socinianos, ceu contendit Noſter, ſufficiet. Nam Clemens diſputat ibi tantum adverſus craſſiora idola Gentilium ex materia mortua artificis manu formata, iisque opponit *μόνον ὄντως Θεόν.* In qua analyſi Sociniani nondum acquieſcent, ſed urgebunt præterea excluſivam prædicati. Et invenient libro ſexto Stromat.

 f. 486.,

f. 486, tum vero etiam Libro ſeptimo f. 504 non pauca. Τελειωτάτη δὴ καὶ ἁγιωτάτη καὶ κυριωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη. αὕτη ἡ μεγίστη ὑπεροχὴ, ἣ τὰ πάντα διατάσσεται κατὰ τὸ θέλημα τοῦ πατρός. De reliquis agemus alias. Monendi autem adhuc Lectores, Heſychium totum jam pridem limam doctiſſimi Alberti fuiſſe expertum, ejusque rei nunc demum tot eum edidiſſe hic exempla, ut plane novam hujus Grammatici editionem vel omnino paratam, vel affectam certe habere ille videatur. Sæpiſſime enim, ubi nominat Heſychium, textum illius etiam, ſed ὡς ἐν παρόδῳ ubique, emendat.

TRAITE' THEOLOGIQUE &c.

hoc eſt,

DE AUTORITATE ET INFALLIBILITAte Paparum liber, Autore R. P. Domno MATTHÆO PETITDIDIER, Abbate Ordinis S. Benedicti.

Luxemburgi, apud Andream Chevalier, 1724, 8.

Alph. 1 pl. $5\frac{1}{2}$.

NUnquam magis erraſſe Romanum Pontificem, quam cum ſemet ipſe profeſſus eſt erroris expertem & infallibilem, cum ſtatuat etiam Catholicorum Theologorum pars haud ignobilis, ex præſenti libello cognoſcere libet, quibus argumentis doctiſſimus Autor fidem facere conetur ſuæ ſententiæ. Atque hoc eo jucundius fuerit, quod ipſe fatetur, ſe quondam, gravitate Cleri Gallicani A. 1682 congregati conſenſuque Theologorum Academiæ Pariſienſis permotum, adverſariam tenuiſſe ſententiam. Scilicet, ne noſtram notitiam fugiat Autoris conſilium, ipſe in Præfatione nos docet, ſe ideo infallibilitatem Papæ omnibus Romanæ Eccleſiæ addictis perſuadendam ſuſcepiſſe, quod breviſſima hæc via ſit ſopiendi ortas in Gallia de Conſtitutione *Unigenitus* controverſias. *Primo* igitur *Capite* præjudiciorum tela in eos emittit, qui negant infallibilitatem Papæ. Initio conſiderari jubet, hanc ſententiam natam demum eſſe ſæculo decimo quinto, cum antea ne unus quidem in tota Eccleſia ſtatuerit, Papam

Digitized by Google

pam definientem aliquid ad Fidem pertinens errori obnoxium eſſe. Atque hujus rei teſtes producit ipſum Gerſonium atque Majorem. Deinde urget, ante Conſtantienſe Concilium omnes Theologos, etiam Pariſienſes, omnes Canoniſtas, omnes Epiſcopos ſtatuiſſe infallibilitatem Papæ. Tertio contendit, cum ſchiſmatici Græci infallibile Papæ judicium non agnoſcerent, omnes Latinæ Eccleſiæ doctores illam infallibilitatem Papæ defendiſſe, & quidem conſenſu perfectiſſimo. Quarto oſtendit, inde ab ortu Eccleſiæ usque ad hodierna tempora univerſas ſententias, quibus Papa aliquid in Fide definiit, receptas ab omnibus fuiſſe ſine ulla contradictione vel dubitatione. Quinto denique magni momenti eſſe ait, quod ea ſententia, quæ Papam ſubjicit Concilio, nec infallibilitatem ei tribuit, falſiſſima habeatur in toto orbe Chriſtiano, una excepta Gallia. Hiſce præmiſſis, *Cap. II* infallibilitatem Papæ probatum it e ſacro codice, & quidem e tribus illis dictis: *Tu es Petrus*, &c. *Oravi pro te*, &c. *Paſce oves meas*. Eadem hæc dicta paucis vindicare ſtudet contra Gallicorum quorundam Theologorum exceptiones. *Cap. III* producit ſententiam primitivæ Eccleſiæ de autoritate Papæ in definiendis articulis Fidei. Oſtendit igitur, in electione Matthiæ Apoſtoli valuiſſe ſententiam Petri; eundem die Pentecoſtes ſolum allocutum fuiſſe Judæos, ſolum ſanaſſe claudos templo aſſidentes, ſolum patraſſe miracula, ſolum gubernaſſe Eccleſiam Judaicam, ſolum juſſum fuiſſe Evangelium tradere ethnicis, ſolum denique in Concilio Hieroſolymitano pronuntiaſſe ſententiam definitoriam. Hinc ſequi putat Autor, Petrum habitum fuiſſe pro capite Eccleſiæ. Addit, eodem primo ſæculo Papam Clementem ſopiiſſe turbas Corinthi obortas; ſecundo ſæculo Victorem ſuo exemplo oſtendiſſe, Papam habere jus definiendi & diſſentientes excommunicandi; tertio ſæculo Cornelium Papam aſſeruiſſe autoritatem ſuam contra Novatianos, itemque Stephanum in doctrina de rebaptizandis hæreticis, aliisque in caſibus. *Cap. IV* docet, idem feciſſe Papas ſæculi IV & V, maxime Innocentium I, & ejus ſucceſſores, eosque regnum ſibi in univerſam Eccleſiam arrogaſſe clariſſimis verbis. *Cap. V* exhibet ſententiam Græcorum Eccleſiæ

Digitized by Google

Patrum quinque priorum ſæculorum, Irenæi, Origenis, Baſilii, Cyrilli Hieroſolymitani, Gregorii Nazianzeni, Chryſoſtomi, aliorumque. Ubi tamen doctiſſimo Autori noſtro ſufficit, ſi modo quis Petrum vocavit *principem Apoſtolorum.* Eodem modo *Cap. VI* exhibentur teſtimonia Patrum Latinorum, qui per quinque illa ſæcula vixerunt. Ubi tamen permultum negotii ei faceſſit S. Cyprianus, qui Epiſcopo Romano fortiter contradixit, itemque S. Auguſtinus, qui aliquot locis Cypriano videtur ſuffragari & autoritatem Papæ imminuere. *Cap. VII* profert ipſorum Paparum de ſuis privilegiis teſtimonia, quæ quidem non minus valere judicat, quam Principum teſtimonia de ſuis juribus. *Cap. VIII* recitat ſententiam Conciliorum de autoritate Papæ, initio facto a Concilio Sardicenſi. Simul demonſtrat, quomodo ſe geſſerint Papæ erga Concilia, quantumque ſibi ſumſerint autoritatis. *Cap. IX* adducit ſententias ſcriptorum eccleſiaſticorum, poſt quintum ſæculum usque ad ſchiſma Græcorum viventium, de autoritate & infallibilitate Papæ. *Cap. X* diſcutit controverſiam, quæ Latinis interceſſit cum Græca Eccleſia de Papæ autoritate. Hic prius oſtendit, Græcos agnoſcere quidem primatum Papæ, eumque habere pro capite Eccleſiæ, at negare imperium Papæ abſolutum & infallibilitatem. Deinde docet, utrumque olim Papæ contra Græcos aſſertum atq; vindicatum fuiſſe a Theologis Galliæ. *Cap. XI* Latinorum Theologorum exhibet ſententiam de Papæ infallibili judicio, inde a nono ſæculo usque ad tempora Scholaſticorum, & *Cap. XII* de hac re Scholaſticorum exponit ſententiam usque ad Concilium Conſtantienſe. Hic fortaſſe optaverint pii lectores, ut Autor oſtendiſſet, ſententias horum Theologorum fuiſſe liberas, nec aut ſpe præmii aut metu pœnæ graviſſimæ expreſſas. Nam nec Launojum credimus tam fortiter oppugnaturum fuiſſe infallibilitatem Papæ, ſi capiti ipſius imminuiſſet gladius imperii Papalis. Quinimo veremur etiam quodammodo, ne ipſe Autor ſententiam ſuam ſit mutaturus, & ad priſtinam reverſurus, niſi quantocyus Roma juſtum ipſi præmium hujus patrocinii decreverit. *Cap. XIII* oſtendit, (1) omnes ſuperioribus in Capitibus adductos infallibilitatem Papæ probaſſe ex tribus illis dictis Chriſti, quæ ſupra jam adduximus: *Tu es Petrus*

Digitized by Google

trus, &c. (2) Launojum, infallibilitatis oppugnatorem acerrimum, reticuiſſe magnam partem eorum teſtimoniorum, quæ Noſter attulerit de ſuprema poteſtate Papæ; (3) ſi hodie haberetur Concilium ad decidendam iſtam de infallibilitate Papæ controverſiam, omnino victurum eſſe & triumphaturum Papam multitudine ſententiarum, cum præter Gallorum Theologos nonnullos totus orbis Chriſtianus ſtatuat infallibilitatem Papæ. Sed vix credimus, Papam huic periculo expoſiturum eſſe ſuam infallibilitatem, probe ſcilicet recordantem, vix multis artibus impediri potuiſſe in Concilio Tridentino, quo minus Papæ eriperetur infallibilitatis privilegium. *Cap. XIV* examini ſuo ſubjicit Autor deciſionem a Clero Gallicano factam A. 1682. Dicit, eam eſſe novitatis ream, cum antea Galliæ Clerus in contraria fuerit ſententia. Atque hac occaſione rurſus pluribus docet, ad ſupprimendas hæreſes & ſtabilienda dogmata recepta non eſſe certiorem viam, quam monarchiam Papæ infallibilitatis privilegio ornati. *Cap. XV* reſpondet ad objectiones contra infallibilitatem Papæ proferri ſolitas. Liceat vero nobis hæc prætervehi, ne nimium longa videatur hujus libri recenſio. *Cap. XVI* eodemque ultimo probat, Concilia generalia ſuam autoritatem habere a confirmatione Paparum. Id vero cum non probare aggrediatur de omnibus Conciliis generalibus, ſed tantum de ſecundo, quinto, & ſeptimo, non videtur titulo hujus Capitis feciſſe ſatis. Nos arbitramur, toto hoc labore ſuperſedere potuiſſe doctiſſimum Autorem, modo docuiſſet, Chriſtum, vel Petrum, vel Paulum dixiſſe, Epiſcopum Romanum eſſe debere Regem Eccleſiæ, ejusque ſententiam probari oportere a toto orbe Chriſtiano. At ipſe ſuo probavit ſilentio, altum ea de re eſſe in ſacro codice ſilentium. Non igitur mirabitur, ſi cordatiores ipſius ſententiam vel ob id ipſum erroris ſuſpectam habeant, quod ea tam longa & artificioſa probatione egeat, cum non poſſit dubitari, ſi infallibilitas Epiſcopi Romani eſſet articulus fidei, eam Chriſtum & Apoſtolos fuiſſe diſciplinæ ſuæ alumnis bona fide tradituros.

Digitized by Google

ΟΥΡΕΣΙΦΟΙΤΗΣ *HELVETICUS, SIVE Itinera per Helvetiæ Alpinas regiones facta annis 1702, 1703, 1704, 1705, 1706, 1707, 1709, 1710, 1711, a JOH. JAC. SCHEUCHZERO, Tigurino, Med. & Math. Profeſſore.*

Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa, 1723, 4.
Alph. 3 pl. 14 Tabb. æn. maj. & med. 130.

QUanta ſit Celeb. Autoris in indaganda Patriæ Hiſtoria naturali curioſitas, præter tot ejus alia ſcripta, hæc imprimis Itinera ſingulis annis inde ab A. 1702 ad 1711 (ſi unicum annum 1708 excipias) in varias Helvetiæ partes, ſuperatis omnibus moleſtiis, ſuſcepta & eleganti cultu typis prodita docere abunde poſſunt. Ex his priora tria Londini 1708 prodiere, a nobis Anno ſequenti M. Februario p. 77 recenſita, quibus cum, præter tabulas aliquot æneas, nihil magnopere notatu dignum nunc acceſſerit, non eſt, ut de his denuo agamus. Acceſſere vero ſplendidiſſimæ huic editioni Itinera quinque, quæ nunc paucis percenſere operæ
p. 186. pretium fuerit. In Itinere quarto A. 1705 ſuſcepto memoratu dignum obſervatur, quod dives rupicaprarum eſt mons *Kammerſtock*, quæ tamen ægagropilis deſtituuntur, quas ubertim gignunt Limmerenſes capræ; cujus rei cauſam allegat hanc Autor, quod in certis alpibus, iis ſpeciatim, quæ Soli ſunt expoſitæ, creſcant plantæ, quarum radices fibroſæ, vix in ſtomacho digeſtioni obnoxiæ ſunt, aromaticæ tamen, & ægagropilis generandis aptæ, non item in aliis, quæ a Sole raro illuſtrantur. Elatus in altiſſimum Europæ *Gotthardi montis* jugum, ad cryſtalli proprium
p. 233. ac natalem locum Noſter conſiſtit, ad naturam ejus explicandam, ut ſpecimen ſimul exhibeat operis integri mineralogici. Ipſius vero ſententia, cryſtallus eſt gemma mollior, ut gemma quævis cryſtallus durior eſt, & ſicut reliquæ gignuntur gemmæ, quando materia rigida in fluido natans ſubſidit, & in maſſam cogitur duram, quæ formæ & indoli reſpondet materiæ, ex qua coacta eſt, ita etiam fieri putat cryſtalli formationem & concretionem, eorum rejecta ſententia, qui Plinium interpretati

cryſtal-

cryſtallum glaciem eſſe credunt; quanquam non adeo abſurdum videri poteſt, ex materia, quæ glaciem conſtituit, maxime rigida, aqua exacta, cryſtallum cogi gelu vehementia, ut quaſi glacies ſicca dici mereatur. Fluviorum, Urſæ, Ticini atque Rhodani, p. 265.
nota ſunt nomina, quæ ſcaturigines ſuas Gotthardo uni omnes monti debent, a Scheuchzero diligentius inveſtigatas & æri eleganter & accurate inciſas. Iter *quintum* adiit anno M DCC VI. Integra in eo exſtat draconum & draconitarum hiſtoria, ubi plurima videas naturæ prodigia, pleraque etiam ipſi Cl. Autori ſuſpecta, qui horum nihil ipſe offendens, fidem dictis non temere adhibendam, ſuo exemplo docet, cum ita comparata ſint, ut attonitorum magis affectum prodant, quam veriſimile quid ſiſtant. Cum de periodicis fontibus paſſim Autor tradat, imprimis miratur Engſtlanum fontem temporarium, qui periodum habet duplicem, annuam alteram, alteram diurnam; tribus enim menſibus fluit, a medio Maji ad Auguſti medium, neque flumine ruit continuo, ſed interrupto ſæpius, mane tamen & veſperi exundat, tanta ſæpe vi, ut molam agat; aqua, pecori jucunda, imprimis eſt frigida, limpida; ſi quid immundum mergitur, ſubſiſtit, cujus phænomeni rationem doctiſſimi Johan. Jac. Hermanni, tunc Baſileenſis Mathematici, verbis hanc reddit, quod ciſternam ſubterraneam, in quam nives liquatæ con- 405.
fluunt, natura aliquo veluti ſiphone intus muniverit, cujus crus intra receptaculum brevius exiſtat; id vero extra idem longius, per quod aqua, ciſterna repleta, defluat, & per fontem erumpat, qua exhauſta fluxus ſiſtantur per tempus, quo iterum confluat, ut vices abſolvat ſuas. Ipſi Autori rem intueri non licuit, nec falſa veris admixta eſſe, diſſimulat. In itinere *ſexto*, quod anno M DCC VII confectum eſt, thermæ fabariæ occurrunt, quibus ad depellendam dextri lateris hemicraniam, ipſe peregrinator Medicus uſus eſt, & monentur quædam ad eas pertinentia p. 433. Inde Rheni fluminis origo exhibetur, in varios flexus ope magnetis inquiritur, & delineatus in ære integer proponitur p. 436. In Itinere *ſeptimo* anni M DCC IX montium glacialium Grindelianorum teter adſpectus ſiſtitur. Et quo- 482.
niam non ſemel thermarum in Helvetia ſcaturientium mentio facta fuit, thermarum origo generatim retegitur. Res eo 486.

Digitized by Google

redit, quod Autor poſtulet, thermas, ſi non omnes, ſaltim nobiliores ad præaltorum montium radices infimas, vel voragines, collocari, ubi terra inter eminentes partes, ſubtracto laqueari intermedio, ſubſedit, ita ut exiguæ remanſerint, vel nullæ cavitates, omniaque interſtitia exacte fuerint a collapſa utrinque terra oppleta, per quorum anguſtias aqua preſſa ab æſtu ſubterraneo igne coacto, evadere nusquam poteſt; unde calorem contrahit. Et cum ad fontem Rhodani ventum eſt, ejus delineatio facta eſt, p. 487. Nec antiquæ eruditæ tabulæ neglectæ ſunt Viro docto, ſed quæ Seduni, Martiniaci, Agauni & alibi conſpectæ ſunt inſcriptiones veteres, p. 488 ſeqq. deſcriptæ repetuntur & explicantur. Itinere *octavo*, M DCC X inito, id imprimis Autori propoſitum eſt, ut Toggici Comitatus ſitum delineet, & experimenta barometrica pro inquirenda varii aeris elaſticitate diverſa, quod ab Illuſtr. Bignonio, & Cl. Maraldo ante factum fuit, inſtituens, naturæ hujus patriæ terræ partis arcana exponat. Ceſpes bituminoſus ad ripam Tigurini lacus foſſus deſcribitur p. 526, & in Ufnaugiæ inſula mortuus dicitur Huldricus Huttenus anno 1523, cujus epitaphium legitur p. 528, ubi & imago æri inciſa; Raperswilenſium civitatis forma ad eandem paginam exhibetur, & brevis fortunæ enarratio; hinc plenior ſequitur Glaronenſis Cantonis & alpium ejus deſcriptio; quæ vero p. 546 de S. Galli Fani bibliothecis adducuntur, pauca ſunt. Inde Toggii hac noſtra ætate celebris accurata hiſtoria ſequitur p. 551, in quo Comitatu pagus eſt Wildenhaus, Huldrico Zwinglio cive nobilis, p. 555, & quanquam montoſa hæc regio eſt, & rupibus horrida, inferior tamen pars agro ſerendo, & ſuperior paſcendo pecori eſt idonea, ut adeo incolæ ſibi ſufficiant. Et cum bellum hic exarſerit inter Cantones Tigurinum & Bernenſem ab altera parte, & altera Sancti Galli Abbatem, pacis inſtrumentum, quod anno M DCC VIII Badæ conditum eſt, integrum legitur p. 563. *Nonum* iter anno M DCC XI ſuſcepit indefeſſus patriæ & ſcientiæ ſtudio Scheuchzerus, quo Bernæ civitatis hiſtoria fere abſolvitur. Quotquot ſunt itinerum horum periodi, tot eſſe induſtriæ Autoris & doctrinæ teſtimonia, cuilibet emunctæ naris lectori ita ſe prodet, ut nullo noſtro præconio indigeat: id modo præter allata repetendum

Digitized by Google

tendum, ſumma cura actum eſſe, ut Mercurii in barometro motu locorum & montium dignoſcantur altitudines, aeriſque vices variæ. Botanices ſtudioſis plures alpinæ plantæ ſeſe offerent, ſingulis quippe itineribus ſubjuncta earum recenſione, quæ vel hactenus ignotæ ſunt, vel minus accurate depictæ. Ad finem autem itinerum adjecta ſunt Acarnania, ſive plenior recenſus eorum, quæ Acarnan, qui Joh. Jac. Scheuchzerus eſt, vel typis edidit, vel affecta ſervat, quæ hiſtoriæ naturalis bibliothecæ inſignem partem poterunt conficere; ex quo vero licebit cognoſcere, evitare non potuiſſe Virum doctum, patriæ rerum amore captum, quin, quæ uno loco prodiderat, etiam in alium transferre cogeretur.

JACOBI JURINI, REGIÆ SCIENTIARUM Londinenſi Societati a ſecretis, Diſſertationis de motu aquarum fluentium contra nonnullas PETRI ANTONII MICHELOTTI animadverſiones Defenſio. Accedit ejusdem MICHELOTTI ad Illuſtriſſ. Virum ANTONIUM DE COMITIBUS, Patritium Venetum, Epiſtola, in qua illi ipſi Jurinianæ Defenſioni reſpondetur.

Venetiis, typis Pinellorum Fratrum, 1724, 4.
Plag. 5.

CL. *Michelottus* in Diſſertatione de Separatione fluidorum in corpore animali, de qua diximus in Actis A. 1721 p. 493, defenderat theorema *Bernoullianum* de velocitate aquæ per foramen effluentis, cujus demonſtratio publici juris facta eſt a Cl. *Hermanno* in Actis A. 1716 p. 131. Contraria & cum tradidiſſet Cl. *Jurinus*, placita *Newtoniana* probans, in Diſſertatione de motu aquarum fluentium, quæ legitur in Tranſactionibus Anglicanis Num. 355, eadem refellenda eſſe exiſtimaverat. *Jurinus* itaque Diſſertationis ſuæ adverſus *Michelottum* edidit in iisdem Tranſactionibus defenſionem, quam cum ſua ad eandem reſponſione Venetiis recudi curavit *Michelottus*. Ad duo autem capita omnis defenſio redit. Primo nimirum monet *Jurinus*, mentem ſuam a *Michelotto* non fuiſſe perſpectam. Etenim ſe non tractare de

celeritate aquæ per foramen vaſis effluentis, quam determinat theorema *Bernoullianum*, ſed de motu totius aquæ ſeu cataractæ aqueæ, quæ intra vas verſus foramen deſcendit & mox effluxum eſt: quem hactenus nemo adhuc Mathematicorum determinarit. Eſſe autem hos motus omnino diverſos, cum prior ſit in ratione compoſita ex ratione quantitatis aquæ dato quovis tempore effluentis ex foramine & ratione velocitatis, quacum effluit, poſterior autem in ratione ſummæ omnium factorum ex ſingulis aquæ particulis cataractam conſtituentibus ductis in velocitates earundem reſpectivas. Deinde ſecundo fundamentum demonſtrationis *Bernoullianæ* rejicit, quod ponit guttulam liquoris infimam & foramini vaſis immediate incumbentem premi vel animari a gravitate quadam acceleratrice, quæ ſe habet ad gravitatem naturalem, ut altitudo aquæ vel liquoris totius foramini vaſis incumbentis ad altitudinem guttulæ, ſeu ut pondus abſolutum columnæ aquæ foramini inſiſtentis ad pondus abſolutum guttulæ. Putat enim, aquam foramini proximam, nonniſi eodem clauſo ſuſtinere hanc preſſionem, minime autem aperto: in caſu nimirum poſteriori eam non urgeri niſi gravitate ſua naturali, cum non amplius columna aquea incumbens in deſcenſu ab iſta impediatur. Evidens hoc eſſe exiſtimat, ſi omnis aqua columnam illam ambiens congelari ponatur & columna aquea per politiſſimam glaciem ſine omni reſiſtentia labi concipiatur. Ad hæc Cl. *Michelottus* reſpondet: *Jurinum* ſi non ex induſtria, caſu minimum tangere demonſtrationem *Bernoullianam*, cum in Diſſertatione ſua diſertis verbis redarguat illos, qui motum aquæ per foramen preſſione columnæ incumbentis generari contendunt. Immo citat tum ipſius, tum *Newtoni*, verba, quem ſequitur, in quibus diſerta velocitatis aquæ per foramen effluentis ſit mentio. Sed miſſis iſtis, quæ levioris ſunt momenti, in fundamento præſertim demonſtrationis *Bernoullianæ* vindicando & ſtabiliendo operam ſuam collocat. Monſtrat itaque, perperam *Jurinum*, duos caſus diverſos confundentem, ponere, quod aqua omnis in vaſe glacietur columna foramini ad perpendiculum incumbente excepta, propterea quod guttulæ motus generetur a preſſione laterali aquæ verticali prorſus æquali & deſcenſui columnæ

verti-

verticalis reſiſtente. Demonſtrat igitur aſſumtum *Bernoullianum* hoc modo: "Sit, inquit, ABCD vas aqua ad ſummum usque" orificium repletum, cujus in fundo BC ſit foramen O, quod" primo obturatum pono: ei certe inſiſtit gutta aquæ proxima," quam licet conſiderare tanquam columellam ſolidam OE, cujus" baſis ſuperior E urgetur quidem a pondere totius columnæ" ſuperincumbentis EF, ſed ejus quoque latera, uti ex Hydro-" ſtatices legibus & natura fluiditatis conſtat, comprimuntur a" laterum columnis, quales ſunt EH, EG, quæ continenter partes" ſuperiores ab inferioribus ſeparare nituntur. Concipiamus" nunc, obturamento remoto reſerari ſubito foramen O: ſcis, quid" eveniet? Incipiet columella OE primo inſtanti deſcendere ſola" vi ſuæ naturalis gravitatis, quam conaretur quidem ſequi" columna incumbens EF, niſi hanc deſcendere conantem prohi-" berent columnæ æque & contra ponderantes EH, EG. Quam-" obrem aqueæ columellæ OE tanquam ſolidæ ſpectatæ a ſuperin-" cumbente columna EF divulſio exoriri debet, ac propterea" minimo facto hiatu Ee, laterum columnæ EH, EG eodem" temporis momento apices infimos cuneorum ad inſtar in inter-" ſtitiolum Ee defigunt. Jam vero ex æqualitate virium, quæ, uti" ex Mechanicis patet, utrinque partibus a cuneo divellendis in-" feruntur, ſequitur, tanta vi maſſam totius columnæ eF ſurſum" impelli, quanta columella OE deorſum impingitur: vis prior" ſuſtinet columnam eF in æquilibrio, atque ob id eſt æqualis" ejus ponderi $=M.g$ (intelligo per M columnæ eF maſſam &" per g gravitatem naturalem, qua corpora gravia accelerantur" in motibus ſuis) vis altera, qua columella OE deorſum propel-" litur, eſt m.G: intelligo hic pariter per m columellæ OE maſ-" ſulam, & per G gravitatem novam acceleratricem ex iſta cunei" preſſione oriundam, qua quantitas materiæ, quam columella" OE obtinet, animari debet. Quoniam igitur iſtæ duæ vires" ſunt æquales inter ſe, utpote ab eadem cunei actione profectæ," erit $M.g=m.G$ ac proinde $g:G=m:M$. Eſt vero m ad M ut" altitudo columellæ OE ad altitudinem columnæ eF, hoc eſt" (ob infinite parvam OE vel Oe) ad totam aquæ altitudinem" OF. Quare patet veritas ejus, quod in ſua *Jo. Bernoullius* de-"

Tab. III. Fig. 6.

 mon-

„monſtratione aſſeruit: guttulam nimirum infimam foramini „inſiſtentem in deſcenſu ſuo animari a gravitate acceleratrice, „quæ ſe habet ad gravitatem naturalem reciproce ut tota aquæ „altitudo O F ad altitudinem minimam columellæ O E.

DEMONSTRATIO CONSTRUCTIONIS EDITÆ in Actis Lipſ. 1724 M. Jul. pro deſcribenda Trajectoria reciproca, quæ inter omnes algebraicas poſſibiles ſit ſimpliciſſima; Autore JOH. BERNOULLI.

Conſtructionem, de qua hic agitur, anagrammati involutam dedi exeunte anno 1722 in litteris privatis Anonymo Anglo eam a me exigenti. Anagramma ipſum brevi poſt comparuit in Actis Lipſ. 1723 M. Febr. ejusdemque Evolutio in iisdem Actis 1724 M. Jul. ubi Demonſtrationem Conſtructionis in peculiari Schediaſmate me communicaturum promiſi; animus nunc eſt datam liberare fidem.

TAB. III. Fig. 5. Sit in hac adjecta Figura ſuper recta AL, Parabola cubicalis ſecunda ſemirectangula ABQ, cujus nempe abſciſſarum AO, AF, AL &c. quadrata ſint ut cubi applicatarum OM, FB, LC &c. cum abſciſſis angulos ſemirectos conſtituentium. Ducta per verticem Parabolæ A recta AT perpendiculari ad applicatas: vocetur parameter 27 a; ſumaturque in AT pars AE = 2 a; per punctum E tranſiens applicata FB prolongetur ad P, ita ut BP ſit = BE: per B & P agantur RS & PQ parallelæ ipſi AT, quarum PQ occurrat Parabolæ in Q. Dico Parabolam hanc circa RS converſam, ut in ſitum priori contrarium veniat, ſe ipſam intra parallelas AT, PQ ultro citroque motam ad angulos rectos ſecare.

Demonſtr. Accepta qualibet AG majori quam AE, quæ vocetur $(a+x)^3 : \frac{1}{2} aa$, aliaque AH minori quam AE, quæ dicatur $(a-x)^3 : \frac{1}{2} aa$, erunt ex Natura hujus Parabolæ (ob $AL = AG\sqrt{2}$, & $AO = AH\sqrt{2}$) $LC^3 = 2\, AG^2 \times 27a = AG^2 \times 54a$, & $OM^3 = 2\, AH^2 \times 27a = AH^2 \times 54a$; adeoque $LC = \left(\frac{(a+x)^6}{\frac{1}{4}a^4} \times 54a\right)^{\frac{1}{3}} = \left(\frac{(a+x)^6}{a^3} + 216\right)^{\frac{1}{3}} = \frac{(a+x)^2}{a} \times 6 =$

6aa+

$\frac{6aa+12ax+6xx}{a}$, & ob eandem rationem OM $= \frac{6aa-12ax+6xx}{a}$. ſubductis GL & HO quæ ſu[nt] æquales ipſis AG & AH, remanebunt GC $= \frac{4a^3+6aax-2x^3}{aa}$ & HM $= \frac{4a^3-6aax+2x^3}{aa}$; Si jam porro ſubtrahatur EB, quæ eſt $= 4a$, ex GC, item HM ex EB, reſtabunt (ductis CD & MN parallelis ipſi AT) BD & BN quarum utraque æqualis erit $\frac{6aax-2x^3}{aa}$; adeoque ipſæ BD & BN inter ſe æquales. Dematur nunc AE ſeu $2a$ ex AG ſeu $\frac{2a^3+6aax+6axx+2x^3}{aa}$, ut & AH ſeu $\frac{2a^3-6aax+6axx-2x^3}{aa}$ ex AE ſeu $2a$, ut habeantur EG vel DC $= \frac{6aax+6axx+2x^3}{aa}$, & EH vel NM $= \frac{6aax-6axx+2x^3}{aa}$. Differentientur nunc BD vel BN, nec non EG & EH, ut prodeant Dd vel Nn, hoc eſt, Cb vel Me $= \frac{6aadx-6xxdx}{aa}$, atque bc $= \frac{6aadx+12axdx+6xxdx}{aa}$ & em $= \frac{6aadx-12axdx+6xxdx}{aa}$. Eſt autem $\frac{6aadx-6xxdx}{aa}$ medium proportionale inter $\frac{6aadx+12axdx+6xxdx}{aa}$ & $\frac{6aadx-12axdx+6xxdx}{aa}$, nam liquet eſſe $aa+2ax+xx.\ aa-xx :: a+x.\ a-x$, ſicut etiam $aa-xx.\ aa-2ax+xx :: a+x.\ a-x$. Hinc Cb $\times$ Me ſeu $\square$Cb $=$ bc $\times$ em, id quod eſt proprietas requiſita pro trajectoriis reciprocis, ceu docui in Actis 1722 p. 398 §. 3. Ex quo ſequitur, Parabolam cubicalem ſecundam ſemirectangulam ABQ eandemque circa RS transpoſitam in ſitum inverſum atque intra parallelas AT, PQ hinc inde motam ſemet ipſam ad angulos rectos conſtanter ſecare. Q. E. D.

Coroll. 1. Sumtis tam BD quam BN $= 4a =$ BE; abeuntibus nimirum DC in PQ, & NM in EA: erit in puncto A angulus M

me

me rectus, ideoque ejus complementum Ccb evaneſcit in puncto Q; hoc eſt, ultima applicatarum DC quæ eſt PQ tangit curvam in puncto Q. Id quod ex eo quoque patet, quia ſi BD $\left(\frac{6aax-2x^3}{aa}\right)$ ponatur $=$ *Maximo*, prodit $x=a$, quo valore ſubſtituto, habetur $\frac{6aax-2x^3}{aa}=4a=$ BE $=$ BP.

Coroll. 2. Si jam pariter in expreſſione ipſius EG vel DC quæ eſt $\frac{6aax+6axx+2x^3}{aa}$ ſcribatur a pro x, habebitur ET vel PQ $=14a$, ipſaque EH vel NM $\left(\frac{6aax-6axx+2x^3}{aa}\right)$ abit in ipſam Ea $=2a$. Unde tota baſis AT $=16a$, maximaque curvæ altitudo TQ $=$ EP $=8a$, ita ut AT ſit dupla ipſius TQ.

Scholium. Geometris notum eſt, Parabolam cubicalem ſecundam conſtare duobus ramis ſeu cruribus ſe invicem tangentibus in vertice qui proin eſt *punctum reverſionis*. Hinc noſtra ABQ quæ eſt ſemirectangula, habebit alterum ramum AX ſesquirectangulum, cujus ſcilicet applicatæ YX cum abſciſſis AY angulum conſtituunt obtuſum AYX ſesquirecto æqualem. Notetur autem, nonniſi arcum ABQ ex duobus contiguis BA, BQ conflatum in ſtrictiſſimo problematis ſenſu ſatisfacere quæſito, utpote qui ſolus in ſitu inverſo ſe ipſum ad angulos rectos decuſſat; continuata enim parabola verſus V, attendenti patebit neque arcum QV, neque ramum AX ea proprietate gaudere, ut uterque ſe ipſum in ſitu inverſo orthogonaliter trajiciat, ſed id tantum evenire, ut alter alterum, hoc eſt, arcus AX inverſus arcum QV, vel QV inverſus ipſum AX in recto ſecet angulo. Ob hanc rationem dixi, Parabolam cubicalem ſemirectangulam tantum reſpondere conditioni præſcriptæ, excluſo ramo altero AX ſesquirectangulo, immo quoque excluſo arcu QV ultra Q quantumvis protenſo. Quod ſi jam applicatæ ſingulæ LC, FB, OM &c. inflectantur circa puncta G, E, H, &c. ita tamen ut omnes inter ſe maneant parallelæ, puncta C, B, M, &c. erunt ad aliam parabolam cubiculem ſecundam ABQ ſemper quidem acutangulam quia

quia angulus ALG ad baſin trianguli iſoſcelis AGL neceſſario eſt acutus. Inſerviet vero tunc parabola ABQ pro quolibet interſectionis angulo obliquo, quippe qui conſtanter æqualis erit inflexionis angulo AGL ad arbitrium facto vel obtuſo vel acuto; ſicuti demonſtravi in Actis 1722 p. 405.

Analyſis ad Conſtructionem præcedentem ducens.

Dedi in Actis memoratis 1722 tres generaliſſimos ſolvendi modos, quibus inveniuntur Trajectoriæ reciprocæ infinitorum generum cum algebraicæ tum tranſcendentes, atque hæ ſive per quadraturas ſive per rectificationes curvarum algebraicarum conſtruendæ. Duo priores illorum modorum dextre adhibiti ſubminiſtrant inventionem ſimpliciſſimæ quam conſtruxi ac demonſtravi algebraicæ Trajectoriæ reciprocæ; id qua arte obtineatur per ambos illos modos, nunc quidem docebo.

Modus I. Ad primum quod attinet, conſiſtit ille in condendis formulis, quarum quædam exempla concinnavi p. 398 & 399, quarumque naturam & fabricam ibidem expoſui; poſitis nimirum x & y pro coordinatis curvæ quæſitæ, aſſumtisque ipſius x duabus quibuscunque functionibus A & B, ejus indolis ut mutatis ſignis poteſtatum imparium ipſius x, functiones ipſæ in ſe invicem convertantur, hoc eſt, ut A mutetur in B atque B in A, oſtendi æquationem $dy = \frac{A}{B} dx$ determinare aliquam ex curvis optatis. Cum vero difficile ſit, ut ibidem jam monui p. 400, eas ex ejusmodi functionibus A&B eligere, quæ inde emergentem formulam $\frac{A}{B} dx$ reddant integrabilem, manifeſtum eſt curvam hac ratione determinatam plerumque, ſi non ſemper, evadere tranſcendentem. Quamobrem lubet hic indicare, quo pacto fieri poſſit, ut aſſumta tertia quadam functione G, æquatio oriatur integrabilis, exhibens proin curvam algebraicam.

Sit itaque G functio ipſius x, ſed talis, ut contineat tantum poteſtates pares ejusdem; dico, ſi pro elementis coordinatarum ſumantur G dx & $\frac{A x G}{B} dx$, fore curvam quæ hinc naſcitur,

etiamnum ex deſideratis unam, quod ſic paucis demonſtro: Quia enim mutato x affirmativo in negativum & viciſſim mutabitur $\frac{A}{B}$ in $\frac{B}{A}$, ipſum vero G non mutabitur, quoniam non niſi dimenſiones pares continet ex aſſumtione; unde captis (vid. Fig. I p. 397) utrinque in partes oppoſitas abſciſſis OL & OM $= \int G\,dx$, applicata LB $= \int \frac{A \times G}{B} dx$; erit altera applicata MD $= \int \frac{B \times G}{A} dx$. Eſt autem $\frac{A \times G}{B} dx \times \frac{B \times G}{A} dx = G \times G\,dx^2$, hoc eſt, $cB \times nd = \square Ll$. Curva igitur ADBC, per ea quæ a me demonſtrata ſunt p. 398 §§. 2 & 3 ſatisfacit problemati. Q. E. D.

Hinc ut curva ADBC fiat algebraica, nihil aliud faciendum, quam ut aſſumatur G talis, quæ producat integrabiles tam $G\,dx$ quam $\frac{A \times G}{B} dx$; id quod aſſumta fractione $\frac{A}{B}$ rationali infinitis modis exequi licet. En hunc facillimum: Pone $G = A \times B$, habebit utique G conditionem ſuppoſitam, ſi nempe A & B ſuas habuerint, quemadmodum attendenti ſponte liquet; prodibit inde $G\,dx = A \times B \times dx$, & $\frac{A \times G}{B} dx = A \times A \times dx$, utrumque ſane integrabile ob A & B functiones rationales & integras. Quare ſi abſciſſa OL fiat æqualis $\int A \times B \times dx$, & applicata LB $= \int A \times A \times dx$, reſultabit curva ABC algebraica quæſito reſpondens. Nota, per x & $-x$ intelligi quamlibet partem indeterminatam ab O verſus H, eandemque ab O verſus G capiendam, ex qua formentur functiones A & B, atque ex his coordinatæ OL, LB vel OM, MD.

His ita præmiſſis, ſi inveſtigare jam lubeat, quænam ex omnibus iſtis algebraicis ſit ſimpliciſſima & cujus ſit naturæ vel quam habeat æquationem coordinatis convenientem: eligatur ex formulis, quarum fabricam in Actis loco præmemorato docuimus, ea, quæ omnium eſt ſimpliciſſima, vel qua ſimplicior dari non poteſt; hæc autem, ceu patet, eſt ipſiſſima illa, quæ pag. 398 primum locum occupat $dy = \frac{a-x}{a+y} dx$, aut quod perinde

eſt

eſt $dy = \frac{a+x}{a-x} dx$; ubi igitur $A = a+x$, & $B = a-x$; adeoque G ſeu $A \times B = aa - xx$: unde $OL = \int A \times B \times dx = aax - \frac{1}{3}x^3$, & $LB = \int A \times A \times dx = aax + axx + \frac{1}{3}x^3 + c^3$; adjicio conſtantem c^3, ut moris eſt in integrationibus, ad denotandam primam applicatam puncto O reſpondentem. Si vero magis arrideat, ut curva ABC tranſeat per O, negligi debet c^3, & ſic accommodabitur ad figuram præſentem huic ſchediasmati adjectam, in qua punctum B initium eſt abſciſſarum; abſciſſæ ipſæ hinc inde æquales BD & BN, applicatæ DC & NM. Habebimus itaque curvam ABC algebraicam, cujus hæc eſt indoles, ut ſumtis abſciſſis in utramque partem BD & BN $= aax - \frac{1}{3}x^3$, applicata DC ſit $= aax + axx + \frac{1}{3}x^3$, altera per conſequens NM $= aax - axx + \frac{1}{3}x^3$. Multiplicemus has quantitates per conſtantem $\frac{6}{aa}$, ut coordinatarum valores unius ſint dimenſionis, quo facto prodibit BD $=$ BN $= \frac{6aax - 2x^3}{aa}$, DC $= \frac{6aax + 6axx + 2x^3}{aa}$, & NM $= \frac{6aax - 6axx + 2x^3}{aa}$. Verum ſupra in Conſtructione demonſtravimus, hanc proprietatem competere Parabolæ cubiculi ſecundæ: atque ita hæc Parabola analytice deducta eſt ex formularum in Actis à nobis expoſitarum ſimpliciſſima, quod qua ratione fiat, oſtendere hoc loco volebamus.

Modus II. Propero ad alteram Methodum ibidem p. 403 explicatam, ubi docui modum deſcribendi trajectorias reciprocas transcendentes & algebraicas per rectificationes curvarum GEH (vid. Fig. IV in eadem pagina) arcus hinc inde ſimiles & æquales ES, EM habentium. Oſtendere nunc animus eſt, etiam per hanc methodum maxime generalem perveniri ad noſtram parabolam cubicalem ſecundam, tanquam omnium trajectoriarum reciprocarum ſimpliciſſimam. Hunc in finem quæro ex omnibus curvis habentibus ab utroque axis EO latere ramos ESH, EMG ſimiles & æquales eam, quæ primo ſit algebraica & rectificabilis, ſecundo quæ ſit, quoad fieri poteſt, infimi

 ordinis

Digitized by Google

ordinis vel dimenſionis reſpectu æquationis inter coordinatas, ac tandem tertio cujus arcus ES, EM cum abſciſſis correſpondentibus relationem habeant infima poſſibili æquatione expreſſam.

Ut tria iſta requiſita obtineam, concipio in præfata Fig. IV ductam eſſe applicatam SL perpendicularem ad axem EO; atque inter abſciſſam EL, quam voco z, & applicatam SL, quam voco t, haberi hanc æquationem $t = \frac{1}{2-2n} a^n z^{1-n} - \frac{1}{2+2n} a^{-n} z^{1+n}$ (ubi per n intelligo quemcunque numerum fractum unitate minorem cujus numerator ſit impar & denominator par) dico, curvam hanc algebraicam conſtare ramis utrinque ſimilibus & æqualibus, quod examinanti facile patet, ejus arcus eſſe rectificabiles, eosque habere ad abſciſſas relationem non magis compoſitam quam ipſæ applicatæ ad abſciſſas habent; erit enim ES vel EM $= \frac{1}{2-2n} a^n z^{1-n} + \frac{1}{2+2n} a^{-n} z^{1+n}$, quæ expreſſio ab ea qua applicata SL exprimitur non differt niſi ſigno quo afficitur ſecundus terminus. Ex omnibus igitur curvis ESH, hac æquatione determinatis, illa quæ ſimpliciſſima eſt reſpectu æquationis inter coordinatas, erit etiam ſimpliciſſima reſpectu relationis inter abſciſſas & arcus. Videndum adeoque eſt, quid pro n ſumendum ſit, ut prodeat æquatio inter t & z infimæ poſſibilis dimenſionis; inferior autem dari non poteſt quam tertia, alias ſectio conica foret rectificabilis. Velis ergo tertiam: Pone $n = \frac{1}{2}$, atque obtinebis $t = a^{\frac{1}{2}} z^{\frac{1}{2}} - \frac{1}{3} a^{-\frac{1}{2}} z^{\frac{3}{2}}$ ſeu $t = \sqrt{az} - \frac{1}{3}\sqrt{\frac{z^3}{a}}$, quæ reducta dat $9att = z^3 - 6azz + 9aaz$ pro curva tertii ordinis ESH, cujus arcus $ES = \sqrt{az} + \frac{1}{3}\sqrt{\frac{z^3}{a}}$.

Ex hac ut eruas naturam Trajectoriæ reciprocæ AEC: ex puncto B demitte in axem EO perpendiculum BT; habebis abſciſſam $ET = EL + LT = EL + SB = EL + ES = z + \sqrt{az} + \frac{1}{3}\sqrt{\frac{z^3}{a}}$, & applicatam $BT = SL = t = \sqrt{az} - \frac{1}{3}\sqrt{\frac{z^3}{a}}$. Aſſume nunc quamlibet

libet

Digitized by Google

libet indeterminatam x atque fac, quod liberum eſt, $z=\frac{xx}{a}$; orientur coordinatæ per x expreſſæ, ſcilicet abſciſſa ET $=\frac{xx}{a}+x+\frac{x^3}{3aa}$, & applicata BT $=x-\frac{x^3}{3aa}$; quibus in ordinem reductis, utriusque ſimul ſextuplum ſumendo, fit ET $=\frac{6aax+6axx+2x^3}{aa}$ & BT $=\frac{6aax-2x^3}{aa}$. Liquet ergo nunc iterum ex Conſtructione ſupra data & demonſtrata, Trajectoriam ſimpliciſſimam algebraicam per ſecundam noſtram methodum adinventam eſſe Parabolam Cubicalem ſecundam; nullo hic alio exiſtente diſcrimine, quam quod coordinatæ permutentur, dum quas ibi vocavimus abſciſſas, hic applicatarum nomine veniunt ac vice verſa.

Atque ſic omni ex parte ſatisfactum jam puto Anonymo Anglo, quando non tantum exhibui, ſed & demonſtravi, quod a me tum exhibendum tum demonſtrandum poſtulaverat. Vices nunc redditurus, permittente id talionis lege, quæro ab eo, ut det aliam Trajectoriam reciprocam algebraicam, quæ ſit inter omnes quas invenire poteſt in ordine ſimplicitatis ſecunda, utque exhibeat æquationem inter coordinatas naturam curvæ quæſitæ exprimentem.

Subjicimus hoc loco errata quædam typographica, quæ in Obſervat. Bernoullianas Anno ſuperiore irrepſerunt: pag. 298 l. ult. pro *ſe* leg. *ita ſe*; p. 361 l. 9 pro $+px$ ſcrib. $-px$; p. 365 l. 25 pro $\int dx \int dx \int px$ ſcribatur $\int dx \int dx \int pdx$; p. 366 l. 1 deleatur ſignum +.

DE SUBLINGUALIBUS SALIVÆ DUCTIbus Anonymi Epiſtola ad Actorum Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur, Autores.

TAbula III, quam vos adjunxiſtis Actis Eruditorum Menſ. Julii Anni ſuperioris MDCCXXIV oſtenſa mihi eſt ante aliquot hebdomadas a Juvenibus quibusdam noſtratibus, Anato-

miæ Studioſis, ut ex ipſa novos, ut ipſi dicebant, Glandularum Sublingualium Rivos cognoſcerem. Quos cum in ea Tabula inſpexiſſem, reſpondi, eosdem mihi videri, quos Celeberrimus Patavin. Anatomicus Primarius Jo. Bapt. Morgagnus jampridem in ultima Animadverſione Adverſariorum Anatom. VI deſcripſerit, ubi nimirum docuit, *multoties complura utrinque vaſcula*, & hæc *ab exterioribus Sublingualium Glandularum lateribus* exeuntia, & *non magno a Glandulis intervallo Peculiari quodque oſculo biantia* tum ſe *conſpexiſſe*, tum *amicis præſertim Venetis oſtendiſſe*, & *ſæpius tenuiores ſetas* in ea oſcula *immiſiſſe*. Addidi: nullo alio Magiſtro, quam his ipſis, quæ memoriter retuleram, Morgagni verbis, rivos in illa tabula pictos, a me jampridem in lingua humana quæſitos, & ſatis ſuperque eſſe conſpectos. Verum Juvenes iidem, ut, quod mihi dixerant, tuerentur, Actorum nominati M. Julii pag. 292 & 293 confeſtim monſtrarunt, ex quibus cognovi, a Tabulæ iſtius Autore totam illam Morgagni Animadverſionem in aliam omnino partem trahi. Ego autem, quamvis mihi viderer poſſe, imo debere ita omnia Cl. Morgagni verba explicare, ut primæ illi, atque obviæ interpretationi, qua ego ipſa ſemper acceperam, non repugnarent; tamen, ut inutiles verborum controverſias effugerem, tunc ſilui, præſertim cum viderem, aliam multo faciliorem, eandemque certiſſimam eſſe viam, hanc veritatem indagandi, quam miror alios non eſſe ſecutos. Scilicet ad Amicos, quos in Italia habeo, literas dedi, ut non jam ex ipſo Morgagno, ſed ex altero Anatomico Patavino, præſertim vero etiam ex aliquo eorum *Venetorum*, quibus a Morgagno olim, ut ſupra dictum eſt, ſui ductus Sublinguales demonſtrati ſunt, quærerent, non modo quomodo ipſi Morgagni verba interpretarentur, verum etiam, idque præcipue, quænam revera ſolitus ſit Morgagnus vaſcula Sublingualium Glandularum oſtendere. Itaque intra breve tempus accepi duo Teſtimonia Celeberrimorum Virorum, quorum ut autographa apud me aſſervo, ita exempla fideliter exſcripta, eodem, quo ad meas manus venerunt, ordine ſubjungo, ut non tantum mihi, ſed etiam omnibus inſervire poſſint, qui in Hiſtoria Anatomiæ verum amant & ſcire cupiunt. Æquitatis enim veſtræ

fore,

Digitized by Google

fore, non dubito, hæc in veſtris Actis edere eadem fide & candore, quo alienam interpretationem edidiſtis, ut ex utroque hoc, quod ſubdo, tam gravi, tam certo, tam claro, non opinationum, aut argumentorum, ſed factorum, atque autopſiæ Teſtimonio, ſublatis cunctis verborum & interpretationum tricis, planiſſime intelligere omnes queant, quis interpretando a vero aberraverit, &, quod caput eſt, quis primus Veros Sublinguales Ductus non jam ſuppoſuerit, ſed demonſtraverit. Valete.

Teſtimonium primum.

Cum ineunte Anno MDCCVII Venetiis eſſet Illuſtriſſimus D. Joan. Baptiſta Morgagnus, nunc in Patavino Gymnaſio Primarius Anatomes Profeſſor Celeberrimus, ac Præſes, jam tum in ædibus Cl. Joannis Antonii Benevoli, repetitis oſtenſionibus, in ipſa inferiore linguæ humanæ facie plures utrinque ductus, tenuioribus immiſſis ſetis, luculentiſſime demonſtravit ex intima Sublingualium Glandularum ſubſtantia vere prodeuntes. Quos ductus paulo poſt & in publico Theatro nos quoque oſtendimus, conjecta in ſingulos tenui ſeta, & ut rem certiſſimam ab illo usque tempore noſtri in Anatome Alumni cognovere. Neque ſuſpicati unquam ſumus, alios quam illos ipſos ductus deſcriptos eſſe a Præclariſſimo Morgagno Adverſ. Anatom. VI poſtrema Animadverſione verbis illis: *multoties complura utrinque vaſcula &c.* D. Venetiis XVII Kal. Aprilis MDCCXXV.

JOANNES DOMINICUS SANTORINI,
Magiſtratus Excellentiſſimi Salutis Venetiarum
Proto-Medicus, & Publicus Anatom. Profeſſor.

Teſtimonium ſecundum.

Ab Illuſtriſſimo & Sapientiſſimo Viro D. Joanne Baptiſta Morgagno, noſtræ hujus Inclytæ Academiæ Anatomico Primario, & Præſide, nunquam alia demonſtrari vidi Sublingualium hominis Glandularum vaſa excretoria, quam quæ a lateribus ipſarum externis, id eſt, non ab illis, quibus ex Glandulæ ſeſe mutuo ſpectant, ſed ab illis, quibus ſpectant gingivas, in contiguam linguæ inferiorem faciem exeunt, & recta verſus gingivas,

vas, ſed per eandem linguæ faciem tendunt ita, ut in eadem linguæ facie, non magno emenſo ſpatio, ſingula in oſculum deſinant, tenuiorem ſetam admittens. Nec mihi unquam, aut aliis, quod ſciam, apud nos venit in mentem aliter accipere verba illa ejusdem Celeberrimi Autoris, quæ in fine VI Adverſariorum leguntur: *multoties complura utrinque &c.* D. Patavii X Kal. Aprilis MDCCXXV.

JOANNES BAPTISTA VULPIUS,
In Patavina Univerſitate Ordinarius
Profeſſor Publicus Anatomiæ.

Reſpondet apud nos alius Anonymus:

Neque conſultori Italo adſtipulor, neque ad hac de re conſultos accedo, qui eosdem ſe reperiſſe ductus, quos *Steno* & *Verheyenius*, & poſt hos doctiſſimus *Morgagnus* viderat, confidenter aſſerunt, de noſtri Autoris novis non ſolliciti. Sed quisquis eſt ille aliquot verborum Cl. Morgagni interpres, qui tam diverſa non diſcernit, vereor, ne cum quadratis rotunda confundat: injurios autem nos in æquitatem tuam, Lector, fore credimus, ſi pluribus clarum facere contendimus, quod non ignorare te, debebamus confidere: de veris certe ſublingualibus ductibus, recens in Germania a ſe inventis, te Autor plenius docet in Exercitatione, qua inventionis laudem meruit; ſicut alii induſtriæ & in agendo dexteritatis teſtimonio non fraudandi erunt. Ductus autem ſuos ad latus verſus gingivas excurrentes, ab aliis hactenus non viſos, non admitti ante, quam clarius deſcripſerint, conſpiciendosque exhibuerint, eorum Autores non inique ferent.

DISSERTATIONES MEDICÆ ET CHIRURGICÆ, habitæ in Amphitheatro Collegii Regalis Medicorum Londinenſium a GUALTHERO HARRIS, M.D. in eodem Collegio Præſide nato & Chyrurgiæ Profeſſore.

Londini, impenſis Guilielmi & Joannis Innys, 1725, 8.
Plag. 17.

Non

NOn ignotum eſt nomen Clariſſimi Harris erudito orbi; ſiquidem ante hos triginta ſex annos Libro de Morbis Acutis Infantum, a nobis anno 1690 M. Junio p. 296 recenſito, ſingularem in ſcholis Medicis indeptus eſt famam. Diſſertationes nunc idem intra decennium habitas publici juris facit, certa ſub ſpe, fore, ut obſervationes Practicæ per eas paſſim diſpertitæ, & ſpeculationum commentis plurimum immunes, lucem aliquam afferant rebus quibusdam Medicis & Chirurgicis, caligine quadam obſcuratis, aut in devia ducentibus ſalutem ægris reddere percupientes. Ex ſingulis pauca delibabimus. In *Diſſ. I* quæ *de Febribus Continuis & Intermittentibus* agit, in Continuarum Cura emeticum neceſſarium judicatur, quoties horrori aut rigori vomitus aut vomituritio ſuccedit, magisque tutum, durante æſtatis fervore, quam in gelida hyeme; venæſectio autem illa damnatur, quæ nimis ſero, in febris ſtatu, aut progreſſu, cum vires dejiciuntur, inſtituitur; reliqua autem remedia pro diverſis morbi temporibus varianda eſſe, monetur, ita ut in principio ad inflammationem compeſcendam refrigerantia & diluentia, quæ ſine calefactione viſciditatem lymphæ attenuant & liquefaciunt, facileque ex paſſulis, hordeo, melle aut ſimilibus in aqua, vel lacte coctis parantur, ac teſtacea ad calorem febrilem contemperandum; in vigore & ſtatu cardiaca, ut vinum tepefactum, ſive Luſitanicum, ſive Hiſpanicum; in declinatione laxans ex foliis ſennæ in uſum ſint vocanda. Intermittentium ſedes unica conſtituitur ventriculus, in quibus curandis annotat Autor, ſingulis aut alternis corticis Peruviani doſibus tres, vel quatuor guttas olei ſulphuris per campanam, aut aliquot drachmas ſucci limonum cum tantillo laudani liquidi, vel ſyrupi de meconio immiſceri debere pro viris, pro tenerioribus vero, & præſertim fœminis infuſionem frigidam corticis ſufficere. Loco hujus febrifugi ipſemet pulveris e chelis cancrorum ſimplicis ſemidrachmam, aut ſcrupulos duos duabus horis ante paroxyſmum in cochleari aquæ lactis alexiteriæ, aut menthæ, vel ſeri lactis cum fructu propinat, alteramque ejusdem pulveris doſin hora una poſt priorem repetit, externe vero linteum duplicatum calefactum, & in ſpiritu vini madefactum, vel mithridatium cum oleo nucis moſchatæ

Digitized by Google

expreſſo ventriculi regioni adhibet, atque ut æger tempore paroxyſmi ab omni cereviſia abſtineat, pro ſiti vero fallenda potu ex vini albi & aquæ unciis quatuor in lactis vaccini libris duabus incoctis utatur, ſuadet. In *Diſſert. II*, ubi *de Variolis & Morbillis* diſſerit, rejicit cardiaca, regimen calidum, cereviſiæ tenuis, vel pomacei, ut & emeticorum benedictorum uſum; ſin vomitorium indicetur, leniſſimum illud, venamque ſecari permittit. Ubi narcotica non conveniunt, caſtoreum adhiberi poſſe putat. Circa finem morbi tuto ad cardiaca refugium capi poſſe docet, veſicatoria vero exulare jubet, niſi ſubjectum ſit obeſum & ſucculentum. Gummi tragacanthæ in linctu vel decocto pectorali ſoluti, pulveribus teſtaceis admixti, & copioſius ſumti in Morbillis Epidemicis efficaciam ſummam deprædicat. Pro *variolis, ne deteriores fiant, præcavendis*, non quidem damnat in *Diſſert. III* Inoculationem eorum, illam tamen pro magis tuta venditat, ſi absque uſu ſcalpelli, vel phlebotomi, & ſine præparationibus ſupervacaneis cuticula brachii radatur, vel pungatur acicula, ad eliciendam guttam ſanguinis, & ſtatim loco vulnerato linteum raſum tantillo puris imbutum imponatur; ſuaſor vero eſt, ut in primo morbi principio Medicus peritus accerſatur, antequam per errores domeſticorum res ægri in eum perductæ ſint ſtatum, ex quo eluctari ei vix conceditur. In *Diſſert. IV aliquot uſus Medici aquæ* delineantur. Quemadmodum aquæ potui Patriarcharum longævitas inter alia debetur; ita etiamnum magna hic ſe commendat utilitate, modo delicatulis magis arrideret. Præ cæteris fluminum aquæ reliquis ſalubriores deprædicantur, & quo major fuerit fluvius, eo magis ſalutarem aquam vehere dicitur. Ex Thameſis certe aqua optima coquitur cereviſia, ac poteſt hæc ad Indias usque ſine labe transvehi. Nihil magis a calculo præſervare perhibetur ac hauſtus aquæ ſalubris unus aut alter horis matutinis jejune, imo ante ſomni tempus propinatus, cui in hydrophobis hydromel ſubſtitui poteſt; imo aqua frigida mane pota calorem ſub decubitu nocturno contractum oblinit æſtumque computationum veſpertinarum compeſcit. Ipſe Autor, licet jam ſeneſcens, talem aquæ hauſtum matutinum non ſine fructu in uſum ducit, poſt quem duo fruſta

plumbi,

Digitized by Google

plumbi, utrumque ſex vel ſeptem librarum ponderis, manibus attollit; quod quidem exercitium non modo partes vitales præ aliis corroborare, ſed & functionibus tam naturalibus, quam vitalibus rite obeundis, ſanitatique conſervandæ admodum conducere credit. Aquæ frigidæ potum in febribus incolis climatis borealis disſvadet, quia ſudores, ſi qui adſunt, reprimit, tuſſim & peripnevmoniam notham auget, naturis teneris & ventriculo debili macilentoque habitui, ut & frigidis ac phlegmaticis temperamentis plane noxius exiſtit. Si tamen in febribus acutis, ejus uſum ſuis concivibus ſuadere auderet, id conſilii daret non in ſtatu earum dubio, ſed in principio aut primo circiter febricitandi die, & quo tempore ſudores calorem contemperantibus facile eliciuntur, certus, dum hi tam cito & copioſe profunduntur, ac ſatis diu fluere permittuntur, febrem quamprimum profligatum atque extinctum iri. Verum cum *Vinum* longe nobilius ſit ipſa aqua, *de ejus uſibus Medicis & Chirurgicis* quædam in *Diſſert. V* præfari inſtituit. Vocat hoc ſummum medicamentum corpori roborando, & animo exhilarando, potiſſimum vero ventriculo languenti, faſtidioſo, cruditatibus ſcatenti & illuvie humorum perperam oblinito, deſtinatum; meliusque emaciatis conducere lacte aſinino exiſtimat. Quoad uſum Chirurgicum, focu adhibitum, aut infuſum partem affectam refrigerare, caloremque ejus reſtinguere, quantumcunque etiam intra ſumtum corpus ſoleat calefacere; hinc maximæ efficaciæ eſſe in vulneribus, ulceribus, abſceſſibus, inflammationibus, eryſipelate & ambuſtis putat. In *Diſſert. VI de Venæſectione in genere* agit, quam facillimam quidem, ſed in quibusdam ſubjectis difficillimam eſſe operationem adſtruit, hinc a Chirurgo requirit, ut ſit ſumma oculorum acie inſtructus, ambidexter, manumque habeat firmam & inſtrumenta acutiſſima; vult etiam, ut phlebotomum in venam intruſum retrahens, ſcindat venam verſus ſuperiora, hocque pacto orificium reddat amplius. Quantitatem vero ſanguinis detrahendi juxta magnitudinem morbi, ægrique vires naturales æſtimare, ac juxta regiones, & cibi potusque uſitati rationem determinare jubet. *Quomodo* autem *venæſectio in ſuo climate & morbis ſuorum civium ſit adminiſtranda* in *Diſſert. VII* docet. In *Diſſert. VIII*, in

Digitized by Google

qua *Varices & Anevriſmata* examinat, dilatationi venæ anſam præbere putat valvulam, ſupra locum dilatatam poſitam, & vel a copia vel craſſitie ſanguinis læſam; adeoque curationem partim ad venam dilatatam, partim ad valvulam tumidam dirigendam eſſe monet. Quemadmodum autem eos reprehendit, qui adſtringentia applicant, quæ tamen ſanguinem jam dum ſpiſſum magis incraſſant, & ad nobiliora viſcera repellunt, ita diſcutientia potius commendat, inter quæ myrrha primatum ducit, & ex hoc capite Emplaſtrum diaſulphuris Rulandi admodum convenit; atque refert Autor, ſe femoris varicem ſola tinctura myrrhæ feliciter curaviſſe. Tumorem duriuſculum valvulæ diſſipat per emplaſtrum de minio vel diachylum cum gummis. Horridam vero iſtam carnificinam, ſeu temerarias exſectiones tum venæ tum arteriæ in varicibus & anevriſmatibus culpat. In *Diſſert. XI*, ubi *de Oedemate & Scirrho* agit, tumores pedum oedematoſos, neglectis aliquando omnibus topicis, miſſisque evacuationibus uſitatis, ſolis corroborantibus, videlicet croco martis aperitivo cum cortice Peruviano ſuſtulit. Pro ſcirrho diſſipando utitur mercurio dulci, ſub noctem debitis intervallis & aliquando catharctico ex ſenna, helleboro nigro, & hermodactylis inſequente aurora ſumendo. Conjungit etiam his diuturnum uſum ſarſæparillæ cum modico Guajaco: externe poſt emollientia ſpiritum vini pro fotu & emplaſtrum diachylum applicat. Ad curandum *cancrum* in *Diſſert. X* laudat decoctum corticis ulmi & foliorum ſaniculæ, cujus efficaciam in incipiente labii inferioris carcinomate expertus eſt; item terebinthinam ſplenio vel tæniolæ illitam; corroſiva vero & exciſionem cancri oris, labiorum, & linguæ periculoſam pronunciat. Atram bilem pro antecedente agnoſcit cauſa, flatus vero exinde exortos pro proxima & immediata. Cancroſam mulieris mammam curavit pulvere ligni ſancti, radicis ſarſæparillæ, & ſantali citrini, parte interim a frigore defenſa. Nec dubitat, fotum ſpiritus vini egregie conducturum, poſt quem pars læſa tenui plumbi lamina tegatur. Si quod emplaſtrum applicandum foret, illud de minio admoveatur. Sequitur *Diſſertatio XI de Gangræna & Sphacelo.* Cum frequentiſſima gangrænæ cauſa ſit inflammatio, mirum videtur,

videtur, quomodo calor partis intenſus morbum frigidiſſimum generare & membrum omni ſenſu privare queat: reſpondet Autor Clariſſimus, magnum incendium omnia in cineres redigere, formas rerum immutare, & niſi tempeſtive exſtinguatur, nativum ſtatum furibunde abolere, ſicut gravis combuſtio externa nonnunquam gangrænam poſt ſe trahit. Certum etiam eſſe, inflammationem efficere tenſionem, hancque ſævos dolores excitare, cum ſumma animi inquietudine: Exinde dolorem opprimere vires, quibus deletis, vitam partis prægravatæ & cruciatibus exhauſtæ ſenſim perire; calorem etiam intenſum tumefacere partem, humoribus ſuperfluis replere, omnem transſpirationem prohibere, ut febris exurens illorum exitum e poris totius corporis intercludit; quin & incendio ſuo ingenti temperiem partis nativam ſubvertere, ac ſpiritus eam vivificantes peſſundare, ſuffocare, & interimere. Ad omnes inflammationes maturius compeſcendas nihil utilius aut efficacius pronuntiat ſolutione unius unciæ nitri, in libris duabus vel tribus aquæ communis, addendo Coccinellæ granis duodecim, & ſacchari unciis tribus, ſi de illa bibat æger uncias quinque vel ſex tertia aut quarta quaque hora. Si inflammatio in gangrænam mutari incipiat, ut pars in vinum rubrum calefactum immergatur, eoque foveatur, ulceri vero raſura lintei ſpiritu terebinthinæ ebria applicetur, jubet. *Diſſert. XII Herniarum* examini dicata eſt, ubi hernias umbilici mediocres ſine uſu faſciarum tolli putat, ſolummodo geſtando ſuper regionem umbilicalem laminam plumbi flexilem, emplaſtro quodam adhæſivo firmandam. In *Diſſertatione XIII errores quosdam Chirurgorum* tangit, & nimiam reprehendit audaciam ſeu temeritatem eorundem, quod ſine neceſſitate urant, ſecent, lanient ad moleſtiam quandam diuturnam evitandam, ſeu lucrum quoddam corradendum: taxat quoque incongruum turundarum uſum, ac modum exſcindendi ſtrumas, ſcrophulas, excreſcentias inveteratas, ſcirrhos & lupias. In *Diſſert. ult. de medicamentis*, Simplicia equidem olim utramque in Medicina abſolviſſe paginam, ac etiamnum ſua non debere defraudari laude, fatetur, monet tamen ſimul, neceſſitatem quandoque imperare, ut compoſita ſimul adhibeantur, quorum compoſitio, quo ſimplicior fuerit, eo melior judicanda ſit.

Digitized by Google

FRANCISCI VVOKENII, P. P. ELEMENTA Philoſophiæ Principalis Theoreticæ æque ac Practicæ, ex obligationibus intellectus & voluntatis deducta.

Lipſiæ, ſumptibus Wolffgangi Deer, 1725. 8.
Alph. 1.

VIdit Clar. Autor, varia hoc tempore in Philoſophia aſſeri, quæ vel ſolido deſtituuntur fundamento, vel periculo non carent. Cogitavit igitur, anne ex principio quodam firmo ac adæquato tota Piloſophia queat deduci, ita quidem, ut mens, imperfectionibus hodie non carens, ad hanc regulam omnia vaticinia & actus exigens, lapſus evitare poſſet. Deprehendit regulam talem eamque infallibilem in obligatione, qua Deus hominis intellectum pariter ac voluntatem ſibi obligavit. Utramque mentis facultatem nec fruſtra, nec in ſibi contrarium finem creator univerſi condidiſſe judicandus eſt. Si vero voluit, ut intellectus res ita dijudicet, ut ſunt & ut Deus eas vult cognoſci; voluntas etiam ea amet, quæ Deus: neceſſe eſt, Deum homini certa κριτήρια indidiſſe, ut finem intentum poſſit aſſequi. Quid autem verum, quid bonum cenſeri debeat, ex attributis Dei, naturaliter cognitis, & relatione judiciorum noſtrorum ad Dei attributa, conſtare judicat, ut, ſi judicium aliquod cum attributo quodam Dei pugnet, pro falſo aut injuſto haberi debeat, contra ſi ex attributis Dei fluat, aut cum illis amice conſpiret, verum & bonum dici mereatur. Et quia in præſenti ſtatu hominis intellectus & voluntas priſtinæ perfectionis non exiguam fecerunt jacturam, non poſſunt plura in Philoſophia doceri, quam quæ hodie intellectus novit, qui tamen plurium adhuc in Moralibus habet notitiam, quam quæ voluntas præſtare valet, cujus infirmitate obligatio divinitus indita non tollitur. His fundamenti loco præſuppoſitis, exhibet Autor Metaphyſicam, quæ non, more quorundam, meros terminos continet, ſed & omnium diſciplinarum Philoſ. Principia. Hanc excipit Pnevmatica, in qua Deum variis (etiam Cel. Wolfii) demonſtrationibus exiſtere probat, ejusque attributa demonſtrat; Trinitatem vero rationi ignotam eſſe aſſerit; animæ immaterialitatem, immor-

immortalitatem, facultates, originem mali aliaque pertractat. In Phyſica multum paſſim tribuit Cel. Wolffio, in aliis tamen ab ipſo abit. Juris Nat. Principium ipſi eſt amor Dei, ad quem homo naturaliter eſt obligatus, ex quo omnia officia deducit. In Ethica varias producit virtutes ab aliis non agnitas. In Politica demum omnium ſtatuum prudentiam ſuccinctis regulis docet, & quæ alii in Scholaſtica & Oeconomica, tanquam peculiaribus diſciplinis, tractant, ſuis locis Politicæ inſerit.

NOVA LITTERARIA.

CUm elegantem Scriptorum rerum Sileſiacarum Collectionem proximo anno edere conſtituerit Illuſtris *Sommerus*, lubet operis titulum, nuper ad nos transmiſſum, cum Lectore communicare; eſt vero hic: *Sileſiacarum rerum Scriptores aliquot adhuc inediti: accedunt Codex Sileſiæ diplomaticus & diplomatarium Bohemo-Sileſiacum: quibus, ut Hiſtoria ab origine gentis usque ad Imperium Auguſtisſimi ac Invictisſimi CAROLI VI Rom. Imp. Germaniæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis Potentisſimi illuſtretur & confirmetur, præmittuntur Præfationes duæ ſpeciales, quarum prior Hiſtoriæ Sileſiacæ diplomaticæ ſpecimen, altera Hiſtoriam Genealogicam Ducum Sileſiæ ſiſtit. Confecit opus, non Sileſiæ modo ſed & vicinarum gentium res adornans, FRID. WILHELM. SOMMER, Sereniſſ. Ducis Würtembergici-Olsnenſis Conſiliar. Reipubl. Patriæ Vratislavienſis Senator,* Lipſiæ 1726, fol.

D. JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Conſil. Aul. & P.P. Conſilium de vulgando *Corpore Scriptorum rerum Saxonicarum, Miſnicarum, Thuringicar. & Variſciæ*, tum editorum tum ineditorum, quodammodo mutavit; jamque in eo eſt, ut ſub hoc titulo eos tantum, qui vel nunquam prodiere, vel certe Latine nondum exſtant, duobus juſtis in fol. Voluminibus in lucem prodat, eoque decenter rogat Viros eruditos, ut, ſi quid præter opera mox memoranda ſervent, quo Collectio hæc ornari poſſit, id cum Editore, quem non ingratum experientur, communicare haud dedignentur. Continebuntur vero I Scriptores Latini nondum editi aut curatius & multis cum augmentis recuſi: 1 *Chronicon Vetero-Cellenſe*, 2 *Calendarium Pegavienſe & Catalogus Abbatum Pegavienſ.* 3 *Chronicon Montis Sereni e Cod. MSS. reviſum cum Supplementis ineditis*, 4 *Pauli Langii Chronicon Numburgenſe*, 5 *Petri Albini Chronicon Leiſnic.* 6 *Abrah. Thammii Chronicon Coldicenſe*, 7 *Hier. Heidenreich Delitium in Miſnia*, 8 *Enochi Widemanni Chronicon Curiæ*, 9 *Erphordianus Antiquitatum Variloquus*, 10 *Chronica vetera Erfurdenſia*, 11 *Viti Ludov. a Seckendorff Thuringia*, 12 *Georgii Spalatini Vitæ aliquot Saxoniæ Electorum & Ducum*, 13 *Wilh. Erneſti Tentzelii Vita Friderici Admorſi*, 14 *Jo. Garzonis res Saxonicæ, cum notis ined. Wilh. Erneſti Tentzelii*,

15 *Ge-*

Digitized by Google

15 *Georgii Arnoldi Vita Mauritii Electoris Saxon.* 16 *Sam. Reyheri Monumenta Landgr. Thuring. & Marcb. Miſn. cum notis ined. Wilh. Ern. Tentzelii.* 17 *Benjam. Leuberi Familiæ illuſtres Circuli Saxoniæ Superioris,* 18 *Abelii Sammarthani Elogium Familiæ Schombergianæ, cum notis Jo. Conr. Knauth.* II Scripta vernacula inedita: 19 *Anon. von der Meyſner Urſprung,* 20 *An. Chronike der Marggrafen von Meyſſen,* 21 *Die alte Döringſche Chronike, ex Archivo Weiſſenfelſ.* Accedent his III libri quidam parum obvii, e vernacula nunc primum in gratiam exterorum Latine verſi: 22 *Georgii Spalatini Chronica & Origines Electorum & Ducum Saxoniæ,* 23 *Rein. Reineccius de Miſnenſium Origine,* 24 *Petri Albini Chronicon Miſniæ.*

Prodiit ſuperiore anno Hagæ Comitum apud Rutgerum Chriſtoph. Alberts opus auguſtiſſimum ac vere regium, *Novum Italiæ Theatrum, ſive accurata deſcriptio ipſius urbium, palatiorum, ſacrarum ædium &c.* IV Tomis in folio maximo diſtributum, quorum *Primus* Longobardiam, ſcilicet Rempubl. Genuenſem, Montem Ferratum, Ducatus Mediolani, Mirandulæ, Parmæ, Mutinæ & Mantuæ, Principatum Tridentinum, Reſp. Venetam & Lucenſem, & Magnum Etruriæ Ducatum, *Secundus* Statum Eccleſ. Campaniam nempe Romanam, Provinciam Patrimonii, D. Caſtrenſem, Sabinam, Umbriam, Urbevetanum & Peruſinum agros, Marchiam Anconitanam, D. Urbinatem, Romandiolam, Bononienſem & Ferrarienſem agros, ut & Avenionem urbem, *Tertius* Regnorum Neapolis & Siciliæ, cum inſulis Melitæ, Sardiniæ & Corſicæ, *Quartus* denique Romam antiquam & novam, nimirum amphitheatra, theatra, circos, arcus, templa, pyramides, ſepulcra, obeliſcos, ædes ſacras, palatia, aliaque ædificia exhibet. Etſi vero Nob. Editor celebratiſſimum *Joannis Blaeau* Theatrum urbium Italiæ, cujus pleraque exempla cum tabulis ipſis infelici incendio perierant, potiſſimum reſtituere & disjectas paſſim tabulas colligere conſtituerit, multum tamen ſuperavit laborem illum, additis non minus Chartis Geographicis nitidiſſimis, quam ceterarum tabularum numero e delineationibus Roma transmiſſis accuratiſſimis inſigniter aucto. Cum itaque hoc opere omnibus ſatisfecerit Nob. Alberts, nunc in ejus complementum, pari quidem forma & ornatu, lingua tum Latina, tum Gallica, tum Belgica, recudere parat *Novum Theatrum Pedemontii & Sabaudiæ,* Tomis quatuor, quorum duo priores Pedemontium, reliqui duo Sabaudiam complectentur. Cujus libri cum omnes tabulæ paratæ ſint, quæ, longe melius quam Blaeavianæ illæ conſervatæ, deſcriptione, usque ad A. 1715 producta, illuſtrabuntur, fidem facit Editor, ſe opus integrum intra ſex menſes a tempore finitæ ſubſcriptionis, quod in Menſis Aprilis finem incidit, abſoluturum, ſtatuta ultro ſibi ipſi, ni præſtiterit, mille florenorum multa. Pretium libri in charta maxima eſt 60, in mediocri vero 50 florenorum.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCXXV.

PIERRES ANTIQUES GRAVEES SUR LESQUELLES les Graveurs ont mis leurs noms &c.

h. e.

PHILIPPI DE STOSCH, POTENTISS. POLON. Regis & Saxon. Electoris Conſiliarii, Gemmæ antiquæ cælatæ, Scalptorum nominibus inſignitæ, ad ipſas gemmas aut earum ectypos delineatæ, & æri inciſæ per BERNARDUM PICART. Gallice reddidit H.P. de LIMIERS, Bonon. Scient. Acad. Socius.

Amſtelodami, apud Bern. Picart, 1724, fol. Alph. 1 plag. 7 fig. æn. 70.

QUamvis libri oppido multi in hac ejusmodi partuum fœcundiſſima ætate quotidie ex omnibus fere orbis literati partibus ad nos afferantur, ut nemini dubium videri poterit, qui hos, quos condimus, Eruditorum Annales levi brachio excuſſerit, iidemque diverſiſſimi argumenti, clariſſimorum Autorum, multiplicis elegantiæ, eximii nitoris; non facile tamen manibus triviſſe meminimus opus, cui hoc omnibus fere numeris abſolutum ulla ratione concedat, niſi mole ac vaſtitate; quam qui in hoc gemmeo libro deſideraverit, næ in opulentiſſimi hominis familia adamantum unionumque eosdem, qui ſolent eſſe granorum pomorumque, acervos ille requiret, ſed fruſtra & magna cum inſania. Certant in his Gemmis Stoſchianis & in ornando opere veluti contendunt Autoris in hoc maxime ſtudiorum genere celebritas, argumenti ſingularitas, de quo librum poſſe confici, ne quidem doctiſſimis, Fabro, Sponio, Auguſtino in

mentem venit, doctrina antiquitatis recondita, & in eo, quod vulgo etiam hominum auro eſt carius, in gemmis magnifice ſervata, figurarum æri artifici Picarti manu inciſarum elegantia maxima, & in accurate exprimenda antiquitate diligentia & induſtria ſumma, characterum etiam decus, chartæ pulchritudo; verbo, ad erudiendum delectandumque antiquitatis cultorem conſpirant omnia amice in libro, ob hanc rem merito Maximo Principi CAROLO VI Cæſari Auguſto, Orbis Pacificatori, Artium Reſtauratori dedicato. Ad Romani Imperatoris ſacratiſſimum pulvinar Ampliſſimus Autor Gemmas ſuas cælatas detulit, aſt ex longe plurimis, quæ exſtant, eas tantummodo, in quibus ſcalptoris ſupereſt nomen, a ſe ipſo viſas tractatasque & doctis explicationibus illuſtratas, quibus etiam erudita diſſertatione de inſigni veterum artificum nomina ſua ad poſteros propagandi ſtudio præfatus eſt.

Feſtivum eſt exemplum Soſtratis Cnidii Architecti apud Lucianum, qui Turrim juſſu Regis Ptolemæi in Pharo Inſula exſtruens, nomen ſuum ſaxis inſculpſit, his calce illitis, cui Regis nomen ſuperinſcripſit, gnarus ſatis ejus rei, quæ accidit, fore nempe, ut literis illis cum calce prolapſis, a poſteritate literæ ſaxeæ legantur, *Σωκράτης Δεξιφάνους Κνίδιος θεοῖς σωτῆρσιν ὑπὲρ τῶν πλοϊζομένων.* Ita Plinius narrat, Sauronem & Batrachum nomina, quæ inſcribere operibus ſuis vetabantur, efficta lacerta atque rana ſervare ſtuduiſſe. Sed & hodienum leguntur Artificum nomina, in Eccleſia Principe Ferrarienſi *C. Poſtumii C. F. Pollionis*, Architecti, Romæ in Hortis Ludoviſianis *Μενελάου*, in Palatio Vaticano, in Herculis ſigno vel Trunco *Ἀπολλωνίου Νέστορος*, in Hercule Farneſiano *Γλύκωνος ἀθηναίου*, in Gladiatore Burgheſiano *Ἀγασίου Δοσιθέου*, in Æſculapio Veroſpiorum *Aſſalecti* M. F. in Montaltiano Herma *Εὐβούλεος Πραξιτέλους*, in Protôme (Buſtum Itali appellant) apud Cardinalem Alexandrum Albanum *Ζήνου Ἀλεξάνδρου*, in alia Protome apud eundem *Ζήνου* B. in Anaglypho marmoreo apud eundem *Καλλιμάχου*, in Apotheoſi Homeri *Ἀρχελάου Ἀπολλωνίου Πριηνέος*, in Vaſi Cajetano Bacchi natale exhibente *Σαλπίονος Ἀθηναίου*, ab ipſo Stoſchio noſtro oculis uſurpata atque obſervata. Paucis certe aut nemini

nemini forte idem fuit animus atque amor in diſcipulum tantus, quantus Phidiæ erga Agoracritum, cujus ille nomini plura ſuorum operum donaſſe a veteribus memoratur. De pictoribus dicere non licet, quod excellentiſſima eorum monumenta temporum injuria non perennaverint. Eo autem felicius ævo rerum edaci reſtiterunt ii artifices, qui gemmis exſculpendis dederunt operam, parvæque moli ſed duraturæ in ſeros poſteros materiæ ſua nomina commendarunt. Reperit diuturno & ſagaci ſtudio Ampliſſimus Stoſchius nomina Artificum XLIX, opera in univerſum LXX hoc ordine exhibita: I *Admonis* Hercules bibax, II *Æpoliani* M. Aur. Antonius Imp. III *Aetionis* Priamus, IV *Agathemeri* Socrates, V *Agathopi* caput ignotum, VI *Alexandri* Amor Leonem domans, VII *Allionis* duo: Muſa & Apollo, VIII *Anterotis* Hercules Buphagus, IX *Apollodoti* Minerva ſalutifera, X *Apollonidis* Taurus procumbens, XI *Apollonii* Diana montana, XII *Aſpaſii* duo: Minerva ſalutifera & Jupiter, XIII *Auli* quinque: Eques Græcus, Quadriga, Diana, Æſculapius & Ptolemæus Philopator, XIV *Axeochi* Faunus bacchans, XVI *Cæcæ* Gladiator Rudiarius, XVII *Carpi* Bacchus cum Ariadne, XVIII *Cneji* Hercules Juvenis, XIX *Coini* Adonis, XX *Dioſcoridis* ſeptem: Auguſti duo, Mæcenas, Mercurius, Diomedes Palladio potitus, Perſeus, Hercul. Cerberum vinciens, XXI *Epitynchani* Germ. Cæſar, Gemmæ fragmentum a Strozziis centum aureis Hiſpanicis redemtum, XXII *Evodi* Julia Aug. D. Titi Aug. F. XXIII *Eutychis Ægeai, Dioſcoridis* Fil. Minerva, XXIV *Felicis Calpurnii Severi* Diomedes cum Ulyſſe, XXV *Heji* Diana venatrix, XXVI *Hellenis* Harpocrates, XXVII *Hylli* tria: caput Philoſophi, Cleopatra, Taurus Dionyſiacus, XXVIII *Lucii* Victoria in Biga, XXIX *Myconis* Caput Senile, XXX *Myrtonis* Leda, XXXI *Nicomachi* Faunus, XXXII *Oneſæ* duo: Muſa & Hercules Olivarius, XXXIII *Pamphili* duo: Achilles Citharœdus, XXXIV *Pergami* Bacchans, XXXV *Pharnacis* Equus Marinus, XXXVI *Philemonis* duo: Theſeus, & Fauni caput, XXXVII *Plotarchi* Amor Leonem domans, XXXVIII *Polycleti* Diomedes Palladio potitus, XXXIX *Pyrgotelis* duo: Alexander M. Macedo & Phocion, XL *Quintilli* Neptunus, XLI *Scylacis* duo: Satyri caput & Hercules Muſarum, XLII *Seleuci* Silenus, XLIII *Solonis*

Digitized by Google

quatuor: Diomedes Palladio potitus, Mæcenas, Meduſa, Cupido, XLIV *Soſoclis* Meduſa, XLV *Soſtrati* Amor Leænas domans, XLVI *Sotrati* Meleager cum Atalanta, XLVII *Teucri* Hercules cum Jole, XLVIII *Thamyridis* Sphynx, XLIX *Tryphonis* Nuptiæ Cupidinis & Pſyches.

Ingens eſt numerus, ſi ſingularitatem rei ſpectes, exiguus autem, ſi cum omni gemmarum ex antiquitate ſuperſtitum multitudine conferas, uno in loco nec viſus, nec videndus unquam, niſi in hac nova veluti Dactyliotheca, quam artifici diligentiſſimi *Picarti* manui & longinquis *Dn. de Stoſch* peregrinationibus debemus. Scilicet præter octo fere, quæ ex ipſius Stoſchii Archetypis vel Ectypis depromta ſunt, & nonnullas a Fulvii Urſini Imaginibus repetitas, acceptas referimus Gemmas literatas XII Theſauro Strozziano, VII M. Ducis Hetruriæ, V Abbatis Petri Andreæ Andreini Florentini, IV Ottoboniano, III Farneſiano, II Senatoris Cerretani Florentiæ, totidem Ludovico-Boncompagniano, ſingulas Vitelleſchi-Veraſpiano, Barberiniano, Com. Caimi Mediolan. Marchionis de Maximis, Salviati-Columnenſi, Hieronymi Odami Eqv. Ticpoli Sen. Veneti, III Regis Galliarum, II Seviniano, unam S. Dionyſii in Galliis, II Vicecomitis de Morpeth, II Arundelliano, unam Ducis Devoniæ, II Marckiano Harlemi, ſingulas denique, ſed præſtantiſſimas, Caroli VI Imp. Regis Boruſſiæ, Electoris Moguntini, & Baronis de Albrecht Vindobonæ, ita ut & Italia, & Gallia, & Anglia, & Batavi, & Germania noſtra, nec hæc absque laude, in hunc cenſum venerint. Imagines a Picarto elaboratæ ſunt ſatis ſplendidæ atque magnificæ, vera gemmæ menſura ubique addita, tanta vero cura cælatæ, ut quo diutius eas inſpicias, eo plus nitoris, elegantiæ, artis detegas. Si quid in gemmis ex antiquitate adeſt obſcuritatis, tollunt id illuſtrationes utraque lingua Latina & Gallica adjectæ, bonorum Autorum locis ubique apte ſuffultæ, & breves, ſed quæ hac ipſa docta brevitate ſummis viris mirifice placebunt.

DELLE SCUOLE SACRE LIBRI DUE POSTUMI, DEL Conte Palatino, DOMENICO AULISIO, Giureconſulto, Lettor

Lettor primario Veſpertino del Diritto civile nella Real Univerſità Neapolitana, Reggio Maeſtro d'Architettura Polemica, Iatro-Fiſico, Cronologo, Poeta &c. publicati dal ſuo Erede e Nipote NICOLO FERRARA-AULISIO.

h. e.

SCHOLARUM SACRARUM LIBRI DUO POSTHUMI, Comitis Palatini, DOMINICI AULISII, Jureconſulti, Lectoris primarii veſpertini Juris civilis in Univerſitate Neapolitana, Magiſtri Regii Architecturæ Polemicæ, Medico-Phyſici, Chronologi, Poetæ &c. publicati ab Hærede ac Nepote ipſius, NICOLAO FERRARA AULISIO.

Tomi II.

Neapoli, apud Franciſcum Ricciardum, 1723, 4.
Alph. 2 plag. 4 fig. æn. 5.

NOn deeſſe memoria hac noſtra in Italia Viros, qui in ſacrarum antiquitatum ac litteraturæ Orientalis ſtudio ornando egregiam ponant operam, vel ex hoc Conſultiſſ. *Dominici Aulisii*, Neapolitani, A. 1649 d. 14 Jan. nati & A. 1717 d. 29 Jan. demortui, opere ſatis cognoſcitur. In eo enim originem ac progreſſum diſciplinæ ſacræ, imprimis ſcholarum, cum in Hebræa tum Chriſtiana in Græcia gente, adeo ſolide expoſitum, tot ſelectas in antiquitatibus Judaicis obſervationes, tot errores in Chronologia reliquisque ſcientiarum partibus retectos, tot denique loca Sacræ Scripturæ illuſtrata invenies, ut & de avo ſuo poſt ejus mortem & de litteraria Republica optime meritus videatur Clariſſ. Vir, *Nicolaus Ferrara Auliſius*, quod luce digniſſimum ſcriptum minime paſſus eſt interire. Fuit is Vir variæ eruditionis, ut de eo dici poſſit illud Livii: *Huic verſatile ingenium ſic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcunque ageret.* Certe quantus Vir in Hiſtoria, Theologia, Medicina, Matheſi, Jure &c. fuerit, tot libri ejus loquuntur, quos in vita ipſius, Vitis Arcadum a Clariſſ. Creſcimbenio inſerta & hic repetita, enumeratos videmus. Sed ut ad poſthumum hoc opus con-

Digitized by Google

vertamur, prætermiſſa dedicatione ad Cajetanum Argentium, ut & præfatione Blaſii Troiſii, in quibus nihil occurrit magnopere memorandum, diſtinguitur liber ipſe duobus Tomis, quorum alter ſcholas ſacras & Theologiam Judæorum, alter Græcorum perſequitur. Illi præmiſſa eſt introductio brevis, in qua inter alia probat, ſacræ tantum ſcientiæ olim incubuiſſe Judæos, eosdemque Scholis publicis (privatas enim concedit) in quibus humaniores litteras docerentur, fuiſſe deſtitutos, nimisque conjecturis indulgere cenſet, qui in oppidis Theman, vel Abela, aut denique in tribu Naphtali Academias ſtudiorum cauſa excitatas olim fuiſſe ſuſpicentur. Sigillatim deinde Cap. I inquirit, an mentio fiat Academiæ in ſacra Scriptura, ac ſententiam Cornelii a Lapide. ex Jeremiæ XLIX, 7 probare conantis, in urbe Theman Academiam floruiſſe, negat eſſe probabilem. Alios inde aliis in locis Academias ſibi fingentes rejicit, & inter alia, quid per קרית־ספר intelligi debeat, indicat: ſcil. civitatem libri, quam hæ voces Hebrææ ſignificant, ſine dubio denotare archivum plurimorum illic populorum. Leideckerum quoque erroris accuſat, quod Gymnaſium auctoritate Antiochi Epiphanis a Judæis Hieroſolymis conſtructum, de quo 1 Macc. I, 15, alterumque illud a Jaſone Pontifice ſummo conſtitutum, 2 Macc. IV, 2, Scholas Academicas fuiſſe, opinetur, quum in textu diſerte palæſtræ ſeu ludi corporibus exercendis apti vocentur. Cap. II de Synagoga agitur,
p. 10. ubi dum Præſules Synagogarum exponuntur, & inter alia nomina memoratur שליח צבור, h. e. *ἀπόστολος ἐκκλησίας*, cavendum monet, ne hi Eccleſiæ Apoſtoli confundantur cum Apoſtolis Patriarcharum apud ipſos Judæos, qui non niſi Senatores fuerint, cum Præſide ſuo Synedrium componentes. Caſaubonum lapſum haud levem commiſiſſe ait Exercitat. XIV, cap. 2, quod Echmalotarchos, h. e. Principes captivitatis Babylonicæ, capita Academiæ in Jabne & Tiberiade, & Patriarchas, de quibus modo diximus, inter ſe commiſceat. Contra Celeberr. Lightfootum quoque, qui in Horis Hebraicis in Matthæi Cap. IV, 23 de Synagogis ſpeciatim tractans, Principes Synagogæ ſeu *ἀρχισυναγώγους* cauſas civiles dijudicaſſe, cenſet, Noſter ex Act. Apoſt. XVIII, 8, 17 manifeſto apparere probat, ea tantum quæ ad ritus ſpecta-

Digitized by Google

ſpectarent, eosdem curaſſe. Cap. III deſcribit cultum publicum precationesque Judæorum, agens inſimul de locis precibus deſtinatis. Hic, Helleniſtæ quinam fuerint, explicat, maximamque inimicitiam eos inter ac Judæos, qui nulla alia lingua quam Hebraica divinum cultum celebrari debere contendebant, interceſſiſſe, oſtendit. Leviſſimas vero conjecturas vocat, quibus adducti Baſnagius & Salmaſius Helleniſtas Proſelytosque pro iisdem habuerint: & vel unicum ἑλληνιςὴς vocabulum ſententiæ huic refutandæ ſufficere, putat, quod imitatores Græcorum non ſectatores ſignificet. Cap. IV verſatur in exponenda ſchola investigationum ſive τῶν ζητήτων, ubi diſputationibus legumque ſubtilitatibus evolvendis navatam operam fuiſſe tradit, & contra Caſaubonum Exercit. XIV c. 7 docet, מדרשים hoc eſt, lectiones in Synagogis uſitatas diverſas fuiſſe ab אגדות. Cap. V pergit ad oratoria Hebræorum in Ægypto & ad Patriarchas apud Cananæos, & opinionem, ſub Moſis ductu & antea jam in Ægypto oratoria in uſu eſſe cœpiſſe, probat 1) ex Exodi II, 23 & IV, 29, 2) ex antiquis Hebræorum ritibus. Atque his adeo oratoriis debere Judæos putat, quod per 215 annorum decurſum (quot annos duravit commoratio in Ægypto) vivam Dei notitiam verumque cultum ſervaverint. In iisdem cenſet primum librum Moſis conſignatum eſſe. Cap. VI, de Tentorio legis ſub Moſe, maxime diverſum id fuiſſe dicit a tabernaculo fœderis in monte Sina collocato. In hoc tentorium Jethronem a ſocero ſuo introductum, adverſus Jac. Salianum adſtruit, ſentientem, in hiſtoria Moſis poſtpoſitionem (ut vocat) hic occurrere, eaque quæ de introductione Jethronis in tabernaculum narrantur, ad Sinaiticum tentorium eſſe referenda. Cap. VII de oratorio ſeu Synagoga Moſis agit, ubi ſiſtit effigiem tabernaculi fœderis Sinaitici, ut & templi ab Appione Heliopoli in Ægypto extructi, utriusque ædificii ſtructuram ac ſimilitudinem mathematice deſcribens. Cap. VIII Scholas ſacras Joſuæ ac Pinehæ; Cap. IX Scholas ſacras Davidis & Salomonis in monte Sionis ac Moriæ; Cap. X Scholas ſacras Prophetarum conſiderat. In hoc varia nomina, quibus anni Sabbathici appellati olim ſint, in medium afferens, mirari ſe ait, a nemine doctorum hactenus obſervatum, lectionem legis publi-

p. 17.

p. 33.

publicam annos Sabbathicos quondam deſignaſſe: quam quidem rem variis circa Synagogam explicandam erroribus Chronologorum anſam atque occaſionem dediſſe ſcribit. Cap. XI perſequitur lectionem legis publicam, annis ſabbathicis, deque variis ſignis ac characteribus, quibus Autores ad denotandos annos ſabbathicos utuntur, commentatus, perpaucos rem acu tetigiſſe cenſet. Optimum vero minimeque fallacem characterem lectionem legis publicam conſtituere, putat, cum extra dubium poſitum ſit, ipſo anno ſabbathico Eſdram populo legem prælegiſſe. Neque adeo incidiſſe lectionem Eſdræ in annum ante Chriſtum natum 454, ut putat Uſſerius, vel in A. 444, ut vult Salianus, cum neuter horum fuerit ſabbathicus. Cap. XII, de innovationibus in Synagoga factis temporibus Eſdræ ſub Synagoga magna בנסה הגלה ſeu ſynedrio, confutat Moſen Ægyptiacum aliosque Rabbinos duo illa verba ſæpe conjunctim poſita in ſacris literis המצוה & התורה ita interpretantes, ut per מצוה legem oralem,
p. 66. per תרה legem in literas relatam intelligant: ex ipſo quippe texto clariſſime patere, utramque ſcriptam eſſe. Dum inquirit, quare idololatræ & athei plerumque paganorum nomine veniant, quod inde factum vulgo putant, quoniam a piis olim Imperatoribus a Chriſtianis ſacris alieni ex urbibus in pagos circumjacentes relegati ſint, Noſter eam potius rationem affert, quod nullibi fere in pagis ſcholæ eccleſiæque conſtitutæ, hincque in pagis viventes ad atheiſmum & idololatriam maxime proclives pronique fuerint. Cap. XIII Salvatorem noſtrum non niſi Synagogas Galileæ, & diebus Sabbathi tantum, introiviſſe, docendi cauſa, & Cap. XIV, eundem Hieroſolymis in ſchola *τῶν ζητητῶν* cum Rabbinis diſputaſſe, probat, notatque Lightfootum, qui Chriſtum in ſynedrio Judæorum diſputaſſe contendit; quandoquidem illud non diſputationibus ſed cauſis forenſibus dirimendis inſervierit; tum Jo. Braunium, in tractatu de veſtitu ſacerdotum Hebræorum huic Servatoris certamini Synagogam templi ceu palæſtram aſſignantem, in qua quidem non diſputatum eſſe, ſed preces inſtitutas, legemque Moſis prælectam, demonſtrat; tum denique Melch. Leydeckerum, qui in lib. de Rep. Hebr. Lib. IX c. 1, in atrio templi diſputatum fuiſſe, exiſtimat, cum nullibi relatum

relatum legatur a Judæis, in planitie clauſtri ſub dio ejus generis
certamen fuiſſe inſtitutum. Cap. XV, in quo evincit, diebus Sal-
vatoris noſtri in ſcholis τῶν ζητητῶν æque de lege ſcripta ac non
ſcripta eſſe tractatum, de *Carraimis* ſeu קררהים h. e. ſcriptura- p. 82.
libus, ea ſcilicet Judæorum ſecta, quæ literam Moſis unice ſecta-
batur, omnesque traditiones repudiabat; deque eorum adverſariis
Rabbanimis, qui traditionibus inhærebant, varia memoratu
digna refert. Cap. XVI & ſeq. de ſcribis populi, ſub Moſe, ac
templi denique commentatus, multisque curioſe de ſtilis Judæo-
rum e metallo factis, ut & membranis Hebraica lingua מגלה a
convolvendo dictis, in medium prolatis, ſcholas ſacras Judæorum
in Galilæa, Palæſtina, Babylonia accurata induſtria delineat.
Cap. XXIII de antiquis Ebræorum literis ediſſerens, eos
ridet, qui hodiernas quoque Ebræas literas rerum, quas
exprimunt, ſimilitudinem referre ajunt; nam etſi de pluribus
id concedat, in multis tamen putat nullam fere annotari, ut in
ד, ו, צ, י, ע, & ר, quarum prima portæ, altera uncino, tertia
olivæ, quarta manui, quinta oculo, ſexta capiti, parum reſpon-
deat: unde concludit, multo aliam a priſca faciem hodierna
Hebræorum elementa induiſſe, idque pluribus porro rationibus
contra Stephanum Morinum defendit. Cap. XXIV de punctis,
vocalibus & accentibus Hebræorum mentem ſuam explicans, 134.
neutiquam eos ferendos exiſtimat, qui cum Joh. Buxtorffio ſibi
perſuadeant, ab Eſdra profectas eſſe vocales: nec poſſe illas Ma-
ſoretarum inventioni attribui, quod Petrus Cunæus & Iſaacus
Voſſius crediderunt, ex eo confirmat, quod in Origene, S. Hiero-
nymo, totque Bibliis Hebraicis, poſt Maſoretas editis, nullum ea-
rum veſtigium compareat, ut alias ejus rationes prætermittamus.
Tempore Talmudiſtarum nondum vocales textui adjectas fuiſſe,
docet, & quamvis in Talmude commemorentur טעמי תורה, 135.
h. e. accentus legis, nihil tamen inde probari, cum doctrina
vocalium apud Judæos per traditiones fuerit perpetuo conſer-
vata, majoresque natu juniores, quo vocalis quæque loco ponenda
ſit, ſumma diligentia docuerint. Quin extra dubium ponit, vocales 136.
æque atque accentus, clauſis Academiis, a Rabbinis Babyloniis
fuiſſe per manus quaſi traditas: hosque verentes, ne ſcholis defi-

 cienti-

Digitized by Google

cientibus, doctrina hæc plane intercideret, ſeculo tandem undecimo congreſſos, punctorum & vocalium doctrinam, ab antiqua licet multum diverſam, regulis deſcripſiſſe. Cap. XXV ſeqq. de antiquis Ebræorum Poetis, eorum Poeſi, generibus carminum, cantilenis, næniis, multa erudite ſciteque tradit.
p. 139. Hic inter alia contra Talmudiſtas probat, Pſalmum XCII non ab Adamo primo ſabbatho, ſed potius a Davide compoſitum. De
143 ſq. poetis Idumæis diſſerens, quo tempore, qua lingua, quo autore Hiobi liber conſignatus ſit, oſtendit, monſtratque ſatis ſolide, eum non unum autorem habuiſſe. Tandem Cap. XXXV Chronologiam ſacrarum apud Ebræos ſcholarum, Principumque Synedrii attexit. Hinc ex Judæa in Græciam pergens Autor, Tomo altero Græcorum ſcholas ſacras ac Theologiæ rationem recenſet. In introductione præfixa veterum Eccleſiæ Patrum Theologiam laudat, nec obſcure indicat, multo illam majoris uſus eſſe hodierna Theologia ſcholaſtica, injecta obiter etiam mentione litis inter Deſid. Eraſmum & Latomum olim agitatæ, & adhuc a non nullis continuatæ, quæ qua ratione componi poſſit, explicat. Cap. I agit de primis Chriſtianorum ſcholis ſacris, & de catechetica inſtitutione Alexandriæ facta: oſtenditque, qua quæque Eccleſia Orientalis laude præcipue fuerit æſtimabilis, & p. 8 interpretatur ῥῆσιν illam Nicephorianam lib. V cap. 11 ἡ τῶν ἐν ἕξει ἀκροάσις, hoc eſt auditorium eorum, quæ ſunt longi uſus. Cap. II demonſtrat, in Alexandria Theologiam primum natales ſuos inveniſſe. Cap. III docet, Alexandriæ ſcholam Theologicam in templo fuiſſe; in publicis vero ſcholis propterea Theologiam non regnaſſe, quod Præſul earum fuerit gentilis ac idolorum cultor. Cap. V de ſcholis Chriſtianorum Niſibienſibus agit, docetque, in Niſibienſi oppido Theologiam primum in artis formam redactam eſſe. Obſervat hic Cl. Autor, in verbis, quæ adducit, Caſſiodori: „*Niſus cum beatiſſimo Agapeto urbis Romæ, ut ſicut apud Alexan*„*driam multo tempore traditur inſtitutum, etiam in Niſibi* „*civitate Syrorum Hebræis ſedulo fertur exponi &c.* pro *Hebræis, Græcis* legendum eſſe, non quidem natione ſed lingua talibus. Neque minus annotat, methodum illam ſecundum artis regulas res Theologicas proponendi, Niſibi introductam, ſecutum eſſe

atque

atque etiam promoviſſe ac exornaſſe circa A. C. 730 Jo. Damaſcenum in *quatuor libris fidei orthodoxæ:* eodemque tempore Theologiam partim Homiletice, hoc eſt, ad rudiorum captum accommodate, partim Exegetice, h. e. profundius ac ſubtilius paulo fuiſſe traditam. Eodem hoc capite de Ephremo Syro, alias Diacono dicto, nonnulla affert. Sunt qui Græcæ linguæ ignarum fuiſſe opinantur. Noſter vero contrarium tuetur, 1) quod in ea urbe vixit, quæ ad ſua tempora Imperio Græco paruit, 2) quod eo tempore æque communis fuit in Oriente Græca lingua, ac in Occidente Latina, 3) quod modo Irenæum, modo vitam S. Antonii ab Athanaſio ſcriptam, in operibus ſuis citat. Neque opponi poſſe Sozomeni autoritatem lib. III cap. 16 de eo ſcribentis: ἑλληνικῆς παιδείας ἄμοιρος: aliorſum enim hæc ſpectare, nec hoc ſibi velle, quod imperitus fuerit Græcæ linguæ, aliud quippe eſſe γλῶσσην aliud παιδείαν, cumque eo loco de carminibus agat, id tantummodo indicare velle, quod artem Græcos verſus pangendi neſciverit. Cap. VI de Scholis ſacris in Occidente agit: ubi bene monet, inſtitutionem Theologiæ a lectione & interpretatione ſacri codicis incipiendam eſſe. Inter alia annotat, ſeculo demum VIII in Anglia monachos in cathedralibus Eccleſiis tempore Ælfridi Regis cœpiſſe in monaſteriis Theologiam docere: inde Alcuinum Pariſiis, & Rabanum Maurum Fuldæ Scholam Theologicam inſtituiſſe. Quo loco Wilhelmum Cave notat, quod in Scholæ Fuldenſis doctoribus enumerandis ordine præpoſtero procedat. Cap. VII ſeq. de catechumenis, ritibusque ad eos ſpectantibus diſſerit. Cap. XIV demonſtrat, in Theologia quæſtiones, qua ratione hoc vel illud fiat, vel factum ſit, locum non habere. Cap. XVI probat, quod πειθανάγκη in conciliorum ſeſſionibus locum non habeat. Cap. XXI ſeqq. agit de Scholis & Doctoribus Alexandrinis, eorumque ſerie. Cap. XXXIII Chronologiam Scholarum ſacrarum Chriſtianarum pandit.

p. 29.

p. 31.

JO. CHRISTOPHORI WOLFII, PAST. AD D. Cathar. Hamburg. Curæ Philologicæ & Criticæ in IV SS. Evangelia & Actus Apoſtolicos.

Hamburgi, apud Jo. Chriſtoph. Kisnerum, 1725, 4. Alph. 8.

S. Rev. Autor eam hic operam præſtitit, quam eruditi a multis annis partim optarunt, partim promiſerunt, quamque præſens ſæculi literarii conditio expoſcit. Nemini non compertum eſt, & ſuperiori & noſtra imprimis memoria viros quosque præſtantiſſimos induſtriam ſuam eo convertiſſe, ut Philologiæ & artis Criticæ beneficio novum inprimis Inſtrumentum illuſtrarent, & nunc contextum integritati ſuæ vindicare, nunc obſcuriora novis quibusdam interpretationibus in lucem collocare, nunc res ipſas & argumenta ex profanis literis & omni antiquitate tum ſacra tum profana explicare conarentur. Atque hoc illi quidem fecerunt interdum in voluminoſis operibus, qualia ſunt Scaligeri, Caſauboni, Salmaſii, Bocharti, Gatackeri, aliorumque, interdum vero in ſingularibus *Obſervationum*, *Annotationum*, *Variarum lectionum* &c. libellis. Utriusque generis tanta exſtat copia, ut pauci forte ſint, quibus ea omnia videre, nedum evolvere & in ſacrum uſum convertere licuerit. Quo factum eſt, ut multa dextre obſervata, ſed alieno loco poſita, inter derelicta fere haberentur, nec ad eorum notitiam pervenirent, quorum hæc in interpretando S. Codice ſcire intererat. Optimo itaque conſilio Rev. Autor eam ſibi operam impoſuit, ut ex conquiſitis & in proprium locum relatis Virorum doctorum obſervationibus Philologicis & Criticis apparatum hunc conſtrueret, facili & jucundo labore a quovis ſacrarum literarum interprete adhibendum, inſertis frequenter iis, quæ vel ingenium vel lectio ipſi aliunde ſuggeſſerat. In hoc dum eſſet, quatuor potiſſimum capita expedienda ſibi ſumſit. Primum de integritate contextus Græci ſolicitus fuit, quem ſubinde ex MSS. in quibus novæ & a receptis diverſæ lectiones exſtabant, tum vero ex ingenio a Viris doctis ſolicitari viderat. Inter hos conſtat *Millium* noſtra memoria primas fere partes tenuiſſe, qui immenſam variantium lectionum molem Prolegomenis ſuis & notis Criticis auxerat, eo inprimis fine, ut, quid de potioribus varietatibus habendum eſſet, conſtaret. Idem vero frequenter adduci ſe paſſus eſt, ut receptam lectionem loco moven-

movendam, & cum alia permutandam judicaret, ſi vel unus vel plures manu exarati Codices imo & interdum ingenii ſubtilitas præſidium afferre viderentur. Hujus itaque cogitata poſt Cl. *Dan. Whitbium* ſub examen vocavit Noſter, nec eos omiſit, quibus veſtigiis ejus preſſe inſiſtere, vel nova de ſuo, exemplo quaſi ejus incitatis, addere viſum fuit. Hic labor tam feliciter ipſi ceſſit, ut in Præfatione profiteatur, experientia ſe edoctum, quod *Whitbius* in titulo *Examinis* ſui *Variantium Lectionum Millii* ex vero affirmarit, *lectionum harum fundamenta incerta plane eſſe, & ad lectionem textus hodierni convellendam protinus inidonea;* tum vero, *lectiones variantes, quæ ſint alicujus momenti, aut ſenſum textus mutent, pauciſſimas eſſe, atque in iis omnibus lectionem textus defendi poſſe.* Deinde Græcæ dictionis rationem Summe Reverendus Autor curate habuit, ut de genuina ejus ratione & efficacia judicium formari poſſet. Conſtat enim, aliis ſtylum Nov. Teſt. a Græcia profana ita abire viſum eſſe, ut nusquam non de *Hebraismis* cogitarent; alios vero ab admittendis Hebraismis ita fuiſſe alienos, ut phraſes ejus ſingulas probatorum Græciæ ſcriptorum exemplis muniri poſſe cenſerent. Utriusque partis cura id effecit, ut nonnunquam ſenſus dictionis genuinus amitteretur, vel ſaltem efficaciæ ejus non parum decederet. Noſter itaque, media incedens via, nec Græciſmo nimis indulſit, nec Hebraismos penitus averſatus eſt, atque adeo ſingulis in locis, ubi diſſenſus eruditorum diſputandi faciebat copiam, ſententiam ſuam tum Scriptorum ſacrorum V. T. & Judæorum aliorum, tum externorum Græcorum idoneis locis confirmavit. Quemadmodum vero *Hebraismos* inter *Barbarismos* & *Solœciſmos* numerandos eſſe, recte negat; ita neutrum horum in N. T. exſtare, productis, ubi dari nonnullis videbantur, probatorum Scriptorum exemplis, oſtendit. Hac occaſione Scriptores, qui de ſtylo N. T. expoſuerunt, cujusmodi ſunt *Pſochenius, Gatakerus, Stolbergius* &c. in ſuccum & ſanguinem convertuntur, eorumque ſententia de locis dubiis nunc confirmatur, nunc convellitur. Eadem opera ſubinde profanorum Scriptorum loca afferuntur, quibus cum ſacris vel dictionis, vel ſententiarum ratione affinitas quædam intercedit. In quo negotio

cum poſt alios *Picinellus* in Luminibus Reflexis diligenter occupatus fuerit, ab aliis hactenus fere neglectus, illius mentionem ſuis locis frequenter faciendam eſſe cenſuit.

Præter hæc Cl. Autor diverſas interpretum de locis difficilioribus ſententias in libris, quos diximus, diſperſas diligenter congeſſit, & legentium conſpectui exhibuit, ita quidem, ut nunc ipſa Scriptorum verba, ſi libri rariores eſſent, vel ſententia eorum paucioribus repræſentari non poſſet, referat, nunc vero, idque frequentius, dicta eorum in ſummam conferat. Sententias vero has non tumultuaria opera & ſine ordine enarrat, ſed ita inſtruit, ut, quoad fieri potuit, ordine quodam ſecum invicem connectantur, Lectorique eas inter ſe comparandi opera facilior reddatur.

Ipſa præterea recenſio ita inſtituta eſt, ut quæ *quarta* ipſi cura fuit, vel brevis epicriſis inſpergatur, vel longius, ſi argumentorum pondus jubebat, examen inſtituatur. Hoc vero faciendum ſibi ideo putavit, ut incauti ſibi a ψευδερμηνείαις variis, quæ vel novitate vel ingenio tantum ſe commendant, & quibus noſtra ætas laborat, cavere poſſent. Ubi tamen ſimul ſibi temperavit, ne interpretationes idoneas & ſolidis rerum argumentis ſuperſtructas ideo tantum rejiceret, quod novæ eſſent, cum perſuaſum ſibi habuerit, noſtræ quoque ætatis hominibus in tanta literarum luce in mentem aliquid venire potuiſſe, quod priſtina ſæcula latuerit. Diverſas has ſententias non ex Commentatoribus perpetuis in N. T. qualibus *Polus* ad Synopſin Criticorum adornandam uſus eſt, ſed ex illis ſcriptis, quæ ante ſubindicavimus, repetiit. Ut vero ſcire Lector poſſet, quibus præcipue Scriptoribus uſus ſit Noſter, præfationi ſubjicitur Index eorum alphabeticus, commemoratis annis & locis, quibus lucem adſpexerint.

Ex his de habitu totius Operis in univerſum judicari poteſt. Patet ſcilicet, operam hanc illi, qua *Matthæus Polus* in Synopſi Criticorum olim perfunctus eſt, ita affinem eſſe, ut pro continuatione ejus recte habeatur. Apparet vero etiam, varia momenta *Curas* has ab illis *Poli* ita diſtinguere, ut multis ſe prærogativis com-

commendent. Neque enim Noſter ullo eorum interpretum, quos Polus conſuluit, data opera utendum cenſuit, neque, quod jam monuimus, Commentarios plenos & perpetuos, quippe quos facili negotio per ſe quisque evolvere poteſt, in circulos ſuos admiſit, ſed eos tantum, qui ſingularia N. T. loca hinc inde, variis locis, varioque inſtituto explicanda ſibi ſumſerunt. Præterea vero rationem tantum eorum habuit, quæ ex Philologico, Antiquario & Critico campo decerpi poterant, rarius in ea excurrens, quæ ad doctrinas ſacras ſtabiliendas pertinent. Denique nullam interpretationem, quæ ſtylo vindice opus habebat, ſine interpoſito judicio prætermiſit. In eo vero formando eam æquitatem & modeſtiam adhibuit, ut diſſentientes ipſi cenſuram ægre ferre non poſſint. Inprimis ſedulam quoque operam dedit, ut, quæ a recentioribus nonnullis in B. *Lutheri* verſionem inclementius & prave dicta ſunt, amoliretur. Clavim itaque habes, Lector, qua armaria præſtantiſſimorum Philologorum, quos N. T. interpretatio exercuit, hactenus fere occluſa, aperiantur; ſimul vero ſubſidium idoneum, quo ſi utaris, facile tibi caveris ab iis, quæ immaturo ſed fiduciæ pleno judicio nonnulli pronunciare auſi ſunt. Itaque optandum omnino eſt, ut *Cura* hæc etiam in reliquos N. T. libros, ceu Rev. Autor pollicetur, quamprimum in lucem atque adeo communem uſum proferantur.

NIC. ALARDI, PASTORIS STEINBECCENSIS in Holſatia, Bibliotheca Harmonico-Biblica.

Hamburgi, apud Joh. Chriſtoph. Kisnerum, 1725, 8. Plag. 12.

TRactatus hic, quem Rev. Autor ſingulari cura perpolivit, in quinque abit Sectiones. Earum I de Antilogiis Biblicis generatim commentatur, ita ut de earum natura, origine & cauſis, tum inventoribus, variisque eorum conſiliis, hinc remediis ſpuriis & genuinis, quibus ad eas amoliendas diverſi, pro ſuis ſinguli inſtitutis, uſi ſunt, denique vero de neceſſitate utilitate & jucunditate ſtudii harmonici conſtare poſſit. Sect. II Scripto-

Scriptores Harmonicos, qui ad integrum Sacrum Codicem curas ſuas retulerunt, recenſet, inter quos ordine literarum Anonymi, Judæi, Patres & Scriptores Eccleſiaſtici, Pontificii, Reformati, Lutherani & Sociniani comparent. Sect. III exhibet conciliatores, qui libros V. T. ſeorſim a contradictionibus apparentibus liberare conati ſunt, poſt hos vero illos, qui libris N.T. eandem operam impenderunt. Sect. IV enumerantur illi, qui certa quædam & ſingularia argumenta vel in utroque Fœdere, vel in alterutro tantum obvia ab ἐναντιοφανείαις immunia fecerunt. Atque hic primo loco p. 125 ſqq. comparent, qui de *allegatione dictorum V. T.* in Novo & de *Parallelismis* commentati ſunt, deinde vero, p. 130 ſq. qui de Genealogia, de hiſtoria paſſionis, mortis, ſepulturæ, reſurrectionis & aſcenſionis ſanctisſimi Salvatoris noſtri &c. a dubiis quibusdam objectis vindicanda laborarunt. Succedit denique Sectio V, indicem Diſſertationum, Epiſtolarum &c. promens, quibus par aliquod dictorum Biblicorum ab adſperſa Antilogiarum labe vindicatur. Singulæ fere claſſes Scriptores repræſentant literarum ordine collocatos: in calce vero accedit Index alphabeticus univerſalis Scriptorum Harmonicorum, qui in tota tractatione occurrunt, ut appareat, quo quisque loco inveniri poſſit. Conſtat omnino, jam olim Viros doctos in recenſione hujusmodi Scriptorum, nunc data opera, nunc obiter & in ſpecialibus quibusdam argumentis verſatos fuiſſe. Sed ea tamen Viro doctisſimo gloria propria eſt, quod non ſolum Indicem pleniſſimum & abſolutum in hoc doctrinæ genere dederit, ſed etiam varios ſuſtulerit eorum errores, qui in eodem negotio ante ipſum occupati fuerunt. Ita nominatim non uno in loco Cl. *Jac. le Long* Bibliothecam ſacram noviſſimæ editionis Pariſ. in folii forma curatæ ſub eruditum examen vocat, & in ſubjectis notis varia ad rem ſuam facientia affert. Rev. Autori conſilium eſt, B. *Michaelis Waltheri* Harmoniam Biblicam excutere, & amplo ſpicilegio locis illis lucem afferre, quæ a τῷ μακαρίτῃ vel prorſus neglecta ſunt, vel non ſatis evoluta. Quam in rem & aliorum, ſi qua exſtant, inventis, & ſuis propriis utetur. Faxit Deus feliciter.

S. SIXTI

S. SIXTI II, PHILOSOPHI, PONTIFICIS R. & Martyris Enchiridion, ut Chriſtianum Sec. III Monumentum edit, illuſtrat, vindicat URBANUS GODOFR. SIBERUS, *S. Theol. Lic. Antiqu. Eccl. P.P. & ad ædem Thom. Diac.*

Lipſiæ, in Officina Weidmanniana, 1725, 4.

Alph. 2 plag. 4.

PAtres a noſtris irreverenter haberi, vetus eſt nonnullorum querela. Cauſam nunc, quod ſæpe alias factum, non denuo dicimus. Exemplum autem urgemus merito, quod in præſenti libro Rev. Autor, Collega noſter conjunctiſſimus, ſuppetit. Is enim Sixti, quem temere gentilitati videbat addici, vindicias nunc dat ſecundum Chriſtianiſmum. Sententias namque, quas poſt Sec. IV omnes propemodum docti inter Pythagoræorum λείψανα retulerunt, Sixto II Romano Epiſcopo & Martyri fortiter & cum magna penitus hauſtarum Antiquitatum Eccleſiaſticarum demonſtratione aſſerit. Et erat quidem adverſus illos potiſſimum defendendus hic Autor, qui toti ſolent eſſe in Patribus ornandis, a quibus viciſſim ornari ſua credunt. Inde Concilio Romano noviſſime congregato per ipſum titulum laborem ſuum obtulit Rever. Autor. Nec enim aliam ob rationem id feciſſe cenſendus eſt, quam ut erubeſcerent illi, quorum cenſores de priſtino ſtatu Pontificem & Martyrem convellerunt. Fatendum quidem, ſalva Hieronymi autoritate, patrocinium Sixti ſuſcipi non potuiſſe. Vis autem injuſta eſt nulla, quæ ob civem ſervandum intenditur. Id, ut perficeret Noſter, bifariam, quicquid fuit operæ, diviſit. *Primum* enim Prologo pererudito iniquum Hieronymi & ſectatorum de ſententiis Sixti judicium demonſtrat, & hæc quidem pars directe ad Sixtum reſtituendum ſpectat. *Deinde* ſententias Sixtinas ſigillatim exhibet, ſtudio prorſus laudabili, ex Scripturis ſacris & Patrum æqualium libris illuſtratas, potiſſimum Clementis Alexandrini, quem patet aſſidua manu a Rever. Autore tractatum. His autem Commentariis id efficitur, ut frivola eſſe appareat, quæcunque tanquam a veritate

ſacra aliena ſiniſtris de Sixto judiciis fuere prætenſa. Nos de
p. 37. 96. utraque parte aliquid dicturi ad *Prologum* regredimur. Sententia,
quam ibi tuetur Noſter, hæc eſt: *fuiſſe* Sixtum, cujus gnomæ
feruntur, *primo Philoſophum Origenis æqualem, ex Philoſopho
chriſtiano factum Pontificem* ſub Sixti II nomine, *& martyrem,
eumque, dum adhuc inter Græcos viveret, melioris ſapientiæ docu-
mentum, omnibus profuturum, Enchiridio ſuo dare voluiſſe.* Itaque
de Sixtis Romæ Epiſcopis quædam præfatus, in hoc ſubſiſtit.
p. 6. Parentes ejus incertos putat, cum, qui ex Philoſopho procreatum
dixerant, nullis nitantur autoribus, & ambiguis Platinæ verbis
7. forte inducti ſic ſtatuerint. Patriam Athenas haud difficulter
largitur, Actis S. Stephani Pontificis potiſſimum nixus. Philo-
ſophus fuiſſe perhibetur ab omnibus, cujus ſectæ, a nemine. Cum
enim Hieronymus Pythagoræum dixit, non ſanctum Pontificem
in animo habuit, ſed Sixtum quemcunque voluit producere. Sed
10. coll. & illud non invidioſum fore putat Rever. Autor, ſi detur, fuiſſe
180. Pythagoræum, ſummodo id non de ſectæ profeſſione intelliga-
tur, quippe cujus ſcholæ jam tum deſierint, ſed de propenſione
ad quædam Pythagoræ dogmata, quorum etiamnum veſtigia in
ſententiis dari non negandum. Cum autem ea ſalutari doctrina
valde ſint affinia & a Chriſtiano ad magiſtri ſui ſententiam facile
potuerint emendari, non apparet profecto, cur gentilem potius
autorem, quod Hieronymus volebat, prodere debeant. De taci-
turnitate namque, de mentis purificatione, de abſtinentia ab
animalibus potuit etiam ejuratis idolis chriſtiano more philoſo-
phari Sixtus. Imo vel ſic fortaſſis nimium conceditur, cum datur,
eum aliquando gentilem fuiſſe. Nobis enim id a nemine eorum,
qui de Sixto teſtantur, dici videtur, præterquam a Platina, qui
ex Philoſopho Chriſti diſcipulum factum aſſerit, qui tamen credi
poteſt, his verbis ad antiquiorum brevius dicta, ubi Philoſophus
vel ex Philoſopho aſſumtus appellabatur, propriam interpreta-
tionem attuliſſe. Quicquid tamen ſit de hac mutatione, id ſaltem
evicit Noſter, Chriſtianum fuiſſe ſententiarum Autorem, cum ab
19. 37. Origene inter πιςὺς καὶ τῶν ἱερῶν γραμμάτων participes, En-
21. chyridion autem inter libros δοκίμυς referatur, Laurentius
Martyr, Sixto ad Martyrium eunti occurrens, ſententiam quan-
dam

Digitized by Google

dam in ejus libello obviam ei propoſuerit, & Hieronymus ipſe
diffiteri nequeat, per provincias legi Sixti gnomas & magna per p. 23.
integrum ſeculum fuiſſe celebritate. Accedit, quod magnam 50.
probandi vim habere debet, talia in his ſententiis legi, quæ non
niſi a Chriſtiano proficiſci poterant, qualis eſt ſponſionis &
renunciationis inter initia Chriſtianiſmi faciendæ commemora-
tio. Ea ſane tanti ponderis viſa eſt Cl. *Lequienio*, ut inſuper habito 51.
Hieronymi judicio plane fateretur, ſibi legenti Chriſtianum
apparuiſſe Sixtum. Sed in iſto quidem argumento pars libri
ſecunda copioſius, &, quod non veremur dicere, evidenter
prorſus verſatur. Per ſententias & minutatim adeo propoſuiſſe 12.
veritates divinas putatur Sixtus, tum, ut laterent tutius hoſtes
ſuos longiori & continua oratione facile irritandos, tum, ut
haberent Chriſtiani, quod opponerent Epicteto & Antonino, qui 15.
ſimili ratione morum præcepta tradiderant, e quibus Antonino
hic unice ſcopus fuiſſe dicitur libros περὶ ἑαυτοῦ componendo,
ut Chriſtianis ſanctior illa Servatoris & Apoſtolorum doctrina
excuteretur. Tempus ſcripti Enchiridii nulla quidem certitudi- 17. coll.
ne definiendum, conjectura tamen ex Origenis citationibus ducta 142.
auguratur Noſter, in juveniles annos Sixti incidere, & ab anno
forte trigeſimo Seculi III librum hunc fuiſſe publicatum. Illum
tam acceptum & lectu dignum Rufinus, Presbyter Aquilejenſis, 23.
in Latinum ſermonem transtulit & Aproniano dicavit Epiſtola,
quæ, cum in Bibliothecis Patrum non extet, hic tota inſeritur. 24.
Inde vero tanquam peſte afflatus indigniſſima paſſus eſt Sixti
libellus. Non enim ſolum Græcum exemplar oppreſſit verſio 26 ſqq.
barbara, diſſimilis, omnino Rufiniana, ſed Hieronymum etiam
excitavit, ut, dummodo Rufinum in odium adduceret, cui alias
erat infenſiſſimus, Sixto controverſiam ſtatus movere non dubi-
taret. Arguit igitur adverſarium, quod Philoſophum in Ponti-
ficem & martyrem mutaſſet, ipſum vero Sixtum, tanquam gen-
tiliſſimum & ab omni veritatis divinæ profeſſione alienum. Sunt 29.
inter objecta Rufino aliqua tam frivola, ut indicia manifeſta
curioſi & quovis telo pugnantis odii præbeant. Hæc tantum
tangit Noſter. Illis autem, quæ Sixto evertendo fuere allata,
ſigillatim cum exquiſito doctrinæ apparatu reſpondet. Et primo 30.

quidem autoritatis Hieronymianæ ſtridorem ratione compeſcit, oſtendens, inter Pythagoræos nullum extitiſſe, cui hic liber Sixti tribui queat. Solus enim, qui nominari eum aliqua ſpecie potuit, eſt Sextus quidam, vel Sixtius Romanus, huic ſectæ addictus. Is vero, cum haud dubie Servatore noſtro vel fuerit anterior, vel illi ſaltem æqualis, quomodo ex ejus doctrina & ſublimiſſimis quidem doctrinæ partibus ſumſerit ſuarum ſententiarum mate-
p. 33 ſqq. riam? Hoc argumento Galeus refutatur, qui opuſculis Mythologicis, Phyſicis & Ethicis junctas haſce ſententias edidit, easque Sexto illi Romano tribuit. Illud ſimul obſervamus, Galeum verba Rufinianæ præfationis ita repræſentare, ac ſi Rufinus ipſe Sixtum Pythagoricum appellaret. Qua editione Galeus uſus ſit, an ex opinione ſua verbis Rufini aliquid aſſuerit, incertum. In Beati Rhenani editione certe, unde Noſter præfationem exhibet, & in alia, quam vidimus, Eraſmi Anni 1521 id axiomatis nomini Sexti haud additur. Si non a Galeo, ab ejusmodi forte cenſoribus profectum, id eſt, qui omnia ſibi, demendo & addendo pro virgulæ ſuæ menſura, in libros alienos permittunt. Ad rem redimus & ad reſponſiones, quas Rever. Autor objectis Hieronymi
38 ſqq. opponit. Dixerat hic, *ſignum eſſe Autoris a fide alieni, quod nulla Prophetarum, Apoſtolorum, nulla Chriſti, Patris aut Spiritus S. mentio in libro fiat.* Regerit Noſter, ſententiarum brevitatem non pati, ut nominum autoritas allegetur, ſed ſatis eſſe in iſta methodo, ut veritas ſuæ defenſioni relinquatur, tum vero Sixtum ſapientes & amicos Dei paſſim nominando Autores ſacros, qui Biblico Patrumque ſtylo ſic appellari conſueverint, non diſſimulare. Quantum ad Trinitatis perſonas, Patrem quidem Deum aliquoties appellat. Si Jeſu vel Chriſti nomina non habet, aſt Verbum, Sapientiam & veritatem ſæpiſſime citat, nomina Filii Scripturæ autoritate ſtabilita, patribus frequentiſſima & aliqui-
42. bus uſitatiora etiam Jeſu & Chriſti appellationibus, quod uberrimis exemplis confirmat Noſter, de Tatiano imprimis obſervans, quod in omni oratione ad Græcos, ubi tamen *φανερώτερον τὰ ἡμέτερα* erat expoſiturus, eum ab iſtis nominibus omnino ab-
47. ſtinuiſſe, cui Athenagoras jungitur. Sub ſapientiæ quoque voce Spiritum S. ſtylo eccleſiaſtico venire & a Sixti proin ſententiis

non

non exulare, quin ibi quoque deſignari putat Rev. Siberus, ubi de eo, quod in nobis eſt ſimile Deo, moneamur. Nos profecto, ſi vel maxime probari nequeat, Sixtum ſingulas Trinitatis perſonas commemoraſſe, crimen tamen in eo non videmus, cum nec fidei profeſſionem ediderit, nec de rebus ad actus & characteres perſonales pertinentibus egerit. Poſtulare vero, ut, ubicunque loquaris, ibi in ſingulas periodos totum credendorum Syſtema compingas, jejunam aſperitatem prodit. Accuſat porro Sixtum Hieronymus, quod dictis ſuis de perfectione doctrinam Pythagoræorum, hominum exæquantium Deo, referat. p. 48.
Hic primum indicat Noſter, quid Deus in Scripturis de ſuorum perfectione moneat, & ipſe Stridonenſis de illa ſcripſerit, concludens inde, per calumniam Pythagoræum dici, quisquis eadem repetat. Deinde ad vindicias illarum ſententiarum ſe confert, ubi nimiam perfectionis menſuram Chriſtianis tribuiſſe videri poterat Sixtus, dum ſcribit; 52 ſqq.
Nihil tale poſt verum Deum ſicut ſapientem, item, *dignum Deo hominem, Deum eſſe in hominibus*. Iſta vero tantum abeſt, ut minus tolerabilia largiatur Noſter, ut benigna interpretatione juvanda, & mentem potius rectam Autoris ſpectandam, quam verba ſcrupuloſe excutienda ſuadeat. Pati autem dicta ejusmodi ſenſum ſanæ doctrinæ *ἀνάλογον*, docet, ſi ad effatum Scripturæ de *κοινωνίᾳ τῆς θείας φύσεως* exigantur. Hoc certe niti quæcunque patres, ſubdolorum abuſus non timentes, dum ſuæ puritatis ſibi eſſent conſcii, de *θεώσει, ἀποθεώσει, ἐκθεώσει*, prolatis quodammodo finibus locutionis ſacræ, diſſeruerint. Juvabit lectores, ſummo cum ſtudio collecta videre, quæcunque hanc in rem apud Theophilum Antiochenum, Clementem Alex. Macarium, S. Maximum copioſe ſcripta reperiuntur. Imo dum Sixtum con- 62.
figit, ſuo ſe gladio jugulat Hieronymus, profeſſus ipſe, *fidelem angelice vivere in carne ſine carne*. Jucundum imprimis eſt, ad 63 ſqq.
ducentas Hieronymi ſententias excerptas legere, quarum comparatione cum Sixtinis evidenter patet, quam leviter in alio damnavit, qualia ipſe ſtatuere non dubitaret. Cenſura Hiero- 74.
nymi, quantumvis iniqua, manibus Occidentalium facile libellum hunc excuſſit, cum nemo præpotentem adverſarium ciere

 ſuſti-

p. 72. ſuſtineret, Auguſtinum etiam movit, ut priorem ſententiam mutaret & Enchiridion, quod Xyſti Pontificis eſſe putarat prius, ad Sextum deinde Philoſophum referret. Fatendum vero eſt, retractationem illam verbis valde frigidis, neque priorem ſen-
47 coll. tentiam deleturis eſſe conceptam. Cæterum apud Græcos ſemper
86 ſqq. in pretio fuiſſe ſententias Sixti, & aſcetis materiam librorum
75 ſqq. ſuorum præbuiſſe, obſervat Noſter. Opportune imprimis accidit, quod apud Syros in patriam linguam translatæ & ſub Epiſcopi Romani nomine publicatæ reperiantur. Id dum commemorat, Aſſemani rationes contra Sixtum examinat & de verſionis ætate obſervat, eam Seculo VI jam extitiſſe, ſi non Ruffiniana ſit anti-
79 ſqq. quior, utpote plura continens. Gelaſiano decreto inter apocryphos liber Sixti refertur. Illius autem quam leve ſit pondus, cum ſecum ſæpe pugnet, ante Seculum IX nemini innotuerit, falſum
82. in multis judicium ferat, Vir Rev. demonſtrat. Urget maxime, quod Autor decreti, non memor, ſe ab Hieronymo totum pendere, hæreticum appellet, quem ille gentiliſſimum librum ab ethnico compoſitum dixerat, quodque Iſidorus Hiſpalenſis Seculo VI gnomas, de quibus lis eſt, tanquam Sixti Pontificis probaverit, indicio non dubio, aut nullum tum fuiſſe Gelaſii
90. decretum, aut nullius inter Hiſpanos autoritatis. Seculo XII *Laurentius* Presbyter Piſanus edito cuidam ſuo Enchiridio multas Sixti ſententias inſeruit, ipſumque præclaris laudibus extulit, unde, quanquam Pythagoræum nominet, conjicit tamen Noſter, rectius eum de Sixto ſenſiſſe, ſed palam non auſum proferre
92. ſuam ſententiam. Inde altum de Sixto ſilentium, donec Beatus Rhenanus illius ſententias Baſileæ 1516 ederet, poſt quem & ab aliis fuere publicatæ & Bibliothecæ Patrum Bigneanæ illatæ.
93. Hinc alia plaga perculſus fuit Sixtus, cum Braſichellenſis S. Palatii Magiſter Hieronymi cenſuram renovaret, & Sententias quasdam ſuo judicio cavendas indicaret. Is autem breviter dimittitur, quoniam de iis, quæ recoquit, non opus erat amplius reſpondere, ad ſententias autem defendendas pars altera ſufficiebat, ubi monſtratur, ipſa Chriſti verba per cenſorem quandoque
96. in Sixto damnata fuiſſe. Majoris momenti viſum *Baronii* judicium. Is enim rationem redditurus, cur Gelaſius hæreticum

voca-

Digitized by Google

vocaverit, quem inter gentiles rejecerat Hieronymus, ideo hoc factum putavit, quod Ruffinus transferendo librum multa ex Scriptura inſeruerit, ut chriſtianum Autorem mentiretur. Hoc igitur gratis dictum monet Noſter. Nam de mutatione per interpolatorem facta certis argumentis conſtare debet, qualia proferre neſcivit Baronius. Deinde, quæ integro ſeculo ante, Origenis ſcilicet ævo, legebantur, ab interpolatore Ruffino inſcite arceſſuntur. Porro mirum, hunc quidem dentem, mordendo Ruffino, noſtris demum criticis fuiſſe ſervatum, quo Hieronymus adverſarium appetere non potuerit. Is enim ne ſemel quidem, ne de illis Sententiis quidem, quibus Pelagius maxime fuit abuſus, tale quid objeciſſe legitur. Quid? quod exemplaria Græca, quibus S. Maximus & Damaſcenus ſunt uſi, cum Latinis prorſus conſentiant. Accedit hoc denique, quod multo minima pars harum ſententiarum ita ſit comparata, ut non ſtatim, chriſtianas eſſe appareat. Id Baronium haud curaſſe, eſt excuſabile, cui quærendum erat ſcilicet, quomodo Gelaſium ſuum cum Hieronymo conciliaret. "*Alii vero, qui, tali momento non impulſi, temere tamen credunt, auctum a Rufino Sixtum Chriſtianis ſententiis, eodem judicio defenderent, leonem nil aliud, quam ſelem interpolatum, aut, quæ ſub Epicteti aut Antonini nominibus habemus, Syracidem eſſe, multis Stoicis ſententiis per iſtos ſapientes auctum.*" Noſter perpenſis obeloque transfixis recentiorum quorundam judiciis, ad Hieronymi præjudicium conformatis, quædam adhuc de Sixti vita ſcriptisque commemorat. Dignitatem hujus Enchiridii Sixto ad Presbyterium viam muniviſſe putat, ex quo gradu ad Pontificatum A. C. 257 elatus eſt. Acta ejus omni hoc tempore prorſus incerta ſunt. Iter in Hiſpaniam partim fabuloſo Flavii Dextri, partim nimis recentibus aliorum teſtimoniis nititur. In Pontificatum ejus controverſia de rebaptizandis hæreticis & Sabellianæ hæreſeos primordia inciderunt. De utraque re Dionyſium Alexandrinum conſilia cum ipſo communicaſſe conſtat, quid Sixtus reſponderit, nullibi conſignatum. De Angelicis & Apoſtolicis per ipſum convictis Palatius non ſatis perſuadebit eis, qui monumentorum Eccleſiaſticorum fidem requirunt. Neque vero perficere multa potuit, poſt annum violenta

p. 108 ſqq. 111. 117.

violenta morte ſublatus. Cervicem gladio reſectam fuiſſe, ex Cypriano aſſeritur, & Prudentius adeo caſtigatur, qui patibulo
p. 112. affixum cecinerat. Extat liber de divitiis, qui ad Sixtum III vulgo referri ſolet. Non putat Noſter, ſufficere rationem, a pace & tranquillitate Chriſtianorum hoc ſcripto prædicata, petitam, cum & ſub Fabiano Pontifice quietem habuerint & Principum etiam, Philipporum ſcilicet, acceſſu ante Conſtantinum locupletati fuerint. Haud diffitetur tamen, ſcriptionis genus ab eo, quod in ſententiis deprehenditur, eſſe diverſum, quanquam commodum arbitratur, propterea ſcriptum hoc Sixto II tribuere, ut intelligatur, quomodo Hieronymus dicere potuerit, Rufinum unum ſyntagma Sixti in duos libros diviſiſſe, qualis diviſio nunc in ſententiis non appareat, tum vero facta eſſe poſſit, cum Rufinus ex ſcriptis Sixti uno volumine comprehenſis, ſententias ſolas
114. ſibi vertendas ſumſerit. Quantum ad epiſtolas, huic Pontifici tributas, mallet Rever. Autor, eas non omnino rejici, cum a Cardinali Aguirrano monſtratum ſit, in Hiſpania quædam tum acta fuiſſe, ad quæ in epiſtolis reſpiciatur, ea vero, quæ de appellationibus ad Romanam ſedem ibi continentur, non aliena ſint a Romanorum Epiſcoporum genio, qui perſecutionum etiam tempore, tamen autoritatis tuendæ & ampliandæ ſtudioſiſſimi deprehendantur. Quod ſi omnino fictæ ſint, tamen, quia ſententiarum veſtigia in illis apparent, id ſibi dandum putat, ut Sententiæ Sixti, ſi aptæ fuerint ad epiſtolas decretales, pro libro
115. eccleſiaſtico, contra licet nitente Hieronymo, habeantur. Denique anaphoram ſive liturgiam, quæ ſub Sixti nomine apud Syros fertur, manifeſta *νοθείας* indicia habentem, tanquam ſpuriam rejicit, aliquas vero ex Sententiis Sixtinis huic liturgiæ putat inſertas.

Jam quod ad *Sententias* attinet, quæ *parte* voluminis hujus *ſecunda* repræſentantur, eas ex Beati Rhenani editione ſupra memorata nunc denuo exhibet. Optimo judicio id factum. Niſi fallimur enim, in illo exemplari lectiones antiquæ puriores ſervatæ ſunt, cum reliquæ editiones correctorum manus hinc inde videantur prodere. Vel ſic tamen quasdam in ſtylo diverſitates deprehendimus, alicubi barbarie Rufiniana horrido, in quibus-

dam

Digitized by Google

dam locis cultiori, quandoque ſimplici, alias quodammodo florido, ut antiquum appareat fuiſſe ſtudium Sententias haſce poliendi. Porro crebræ ſunt repetitiones earundem ſententiarum verbis aliquantiſper mutatis. Eas ad inculcandum fortius p. 207. lectione multiplici argumenta propoſita factas eſſe exiſtimat Rever. Autor. In mentem venit nobis, conſiderantibus, ita diſpoſitas eſſe ſententias, ut aliquæ ſemper arcto nexu cohæreant, annon aliqui, vel confuſa ſcriptorum vitio exemplaria habentes, vel alias in ordine conſtituendo curioſi, eandem ſententiam ſæpe translocarint. Neque tamen negamus, ipſum etiam Sixtum ita potuiſſe facere, prout easdem veritates diverſis argumentis idoneas judicaverit. Arduum hic, ſed & utiliſſimum laborem ſubiit Noſter, dum, non cum ſacris literis tantum, ſed & cum æqualium Patrum ſcriptis comparando dicta Sixti, illa nunc ab omni cenſorum ſuſpicione liberare inſtituit. Patet inſpicienti, quanta volumina, quam ſtudioſe perlegerit, quam omnes Patrum theſauros in promtu habeat, quam appoſite quidvis ſuo loco promere ſciverit. Gemmis uniones diſtinctos te videre exiſtimes, ſi iſta videas. Prorſus etiam confidimus fore, ut non doctrinæ ſolum ſuæ laudes augeat, ſed & obtinuiſſe, quod volebat, a bono quovis judicetur. Extent hic aliqua pro ſpecimine. Merum Philoſophum 188. ſpirare videtur Sent. 125, ubi tamen, quam ſcite quamque merito Sixtus Philoſophorum vocabula ad rem chriſtianam transferre potuerit, ex ſtylo S. Johannis monſtratur. Sent. 129 ſuadet, 191. ***non oportere contemni ea, quibus etiam poſt depoſitionem corporis indigemus.*** Illam ſeverioribus Philoſophis cenſet oppoſitam Vir Reverendus, qui corporis curam omnino volebant negligi; depoſitionem autem corporis phraſi biblica ſignificare liberationem a cupiditatum dominio. Ad Sent. 208 pulchre diſſeritur de 227. vocis ἀναβαίνειν emphaſi victoriæ aliquid & dominatus involvente. Ita vero liberat gnomen dicentem, ***non aſcendere paſſionem in cor fidelis***, a Braſichellenſis cenſura, qui ἀναμαρτησίαν ita ſtabiliri crediderat. Obſcurior eſt Sententia 244: ***Vir, qui uxorem dimittit, profitetur, ſe nec mulierem gerere.*** Eam illluſtrat erudita obſer- 246. vatione de priſtinorum temporum vitioſa conſuetudine, qua multi cœlibatus ſtudio legitimas uxores repudiabant, alias vero

Digitized by Google

παρεισάκτους habebant, quos, ſi absque conjuge eſſe vellent, ut omnino a mulieribus abſtinerent, moneri cenſet. Addimus, Rufinum vocem Græcam, quæ forte κομίζειν erat, per *gerere*, quod omnem obſcuritatem parit, interpretatum. Clara pariter lux
p. 280. affertur Sent. 308: *Si quid proprium alii tradideris, & ipſe non habebis, non judices bonum.* Senſum enim dicti eſſe oſtendit, omnia illa non vera eſſe bona, quæ, ſi ad alium transferantur,
286. priſtinus poſſeſſor amittat. Similis eſt ratio Sent. 319: *Non poterit Sapiens compelli facere, quod non videt, ſicut nec Deus.* Nam cum tenebris obvolutum ſit verbum *videt*, diſcutit eas, monendo, Græca vocabulum θεωρεῖν habuiſſe, qua ratione dicat Sextus, Sapientem
347. nihil, quod non exploraverit, facere. Selecta eſt obſervatio ad Sent. 424 de antiquo ritu, aures recens baptizatorum igne adurendi, unde explicatur ſimul, cur Celſus apud Origenem Chriſtianos quosdam ἀκοῆς καυστήρια appellatos dixerit. Liceat nobis hic noſtras quasdam obſervationes inter legendum natas jungere.
133. Sent. 22 ita habet: *Optimam purificationem puta, nocere nemini.* Suſpectum videtur illud *nocere nemini*, cum ſpecies ſolum peccati his verbis exprimatur, cujus evitatio ad optimam purificationem non ſufficit. Forte μηδὲν κακουργεῖν fuit in Græco, Rufinus
135. autem vitioſe legit μηδένα. In Sent. 25: *Deus ſicut mens eſt, quæ movetur ſponte, ſecundum hæc & ſubſiſtit;* nollemus vocem *ſubſiſtit* de quiete a motu interpretari, cum illa in Deo aliquid difficultatis habere videatur. Putamus Græcam vocem ὑφίσταται hac Latina exprimi, & Sixtum docere voluiſſe, quod a ſe ipſo ſit Deus & per ſe ſubſiſtat. Huic autem ſenſui cum vox *ſponte* non conveniat, dicendum, eam ex incogitantia Rufini, non optimi interpretis, ortam, qui illa Græcum ἀφ' ἑαυτοῦ male verterit. Sent. 162:
205. *mendacio tanquam veneno utere*, ita ut habet, difficulter defendi poſſe videtur. Agnoſcit Reverendus Autor, gentilium Philoſophos probaſſe mendacia, ſi tanquam φάρμακον adhiberentur, Sixtum verba eorum, non mentem ſervaſſe, &, cum illis φάρμακον medicamentum hoc loco ſignificarit, ipſum contra veneni ſenſu vocem eandem adhibuiſſe, & tanquam venenum vitanda mendacia ſuaſiſſe. Ita autem ambiguitatis vitium non ſatis effugiſſet Sixtus, nec facile fuiſſet lectoribus ejus diſcernere, num a Philoſophis

Digitized by Google

phis mente recedat. Quid? ſi dicamus, particulam *non* poſt *veneno* vel in Græcis jam τὸ ȣ̓ poſt Φαρμάκȣ excidiſſe. Ad Sent. 376: *verbum de Deo parcius proferto magis quam de anima* docte quidem diſſerit Reverendus Autor, Chriſtianos a futilibus Gnoſticorum genealogiis, quibus illi doctrinam de divinitate replebant, abſtrahi &, ut in aliis potius argumentis v. g. de anima, luxuriam ingenii exerceant, moneri. Verum, ut pace ejus dicamus, ſimplicius nobis viſum eſt, hanc gnomen ex ſequenti interpretari, ubi Sixtus: *melius eſt animam perdere, quam verbum vanum de Deo proferre.* Facilius hoc admittetur, ſi de vitiis verſionis Rufinianæ cogitemus. Græca ſcilicet Sententia hæc erat: τȣ̃ περὶ Θεȣ̃ λόγȣ φείδεσθαι δεῖ μᾶλλον, ἢ τῆς ψυχῆς; cujus hic ſenſus, parcior eſto verborum de Deo, quam vitæ, pro quo Rufinus, præpoſitionem περὶ ad vocem ψυχῆς quaſi ἀπὸ κοινȣ̃ repetendo alienum plane effinxit. Et hæc quidem hactenus. p. 321.

DE MONUMENTO PROPERTII POETÆ, ut creditur, Hiſpelli in Umbria reperto, Obſervatio critica FRANCISCI CAROLI CONRADI.

NOn nudius tertius demum variis Italiæ, ac præſertim Umbriæ locis reperiri cœperunt vetuſti lapides ad gentem Propertiam ſpectantes. Videas tales in *Gruteriano corpore p. DCCCXXV, 9, p. CMLII, 4.* Videas plures a *Thaddæo Donnola* in *patria Propertii §. CXX* exhibitos. Sunt, quod ad oculum patet, iſti lapides libertorum libertarumque. Verum ipſius S. Aurelii Propertii, vatis illius teneri, blandi, facundi, Poetarum judicio, Romani Callimachi, quo ſe ipſe nomine appellat, ſepulcralis lapis ad noſtram hanc ætatem obrutus triſtibusque antiquitatis reliquiis ſepultus jacere debuit. Manſit ejus detegendi gloria literatiſſimam Principem elegantemque Poetriam, *Thereſiam Grilli, Pamphiliam.* Hæc enim tribus abhinc annis, nempe VII Idus Junii cIↃcccxxII, in ædibus, quas Hiſpelli in Umbria poſſidet, auguſtioribus parietem funditus dirui juſſerat. Inter diruendum effoditur marmor quadratum, ſeſquipedalem longitudinem

 paulum

paulum excedens, ad ſummum XIV pollices latum. Formam ejus & figuras, quas præfert, e *Diario Literatorum Italiæ, Tomo XXXV anni 1723, artic.* X, repræſentat Tab. IV Fig. 1. Non Itali ſolum, laudato modo Diarii loco, brevi lapidis explicatione facta, eſſe, qui Propertium Hiſpello oriundum ex eo probare velint, indicarunt, ſed & ante jam docti *Trevoltienſes, Menſe Majo 1723*, præter luculentiorem hujus monumenti interpretationem, de patria Propertii, quaque probabilitate eam ex iſto marmore aſſerere liceret, erudite diſſeruerunt. Operæ pretium erit, in Germania quoque priſcum, quo Itali tantopere lætantur, monumentum ſub examen revocaſſe, liberumque de ejus valore tuliſſe judicium, quantum id fide aliena fieri poteſt, dum credendum eſt delineationi ab Italis datæ. Permultum intereſt ſane, num animo ab opinione affectuque vacuo ad hujusmodi antiquitatis reliquias noviter repertas judicandas acceſſeris. Certe Italus ille, Hiſpellus fortaſſe civis, a quo lapidis deſcriptionem primum ſe nactos Trevoltienſes ſcribunt, opinionem animo præſumtam manifeſto prodit, affirmando, *ex ipſa lapidis forma, ſtructura, ipſoque ſitu, quo poſitum invenerint, apparere, nemini alii, præterquam Propertio, eum olim ſtatutum fuiſſe.*

Tab. IV. Fig. 1.

Credite, me folium vobis recitare Sibyllæ!

Talia præfari, nec poſtea confirmare, ſed in probatione deficere, eſt infirmitatem opinionis ab argumentis deſtitutæ profiteri, atque idcirco lectorum ſenſus ſimulata cauſæ ſuæ fiducia occupandos aggredi. Quid enim, quæſo, forma lapidis ſtructuraque ſingulare, aut inſolitum, aut Poetæ proprium habet? Sexcentos ſimiles, quadratos, etiam triangulari fronte tectos, aut faſtigiatos deſcribunt, paſſim quoque conſpiciendos præbent monumentorum lapidumque veterum collectores. Neſcio vero, an juvenile comatumque, ſed imberbe caput, cui duplicis encarpi e floribus pomisque ornamenta impendent, magis Poetam, ne dicam Propertium, quam alium quempiam juvenem exprimere, credendum ſit. Nihil frequentius tali capitis humani figura, modo ipſum hominem lapide tectum, modo hominis Genium deſignante, inde mox virili, mox muliebri, perſæpe juvenili, aliquando ſenili, in monumentis ſepulcralibus occurrit. Nec mirum: *quippe, quod etiam in pluribus ſepulturis unum religioſum efficit*

efficit locum, in quo tanquam principale conditum eſt, caput eſt, unde, cujus imago ſit, cognoſcimus, ut Jureconſultus ait. Ornamenta floribus, frondibus, pomisve contexta conſtipataque multo ampliora vel apud *Boiſſardum* unum in variæ conditionis hominum monumentis potes offendere. Laurus forſan, aut hederæ, *doctarum præmia frontium*, poſſent Poetam indicare, non tales encarpi, non etiam ſimplex roſæ, aut alius cujusvis floris ſpecies, lapidum frontiſpiciis mediis adjici vulgo ſolita. At ingenioſæ illæ, an potius informes, monſtri figuræ, utrinque flori inhiantes, haud temere appoſitæ videntur. Cuniculos ergo interpretatur Italus, eosque in caudas piſcium deſinentes. Scilicet has figuras ex Poetica fictione eſſe, inde Poetæ tumulum indicare, hariolari debes. Ipſe hariolarer, modo ne ſimiles, aut alias informes formas, rudi ſculptoris ingenio enatas, in antiquis lapidibus ſubinde animadvertiſſem, etiam, cum nihil, præterquam ſpatium explendi & ornandi intentionem, ſubeſſe intelligerem. Ipſe fortaſſis lapidarius ignarus fuit, quid monſtri fingeret, dum anaglypha iſta fecit. Adeo ignobile eſt artificium, ut & Hippocampos, vel aliud monſtrum marinum, & capricorni, ſive, ut *Manilius* alicubi vocat, *capripiſcis*, vulgarem apud antiquos effigiem ac in monumentis paſſim conſpicuam, poſſis credere. Facile enim Itali manus capitum formam ad ſpeciem cuniculorum delineando paulum inflexit. Sed agnoſcamus etiam cuniculos. Nemo Poetarum eos in piſcem deſinentes finxit: nuſpiam Poetarum ſymbolum perhibentur. Neque novi, quid ſit illud, quod cuniculum Poetæ ſymbolum efficere poſſit, niſi forte, quod, ut *Martialis* ait,

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris;

Poeta vero ſimiliter antra & ſolitudinem amat, quia

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Aut, ſi mavis, rationem a cuniculorum nota fœcunditate arceſſam. Sed Poetarum fœcunda ingenia meliorem, quam ex leporum cognatis, imaginem volunt. Quandoquidem vero lapidis figuræ negligi potius, quam illuſtrari merentur, duplex magis inſcriptio, diverſo charactere efformata, curam intenſiorem provocat. Prior ſuperius inſculpta eſt literis Romanis, quadratis,

 ſimpli-

ſimplicioribus, &, niſi me omnia fallunt, antiquitatem tuentibus. Ut ſatis mirari nequeam, qua confidentia Italus potuerit inferiorem inſcriptionem illi tanquam vetuſtiorem anteferre. Enimvero dicit, *ſuperioris characteres ſibi videri monſtroſos, nimis craſſos & informes; at inferiorem conſtare literis majuſculis, rotundis & faberrimis, ut indicium præſtantis artificis & elegantis ſeculi præbeant.* Quæ quam docte, quamque vere pronuntiata eſſent, modo elegantes literarum ductus in lapidibus argumentum eſſent majoris vetuſtatis! Qui lapides ab ævo primorum Cæſarum ad noſtram ætatem extantes, ac ſubinde a doctis monumentorum veterum illuſtratoribus majori cum cura delineatos, qui nummos Auguſti, aliosve illius ſeculi inſpexerit, de literarum habitu teſtetur. At illis temporibus tumulatus Propertius: ut in ejus monumento non poſſis literas affabre inſculptas & ad recentiorem elegantiam accedentes omnino requirere. Adde, quod formam literarum quadratam oblonga multo antiquiorem eſſe, & præterea literas duobus fulcris, ſive lateribus conſtantes antiquitus utrinque craſſas efformari conſueviſſe, (ut in ſuperiori inſcriptione, quamvis minus fideliter fortaſſis delineata, id licet animadvertere,) nemini dubium ſit harum rerum paulum curioſo. Qui itaque potuit fieri, ut inſcriptionem literis oblongis, artificioſis, & uno latere, ut hodie ſolent, tenuioribus, exſcriptam Italus præferret alteri, quam tot argumenta vetuſtati aſſerunt? Nimirum ſuperior inſcriptio eſt:

L. COMINIVS. L. F. LEM

L. Cominii L. F. nomen plus ſemel in priſcis monumentis viſitur. In lapide theatri, Volſiniis in Hetruria, apud *Gruterum p. CLXVIII, 8,*

L. COMINIVS. L. F. A. N C. CANVLEIVS. L. F
T. TVLLIVS. T. F. KARVS L. HIRRIVS. L. F. LATINVS
IIII. VIR
THEATRVM. ET. PROSCAENIVM. DE. SVA
PECVNIA. FACIVNDVM. COERAVERVNT

Apud eundem *p. CCCXCIV, 8,* in tabula marmorea Anagniæ in D. Angeli æde:

L. CO-

L. COMINIO. L. F. L. N. PAL
FIRMO. PR. Q. AER. ET. ALIM
OPPIAE. SEX. ET. Ͻ. L. EVNOEAE

Perantiqua Cominiorum gens a *Cominis*, Italiæ populo, nomen indepta, ex qua & Poſtumus Cominius Coſ. & L. Cominius Trib. militum apud *Livium*, C. Cominius Eques apud *Tacitum* memorantur. Nolim ergo credere, a recentioris ævi manu, & poſtquam Propertio jam factus eſſet lapis, Cominii nomen adſcriptum eſſe. Quin potius L. Cominio primum, imo vero unice, poſitum, & pervetuſtum monumentum ſepulcrale agnoſco. Poteſt is ipſe L. Cominius quatuorvir eſſe, quem in lapide theatri Volſinienſis modo vidimus, forſitan Hiſpelli ſepultus: ſed quod non affirmo. Poteſt L. Cominius ex tribu *Lemonia* fuiſſe, cui adſcriptos Hiſpellates novi, nec demum ex hoc, verum ex aliis lapidibus Hiſpellenſibus, ut, apud *Gruterum p. CCCLI, 1,*

ALFIVS. C. F. LEM. RVF. II. VIR. QVIN
COL. IVL. HISPELLI. ET. II. VIR
QVINQ. IN. MVNICIPIO. SVO. CASINI
C. ALFIVS. C. F. LEM. QVADRATVS. VIV
EQVO. PVBLICO. IN. HONORE. AED. EST. MORTVVS
ALFIA. C. F. MIMISIA. VXOR

& *p. CCCCLXXIV, 6,*

D. M.
C. TITIENO. C. F
LEM. FLACCO
SEVIRO. EQ. PVBL
AEDIL--------

Ergo mea quidem ſententia lapis noſter plane ſpectat ad L. Cominium, quiſquis ille fuerit, nihil ad Propertium. Arguit id ipſa inſcriptio altera, inferius, ut ſuſpicor, ab impoſtoris manu ſeculo ſuperiori adjecta. Sic enim habet:

SEXT. AVREL
PROPERT
SEX. F. LEM

Ubi primum omnium prænomen Sexti admodum inſcite exprimitur

mitur, ut quod vel una litera S, vel tribus, SEX. antiquitus ſcribebatur, idque ex *Probo*, & ex innumeris marmoribus notum eſt. Nunquam ſcriptum eſt, ut hic. SEXT. enim Sextilem menſem, aut ſextum, adverbium, notat. Video idem hoc & Italum offendiſſe, qui ea cauſa illud conſuetum: *Sic*, in ichnographia lapidis ſuperſcripſit, quaſi notandum aliquid putet, quod non ſemper occurrat. Nec errore lapidarii, aut oſcitantia poſtremam literam abſurde additam exiſtimaverim. Vulgaris adeo prænominis ſcribendi nota vel inſcitiſſimis lapidariis obvia nimis uſitataque fuit, quam ut in ea labi facile potuerint. Magis credibile eſt, impoſtorem, qui priſco lapidi iſta incidi fecit, incautum fuiſſe, ſicut in characterum forma adhibenda, ita in prænomine ſculpendo. Illud quoque animadvertas, velim, nullum hic nomen integrum exſcriptum eſſe, cum nomen Cominii ſuperius integrum extet. Scilicet veritus eſt inflectere nomina, quo ipſe quivis lector vel *Propertius*, vel *Propertii*, vel *Propertio*, ut lubet, interpretari queat: nec auſus eſt ipſam inſcriptionem plane inſtruere velut teſtantem, quod Propertio poſitus eſſet lapis. Et hoc ipſo iterum parum feliciter imitatus eſt antiquitatem, quæ in ſepulcrorum titulis ſtudioſe cauſas exprimebat, quis poſuiſſet, & ob quod meritum, quove affectu; præcipue vero, cui poſitum eſſet monumentum, aperte deſignabat: unde titulus pro cauſa apud Latinos Autores & Jureconſultos ponitur, imo Græcis *αἰτία*, qui Latinis titulus, appellatur: quæ tralatitia ſunt. Jam cui probabile videatur, tumulo Poetæ tam inclyti, tam excellentis, cujus

- - - tumefacta ſuperbiit Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi,

ſimplex nomen ſine titulo, ſine elogio, ſine commemoratione Poetæ inſcriptum eſſe? Quis non credat, Hiſpellates potius nullum facturos fuiſſe monumentum, quam hoc tam incelebre, in quo nec Poetam, nec municipem ſuum, ſi is fuit, prædicarent? Iſtud vero: LEM. ſive tribu *Lemonia*, imitatione ſuperioris inſcriptionis, atque in primis hac fine, ut Propertius Hiſpello municeps vindicaretur, additum eſſe, quilibet odorabitur, qui non ſit naris obeſæ. Tuum jam, Lector, judicium eſto, quantum vel forma, vel figuræ, vel inſcriptiones lapidis ad aſſerendum Propertio

pertio lapidem faciant. Locum, ſitumve, quo repertus eſt, multum probare, ecquis admittat haud ignarus, quam alieno ſubinde loco antiqua monumenta hodie effodiantur, per tanta temporum intervalla, inter tot urbium operumque ac ædium ruinas loco mota, imo multa milliaria a curioſis & amatoribus transvecta? Erutus eſt lapis noſter in fundamentis parietis in palatio Monaldino, quod olim Urbani poſſediſſe perhibentur iidem, qui & villam tenuere Hiſpellenſem, in qua rudera ſunt vetuſtarum ædium, quas *domum Poetæ* Hiſpellates vulgo appellant: ut credibile ſit, lapidem ex iſtis ruderibus primo effoſſum ab Urbanis in palatium ſuum translatum eſſe. Sed conjectura eſt, incerta traditione ac vulgi opinione ſubnixa: & *ædes Poetæ*, fortaſſe ſuperiori proxime ætate alicujus vulgo appellatas, ſtatim *Propertianas* affirmare, nimium ac temerarium utique eſt. Cum iſta incerta incertæ vulgi opinioni adjecta noſcantur, non perſpicio, quid locus, ubi detectus lapis, ad ipſum Propertio vindicandum præſtare debeat. Non enim niſi infirma ſuſpicio eſt, de lapide ab Urbanis inter alios ex iſtis ruderibus lapides ad parietem in palatio exſtruendum forte translato: & ſi de induſtria e ruinis iisdem, ut pro monumento Propertiano agnitum, transportatum ponas, quis ſibi perſuadeat, eum in fundamentis parietis iterum defoſſum & abſconditum eſſe? Majorem veri ſpeciem habet, ignaros dominos lapidi, ab auctore futuræ fabulæ iſto loco clanculum defoſſo, parietem poſtea impoſuiſſe. Et apertius dicam, quid non ſine probabili ratione ſuſpicer. *Thaddæus Donnola*, ſupra memoratus, J. C. Hiſpellas, omni pæne eruditionis ſuæ apparatu, omni opera contendit Propertium Hiſpellatem efficere. Sub finem Diſſertationis *de patria Propertii* paucis agit de morte ac ſepulcro ejus: cumque Romæ tumulatum *Crinitus*, *Textor* & *Zwingerus*, neſcio unde, perhibeant, exin concludit: *Si igitur Propertii cineres in Urbe, recte & ſepulcri monumentum. Verum,* ſubjicit, *quid ſi hic Hiſpelli mox aliæ de Propertio nanciſcantur inſcriptiones, aut eruta, vel effoſſa monumenta, exciſa, aut illata proferantur, divulgentur?* Videtur hic aliquid ſubeſſe, nec temere talis de reperiendo forte monumento Propertii ſepulcrali apud Hiſpellates prædictio proferri. Non injurius ſim in manes Don-

Digitized by Google

nolæ, ſiquidem piæ fraudis, amore patriæ, & laborioſæ adeo ſuæ de patria Propertii commentationi autoritatem & confirmationem adjiciendi cupiditate, commiſſæ ſuſpectum habeo, ut ipſum priſci marmoris in Propertianum monumentum transformandi, opportunoque loco defodiendi autorem, vel certe conſcium fuiſſe credam. Non hodie primum hæc luditur apud Italos fabula, quam famoſi olim falſarii, *Inghiramus*, *Cicarellus*, *Pariſius de Graſſis*, *Ann. Viterbienſis*, *Pompon. Lætus*, aliiq; monumentorum veterum fabricatores præiverunt. Ceterum conjecturæ afferri poſſunt variæ, quæ certe dubium reddant, Propertium vel in patria ſua ædes villamve habuiſſe, vel in eam aliquando Roma reverſum diem ibi ſupremum obiiſſe. Italum quidem Antiquarium ſi velis audire, de villa Propertii Hiſpellenſi nullum eſt dubium. Nempe rudera illa *domus Poetæ*, quorum jam mentionem feci, & locum oleis conſitum, haud longe a ſumma Hiſpelli porta S. Barbaræ diſtantem, vulgo a Poeta, per antonomaſiam a Propertio, judice *Donnola*, ad hæc usque tempora nuncupatum, eum inquam locum Italus, quocum mihi res eſt, ab ipſo Propertio *affabre depictum* autumat, verſu:

Scandentisque axis conſurgit vertice murus.

Quaſi hæc ſit villæ, aut domus exacta deſcriptio. Sed jam notatus eſt ob tam commodam obſervationem ingenioſus homo doctis *Trevoltienſibus*. Quilibet enim, qui *Eleg. I lib. IV* legerit, novit eo verſu patriam Propertii urbem deſcribi, nec ita quidem accurate, ut ab aliis Umbriæ locis dignoſci queat, aut, ut iſta deſcriptio uni Hiſpello conveniat. Atque eo ipſo loco Poeta non ſine animi mœrore ac lacrimis recordatur patriæ ſuæ, dum ſub *Hori* mathematici perſona bonorum paternorum proſcriptionem, inde ſuam a teneris egeſtatem conqueritur his verbis:

Oſſaque legiſti, non illa ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ipſe lares.
Nam tua cum multi verſarent rura juvenci,
Abſtulit excultas pertica triſtis opes.

Quodſi bona Propertii nondum adoleſcentis, patre, qui partes L. Antonii adverſus Auguſtum ſecutus fuerat, interemto, proſcripta ſunt, ipſique inde egeſtas contracta eſt, quomodo potuit villam

Digitized by Google

villam, aut domum in patria habere? niſi ab Auguſto reſtitutas Poetæ gratioſo, velis, quod tamen nulla prorſus conjectura ſuſtinetur: quis enim credat, tam ingratum, tam indignum tanta gratia, tanto munere Propertium extitiſſe, ut ejus rei ne verbo quidem meminerit. Porro, cum dura, adeoque immitia fata ipſum patria exegiſſent, cum triſtis adeo & injucunda ſit ei patrii ſoli recordatio, non videtur rediiſſe in patriam, aut ſedes ibi velut poſtliminio poſuiſſe. Quod vero *Elegia XV lib. II* de venatione ſcribit a ſe inſtituenda in finibus Umbriæ,

Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niveos abluit unda boves,

id nihil in contrarium facit. Nam ruſticatum pauliſper ab Urbe, ut ſolebant Romani, conceſſurus erat in amœniſſimum illum tractum, ut amicam ſequeretur. Sed parum de his latius deducendis in tanta obſcuritate, tantoque hiſtoriæ defectu laboraverim. Neque me immittam diſceptationi de patria Propertii, in qua nihil unquam definitum iri, ſentio, cum nimium ambiguitate laborent tria illa loca, quibus Poeta natalem urbem deſcribit tam vage ac incerte, ut variis ac diſparibus omnino oppidis iſta poſſint applicari. *Trevoltienſes* accedunt ſententiæ *Joſephi Scaligeri* & *Jani Douſæ*, Propertium *Ameriæ* vindicantium. Huic enim oppido egregie apta eſſe illa:

Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ,
Qua nebuloſa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æſtivis intepet Umber âquis:
Scandentisque arcis conſurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo?

Nam *Ameriam* Mevaniæ vicinam & in colle ſitam eſſe: „Mevaniam ipſam vero intelligi non poſſe, cum in valle procumbat, „*latis projecta in campis*, ut eam *Silius Italicus* deſcribit: & „Propertium ſatis clare de alia urbe, Mevaniæ campis contigua, „& cujus muri in colle aſcendant, loqui.“ Verum locus is diverſas explicationes admittit, & in ſingulis verſibus fluctuat lectio. Itaque quantumvis hæc incerta ſint, id omnino certum eſt, monumento iſto Hiſpellenſi, etiamſi indubitate pro genuino Propertii monùmento

Digitized by Google

mento ſepulcrali agnoſcendum foret, nihil ulterius confirmari poſſe, quam eum Hiſpelli tumulatum eſſe; ad patriam vero probandam eundem lapidem nihil profecto conducere. Quid igitur probabit, tot argumentis ei fidem derogantibus?

JUSTI HENNINGII BOEHMERI, JC. POTENTISS. Regi Boruſſ. a Conſil. intim. & Prof. Jur. Ordin. in Reg. Frideric. Doctrina de Actionibus, ad praxin hodiernam accommodata &c. Editio III.

Halæ Magdeb. in officina libraria Rengeriana, 1725, 8. Alph. 2 pl. 21.

MAnifeſta doctrinæ de Actionibus utilitas complures & ſuperiori, & noſtra ætate Jureconſultos excitavit, qui ſcriptis eam illuſtrarent, diſpari licet inſtituti ratione, ut vel *Bacbovii, Borcholtii, Bækelmanni, Harſoltii, Ludwelli, Oldendorpii* operas cum *Svendendærferianis, Schacherianis, Brunnemannianis, Strykianis, Bergerianis* conferendo ad oculum pateſcit. Quare nec mirum, quod inſignis juriſprudentiam juvandi voluntas *Ill. Bæhmeri* nobis quindecim jam abhinc annis *ſuccinctam doctrinæ de Actionibus delineationem* tulerit, eo fine primum evulgatam, ut prælectionibus ſuper hac juris civilis parte ſeparatim inſtituendis adhiberetur, quandoquidem commodum ſatis ad eas compendium deeſſe videbatur. Enimvero, ut ne fruſtra peculiaris induſtria remediis forenſibus impenderetur, ad duo utroque reſpiciendum erat oculo, ad Juris Romani tradita, & ad uſum hodiernum, ne aut nulla, aut cœca & irrationabilis doctrinæ hujus ex jure civili Romano applicatio vel traderetur, vel a diſcentibus ipſis arriperetur. Jam ſeptennium eſt, cum iterata editione auctior multo prodiit liber, qui nunc tertium, ſed multa induſtria emendatus, notiſque uberrimis & obſervationibus ita inſtructus lucem adſpexit, ut interprete ulterius indigere non videatur. Solidior actionum, ſive remediorum forenſium cognitio, (qua ſine prudentem ac ſolertem advocatum dari, quis pertendat?) triplici notitia, ſcilicet de indole ac ratione ſingularum actionum, deque

deque ſingularum commodis pariter ac incommodis, de exceptionibus, quibus obnoxiæ ſunt, atque de cumulatione actionum, abſolvitur. Hinc Noſter ſuam Actionum doctrinam in tres ſectiones diſtinxit, quarum prima indolem actionum peculiarem & variam diſtinctionem ſiſtit, altera ſingulas actiones ex jure perſonarum & rerum deſcendentes enucleat, ita, ut incommoda cuivis actioni propria tum ratione proceſſus, quo peragenda eſt, tum ratione exceptionum, quæ opponi poſſunt, ſedulo expendat; tertia vero ſectione doctrinam de coacervatione actionum in uno libello ſuccinctis poſitionibus complectitur. Naturam quidem ac indolem actionum ſolet altius repetere ex foro Romano & antiqui juris ratione, neque aliter de genuino ac rationabili remediorum civilium uſu conſtare poſſe, exiſtimat. Perparce excitatam videas Jureconſulti unius atque alterius autoritatem, dum e fontibus omnia confirmare ſtudet, ridens vulgi judicium, ſcripta practica ex coacervatis Doctorum opinionibus & præjudiciis æſtimantis. Singulas actiones formulis agendi Germanico idiomate conceptis, prout ex natura actionis cujusque fluxere, accuratis & ſufficientibus inſtruxit, qua ratione qui libellos formare didicerit, non metuet, ut inepti formularum in judiciis cantores & verborum aucupes ſolent, ne, dum ſyllaba excidat, ipſe vel cauſa cadat, vel in expenſas condemnetur. Prioribus editionibus jam adjectæ erant *poſitiones, de gradibus matrimonialibus, & de ordine ſuccedendi*, quæ & in præſenti una cum utiliſſimo augmento alio acceſſerunt. Eſt illud *introductio ad genuinum actorum judicialium uſum*, vernaculo ſermone conſcripta, iis, qui in forum prodituri ſunt, maximopere commendanda, ſiquidem omne artificium ſolerter legendi, excerpendi, referendi acta judicialia, tum relationes ad ſuperiorem ex iis concipiendi, decreta faciendi, judicium de actis ſcienter ferendi, brevi ac luculenta admodum tractatione proponitur. Ergo utrisque, tum qui Juris Civilis doctrinæ exactiori operam addixere, tum qui in foro felici ſucceſſu verſari peroptant, hic de Actionibus liber præſtat, quæ ipſos vel inſtruere, vel adjuvare, vel oblectare poſſunt.

Digitized by Google

NATHANAELIS SENDELII, MED. D. ET Phyſici Ordinarii Reipublicæ Elbingenſis, Electrologiæ, per varia tentamina Hiſtorica ac Phyſica continuandæ, Miſſus primus, de perfectione Succinorum operibus Naturæ & Artis promota teſtimoniisque rationis & experientiæ demonſtrata.

Elbingæ, ſumptibus Autoris, typis Sam. Preuſſii, 1725, 4.
Plag. 8.

TAndem Cl. Autor *Electrologiæ* ſuæ in *Epiſtola ad D. Joannem Philippum Breynium, M. D. Gedanenſem, de Succino Indico, A. 1721* promiſſæ, edito hoc de Succino opuſculo, ſcenam aperit. In cujus opuſculi præfatione rationes reddit, quæ ipſum ad ulteriorem Succineæ glebæ inquiſitionem, & Electrologiæ præſentis editionem incitaverunt; nimirum nondum ſatis exhauſta Noſtro videtur Succini natura & generatio. Putat enim cum pluribus aliis, Cl. Philippum Jacobum Hartmannum, utut incomparabilem Succini Encomiaſten, non tamen omnia, quæ de proſapia, vel dotibus ejusdem laudari poſſint, ad finem perduxiſſe, quod & ipſe laudatus Hartmannus ultro faſſus eſt. Hinc Noſter ad penitius rimandam Succini naturam littora Gleſſaria non tantum aliquoties viſitavit, ſed & domi cum Electroreutis contraxit familiaritatem, imo ipſe artificum operibus, ſive torno, ſive lima parandis, manus applicuit, & egregiam rariorum Succinorum acquiſivit Collectionem, quæ nuper Potentiſſimo Poloniarum Regi emtione ceſſit. Ita doctus Artifex opus hoc aggreſſus, rationi ſemper & experientiæ innixus, primum jam hunc in publicum emittit Miſſum, quem plures, ſi hic ad Lectorum palatum fuerit, excipient. Hunc in duas diſpeſcit Sectiones, quarum I eſt de operibus naturæ in maturandis & ad perfectionem promovendis Succinis. Ubi annotat, varia & innumera fere, ratione colorum, dari Succinorum genera, quæ tamen, præeunte Hartmanno, non ut ſpecies, ſed gradu tantum differre ait. Laudatus hinc Hartmannus binas conſtituit Succinorum claſſes, albeſcentium ſcilicet & fulveſcentium. Hoc non contentus Cl. Autor, cum Succina

gradu

Digitized by Google

gradu ſaltem inter ſe differant, inquirendum eſſe putat, quisnam ultimus perfectionis gradus in Succino ſtatuendus ſit; cum natura ubivis ferme, tam in Vegetabili & Animali, quam Minerali inprimis regno, in corporum generatione gradus obſervare videatur, per quos ad perfectionem tendit. Rejectis itaque aliorum de primatu Succinorum opinionibus, ipſe inquirit, quænam illa Succina ſint, quæ a natura ſupremo perfectionis gradu ſunt elaborata, ut perfectius incrementum acquirere non poſſint; tandemque poſt amplam & anxiam inquiſitionem & rigoroſum examen perſpicuitati & transparentiæ principatum & perfectionem & ſummum illum decantatum gradum adſcribere non veretur. De duritie, quam Hartmannus maximam Succinorum vocavit gloriam, ſentit: non omnia Succina dura perfecta eſſe, quia & opaca dura reperiuntur; duritiem vero neceſſario cum perfectione clarorum ſemper eſſe conjunctam. Tandem inquirit, unde & ubi illa naturæ fiat operatio ad claritatem perducens Succina, & addit rationem paradoxi, cur omnium Succinorum perfectorum nobilium & imperfectorum ignobilium, æquale ſit pretium; curque tam magna clarorum Succinorum in majoribus glebis ſit raritas. Sectio II agit de operibus artis in perficiendis Succinis: in qua oſtendit artem in clarificandis Succinis naturæ famulam & imitatricem. Ejus in anteceſſum originem & antiquitatem examinat, quam ad Romanorum tempora referre, ex duobus Plinii locis aliisque rationibus probabilibus, poſtea vero deperditam adſtruere ſatagit. Artis autem noviſſimæ clarificandi Succina, quam vix dimidium excedere ſeculum & Gedanum patriam agnoſcere docet, originem, rationi forte, naturam Succina in arena calida dirigendi, imitandi, vel potius mero caſui deberi, adſtruit. Poſtmodum exponit primum modum, quo primi inventores in clarificandis Succinis uſi ſunt, digeſtionem ſcilicet in arena calida, quam excepit hodienum uſitatus modus coquendi Succina in oleo ſeminis raparum; cujus operationis varias deſcribit circumſtantias & circa eam obſervationes & cautelas, ejusque præ digeſtione in arena calida commoda & præcellentiam. His alias quasdam ſubjungit encheireſes clara reddendi Succina, nimirum in tubulo fornacis, vel ad flammam

candelæ

Digitized by Google

candelæ cum affrictione ſebi & ſimiles. Concludit, ſecundum ſuam Hypotheſin non ſequi, omnia Succina opaca ſeu natura ſeu arte ad perſpicuitatem poſſe perduci, ſed quædam ſaltem, & qualia poſſint vel non poſſint, oſtendit. Quibus in calce regulas quasdam practicas circa clarificationem Succinorum utiliſſimas ſubnectit.

CAPUT MEDUSÆ, UTPOTE NOVUM DILUVII univerſalis monumentum, detectum in agro Würtembergico & brevi Diſſertatiuncula epiſtolari expoſitum ab EBERH. FRIDER. HIEMERO, SS. Theol. D. Sereniſſimo Würtembergiæ & Tecciæ Duci a Concionibus aulicis, Confeſſionibus ſacris & Conſiliis Conſiſtor.

Stuttgardiæ, literis Chriſtiani Theophili Kœslini, 1724, 4.
Plag. 5 Tab. æn. 1.

VIr Summe Reverendus horas ſubſecivas, quibus ab arduis operis eccleſiaſticis vacat, in contemplatione rerum naturalium collocat, nullam enim curioſitatem homine Chriſtiano magis dignam iſta judicat, cum, ſi Theologiam demas, omnium diſciplinarum præſtantiſſima ſit, nulla latior, excellentior, placidior, utilior, immo divinior. Inſtruxit quoque ea fini Lithophylacium, quod una cum Nummophylacio ipſius cum voluptate perluſtrare ſolent agrum Würtembergicum peragrantes. Illud exornandi non deeſt occaſio, cum ipſa Würtembergia theſauris iſtis abundet. Laudat inprimis Noſter tanquam fœcundiſſimam omnium atque præſtantiſſimam eam regionem, quæ milliaris circiter ſpatio *balneum Bollenſe* circumjacet, lapidum tam figuratorum varii generis, quam fiſſilium in ſpecie magna copia abundantem. Reperitur etiam prope *Ombdam* pagum fodina fiſſilium non mediocris profunditatis & latitudinis, quæ S. Rev. Autori rariſſimum quoddam cimelium ſuppeditavit: quod præſenti Diſſertatione deſcribit & ſchemate illuſtrat. Etſi autem hodie ad nauſeam usque lapides figurati æri inſculpti paſſim proſtent, huic tamen ſimilis cum nullibi occurrat, ſchema ipſum Actis
Tab. IV. Fig. 2. Noſtris inſerere nulli dubitamus. Adjicimus deſcriptionem ipſis

Autoris

Digitized by Google

Autoris verbis ex ejus ad Cel. *Scheuchzerum* epiſtola, quæ p. 11 & ſeqq. inſerta legitur. Ita autem ille: *Complectitur tabula fiſſilis in longitudine pedes quatuor, in latitudine tres cum 4 cubitis, multis inſuper iisque diſtinctiſſimis ramis & brachiis majoribus totam tabulam longitudine adæquantibus, minoribusque, immo minutiſſimis egregie & ad admirationem usque picta & exornata. Brachia ſive rami majores conſtant ex meris entrochis perpetua quadam articulatione ſibi invicem unitis, ita quidem, ut ex uno ramo alii proveniant, bini, trini & plures, & deſinant denique in congeriem innumerorum minorum & minutiſſimorum ramorum ſubinde graciliorum floris cujusdam effigiem egregie præſentantium. Fruſtulo a majore quodam ramo decerpto & tepida aqua abluto, entrochus comparuit pentagonus, coloris cinerei, duritiei inſignis, materiæ ſelenitica, in utroque ſuo plano quinque lineolis notatus. Reliqui rami minoris & minimæ magnitudinis in figuram, ut dixi, floris abeuntes non aliter atque ipſa animalculi cujusdam oſſicula articulatione ſua proxime unita apparent.* Comparavit Noſter hunc lapidem cum *Capite Meduſæ* a *Rumphio* delineato, quæ eſt ſtellæ marinæ ſpecies, maris *Caſpii* hoſpes, a *Gesnero* ſub *ſtellæ arboreſcentis* nomine exhibita. Ceterum notandum eſt, cimelium hoc hodienum Cimmeriis tenebris immerſum fore, niſi ſingulari ſtudio a Viro S. R. inde in apricum fuiſſet productum: quod ejus in illuſtranda hiſtoria naturali ſtudium adeo probavit illuſtris Societas Scientiarum Regia Boruſſica, cui Tractatum ſuum inſcripſit S. R. Autor, ut eum ſine mora Sociorum numero adſcripſerit. Nec minus illuſtriſſima Academia Naturæ curioſorum *Carolina* ſibi honorificum duxit, ſi Viri hujus nomen in Catalogo membrorum legeretur.

JOANNIS POLENI AD JO. JACOBUM MARINONIUM, S.M.C.C. inclytorumque Statuum inferioris Auſtriæ Mathematicum præſtantiſſimum, Epiſtola, in qua agitur de Solis defectu A. 1724 Patavii obſervato & de aliquibus experimentis pertinentibus ad aquas fluentes. Accedit JO. BUTEONIS de fluentis aquæ menſura libellus, cui annotationes nonnullæ ſubjiciuntur.

Sine Die & Conſule, in 4.
Plag. 3 Tab. æn. 1.

ARgumentum titulus ſatis indicat. In Solis defectu obſervando Cl. *Polenus* uſus eſt ſocia opera Cel. *Morgagni*. Obſervavit autem tempore apparente H. 6. 37′ 58″ quartam digiti partem obſcuratam: H. 7. 1′ 32″ quantitatem eclipſeos notavit 7 digitorum. In prima phaſi fuit interſectio eclipticæ & circuli verticalis 33°. 54′. Poſt ſeptimam phaſin nubes eripuere conſpectum Solis, antequam in Horizonte conſtitueretur. Stellæ comparuere complures præter *Venerem* in eo præſertim cœli tractu, qui inter æſtivum occaſum cœlique verticem patet. Cum Cel. *Grandus* aſſerat, celeritatem aquæ ex foraminibus effluentis valde eſſe minorem ea, quam conſtituit theorema *Bernoullianum* in Actis An. 1716 propoſitum & Cl. *Hermanno* probatum, plurimumque tribuens *Mariotti* placito in Tractatu de motu aquarum concludat, velocitatem deſignari debere per cylindrum, cujus baſis eſt foramen, longitudo pedum 1148; Cl. *Polenus* oſtendens, aquæ effluentis baſin eſſe minorem foramine vaſis, adeoque non poſſe celeritatem iſtiusmodi cylindro deſignari, iteratis experimentis docet, celeritatem aquæ effluentis per theorema *Bernoullianum* determinatum non multum excedere eam, quæ experimentis definitur, etſi in libro de caſtellis idem ſenſerat, quod *Grando* videtur. Monuit autem jam in Ephemeridibus Eruditorum Italiæ A. 1718 p. 9, ſe iteratis experimentis magisque expenſis didiciſſe, velocitatem haud valde minorem ſæpe reperiri. Scripta eſt epiſtola, in qua hactenus memorata continentur, Patavii d. X Kal. Jul. 1723. *Buteonis* libellus de menſura aquæ fluentis prodiit inter viri doctiſſimi opera Geometrica Lugduni 1554. Eum autem *Polenus* ſubjicit epiſtolæ ſuæ, quod rariſſima ſint illa opera, ita ut *Buteonis* nullam fecerint mentionem, quotquot poſt eum de eodem argumento ſcripſere. Adjecit notas, quales ſuæ *Frontini* de aquæ ductibus Romanorum editioni adjecerat, cui illuſtrando inſervire cenſet *Buteonem*. Ita autem is docet, metiri aquam fluentem: „Deformetur, inquit, urceus ex materia qualibet, vel potius ex „ære malleato, alicujus dimenſionis notæ, ut puta, pedum quin„que cubicorum. Habeatur item clepſydra, horarium tempus „etiam particulatim oſtendens, quibus præparatis facies, ut

eodem

eodem momento & ea, quæ metitur aqua in urceum ſubjectum“ defluere & clepſydra ſtillare incipiat. Vaſe autem ad ſumma“ labra repleto, aut, ſi mavis, ter, quater pluriesve depleto, ex“ totius aquæ cubis profluviique tempore nomen aliquod men-“ ſuræ conſtituens: quod numero multiplicatum univerſale fiet“ in ceteris.

OBSERVATIO MAGNÆ SOLIS ECLIPSEOS, QUÆ A. 1724 die Lunæ 22 Maji poſt mer. contigit, inſtituta Hildburghuſæ a JO. WILH. WAGNER, in Patria ibidem nunc Profeſſore, Regiæ Soc. Scient. Berolin. Membro, & olim Aſtronomo.

Denominatio Phaſium Eclipticarum.	Tempora Automati incorrecta.	Tempora ad Solem correcta.	Quantitas Phaſium Eclipticarum.
A - - a	6 hor. 23′	6 hor. 20′	Initium
BB - - b	- - 25½	- - - - 22½	½ Digit.
CC - - c	- - 27	- - - - 24	1 Dig.
DD - - d	- - 32	- - - - 29	2 Digg.
EE - - e	- - 37	- - - - 34	3 & paulo plus
FF - - f	- - 40	- - - - 37	4 Digg.
GG - - g	- - 45½	- - - - 42½	5 - - -
HH - - h	- - 50	- - - - 47	6 - - -
KK - - k	- - 55	- - - - 52	7 - - -
LL - - l	6 hor. 59	- - - - 56	8 - - -
MM - - m	7 hor. 2	6 hor. 59	9 - - -
NN - - n	- - 8	7 hor. 5	10 - - -
OO - - o	- - 11	- - - - 8	10½ - - -
PP - - p	- - 14	- - - - 11	11 Digg.
QQ - - q	- - 15½	- - - - 12½	11 & paulo plus
RR - - r	- - 24	- - - - 21	10 Digg.
SS - - s	tempore per	incuriam neglecto	8½
TT - - t	7 hor. 35	7 hor. 32	8 vel paulo minus
	39	circiter	7 Digg.
	7 hor. 50	circiter	Sol occidit.

Google

Tab. IV. Fig. 3. Schema Phaſium Eclipſeos ⊙ creſcentium usque ad Q, & deinde aliquot decreſcentium, vide in Figura 3. Ex pluribus Phaſibus, Diametri Lunæ ad Diametrum Solis ratio invenitur, ut 147 ad 140, ex paucis contra ut 143, & ut 150 ad 140. Illa, quippe media & frequentiori, & hinc fortaſſe accuratiori, hoc in Schemate uſus ſum. Maxima in obſcuratione aer colorem ſimulabat cineritium, & magis, ac ante & poſt, erat frigidiuſculus, lux autem diei ſuperſtes crepera, pallida vel glauca, legendæ tamen adhuc ſcripturæ, & rebus procul mediocriter diſcernendis ſufficiens. Stellæ, præter Venerem ſeu Heſperum, nullæ apparebant, licet ſpectatores, viſu quorum plurimi pollebant, in cœlum hinc inde oculorum aciem direxerint; ros non cadebat; hirundines in volatu quidem ſuo, ſed ad terram magis demiſſæ, perſeverabant. Circa phaſes decreſcentes notandum, quod lucida reſidui Solis imago deſcripto in charta (qua, longe a Tubo optico, in camera obſcura excipiebatur) diſco, porro ſe non accommodaret, ſed a circulo abhorrens, ſuperius & inferius circa cornua (Lunulæ Solaris) ſe contraheret, quia Sol Horizonti appropinquans refractione, uti ſolet, ellipticam induere figuram cogebatur, quo & tandem vaporum ſtriis implicato, neque Phaſes amplius, neque ipſe occaſus notari poterat. Huic obſervationi tempeſtas ſat favit, nubibus plane pulſis, & cœlo admodum ſereno. Ad determinanda Phaſium momenta automato uſus ſum portatili, quod tempus ſolare tribus minutis anticipabat. In hujus Eclipſeos obſervatione, quæ in arce, coram Sereniſſimis Juventutis Principibus quidem & pluribus perſonis aulæ illuſtribus & civitatis clariſſimis facta eſt; a nemine tamen adjutus, ſed mihi ſoli, qui hæc tractare ſciebam, relictus, plures circumſtantias, e. g. altitudines Solis & azimutha, Mercurii ſpiritusque vini in Tubulis Torricellianis aſcenſum & deſcenſum & alia annotare non poteram, quæ vel Phyſicis vel Aſtronomis quomodocunque uſui eſſe poſſent, nonniſi digitali quantitatis Phaſium obſcuratarum determinationi, & juſtæ arcus vel circumferentiæ umbræ ſive Lunæ deſignationi, machinæque ſimul meæ, ne, quem ab initio monſtrabat, verticalem mutaret, intentus. Quare, cum angulus viæ Solis & Lunæ cum verticali continuo variet, & hinc non idem ſemper Solis, neque Lunæ punctum verticem reſpiciat, uti

uti in chartæ diſco, qui in eodem ſitu conſervatur, punctum verticale idem permanet, fit, ut via Lunæ, quæ recta alias forte linea foret, vel parum ab ea recederet, in Schemate tamen in aliquam curvam degeneraret.

BIBLIA HEBRAICA, AD OPTIMORUM Codicum & editionum fidem recenſita & expreſſa, adjectis notis Maſorethicis aliisque obſervationibus, nec non verſuum & capitum diſtinctionibus, numeris & ſummariis, accurante M. CHRISTIANO REINECCIO, SS. Th. Bacc. Conſiliario Saxo-VVeiſſenfelſ. Illuſtr. Auguſtæi Rect. & P. P.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopffium, 1725, 8. Alph. 1 plag. 20.

QUi variis hactenus & a ſe ſcriptis & a ſe procuratis doctis operibus inclaruit Cel. Editor, nitidam quoque hanc & ſtudioſæ juventuti maxime accommodatam nobis dedit S. Codicis V. T. editionem, quam Seren. Principi Saxo-Weiſſenſ. dedicavit. Quid in ea præſtiterit, titulus ex parte, ex parte quoque præfatio docet. Præter vulgares etiam Maſoretharum notas, haud raro variantes quasdam codicum optimorum lectiones adducit, uti e. g. *Exod. XL, 5, Jeſ. XLV, 12,* & alibi. *Joſ. XXI, 36* reſtituit duos illos verſus, quos nonnulli reſtituendos dictarunt, vulgaribus editionibus & Maſora, quarum ne quidem in margine mentionem facit, neglectis. *1 Sam. XIV, 41* Cel. Jablonskii Accentuationem in textu, communem in margine merito adhibuit. Et alia nonnulla ſunt, quæ politam hanc editionem commendabilem reddunt.

NOVUM TESTAMENTUM GRÆCUM AD optimas quasque editiones collatum & excuſum, adjectis nonnullis variantibus lectionibus & notis, nec non Harmonia Evangeliorum & Chronotaxi Actuum Apoſtolicorum, accurante M. CHRIST. REINECCIO &c.

Lipſiæ, apud Bernh. Chriſtoph. Breitkopff. 1725, 8. Alph. 1 pl. 6.

Digitized by Google

CHarta nitida typique elegantes editionem hanc reddunt commendabilem. Peculiare & hoc habet, quod verſuum diſtinctione non alia gaudet, quam numero appoſito, quo ipſo ſenſus magis connexus tyronibus videbitur, quam ſi verſus, non ubique accurate a Rob. Stephano diſtributi, linearum ſerie ſemper nova diſcernantur. *Joh. VII, 37. 38,* interpunctionis, qua Trillerus nititur, nullam habet merito rationem. *1 Joh. V, 7,* e Codd. Britann. Vaticano, aliisque, item e Conc. Nic. Lateran. Athanaſio, Tertulliano, Cypriano &c. jure vindicat. In Harmonia Evangeliſtarum Cel. Dn. Editorem maxime Sandhagenium ſequi, deprehendimus.

D. Joh. Val. Pietſchen, Königl. Preuß. Hof-Raths und Leib-Medici, Ober-Land-Phyſici, und der Poeſie Prof. Ord. in Königsberg, geſammlete Poetiſche Schrifften, ꝛc.

i. e.

D. JO. VAL. PIETSCHII, POT. BOR. REG. CONSIL. Aul. Archiatri & per Boruſſiam Phyſici Primarii, Poeſ. Pr. Ord. Regiomontani, Opera Poetica in faſciculum collecta. Præfationem & JO. CLERICI de Poeſi meditationes, in vernaculam translatas, præmiſit, nec non de ſuis quædam Poemata adjecit JO. CHRISTOPH. GOTTSCHED, M. A.

Lipſiæ, apud Groſſii Hæredes, 1725, 8.

Pl. 20.

QUanta ſint Boruſſæ gentis in Poeſin Germanicam merita, eos non latet, qui, ut alios plures taceamus, ex antiquioribus *Simonis Dachii*, ex recentioribus Lib. Bar. *de Canitz* ſcripta Poetica vel obiter perluſtrarunt. Tertius his accedit Cl. *Pietſchius*, qui & aliis ingenii fœcundiſſimi fructibus claret. Dachius in hymnis ſacris, vel ipſo Neukirchio judice, incomparabilis fuit; Canitzius in Satyra ſcribenda excelluit; Pietſchius vero Noſter ad heroicam poeſin natus factusve videtur, ita ubique in ſublime fertur, ita a vulgari dictione recedit: quamvis tum limatæ rationi, tum linguæ puritati & elegantiæ, tum denique metri legibus, nullibi

nullibi fere vim intuliſſe deprehendatur. Jam inde a XVII hujus ſeculi anno inclaruit inter Poetas Germanos Noſtri nomen, ex quo nimirum ejusdem Poema epicum, in primam nuperi belli Hungarici expeditionem, victoriamque a Celſ. Princ. Eugenio reportatam, per Germaniam innotuit. Avide hinc exſpectati ſunt a Poeſeos genuinæ arbitris plures tanti ingenii fœtus, præſertim cum in Novis litter. noſtris vernaculis anni præteriti inſerta legeretur majoris poematis particula, qua idem omnem CAROLI VI R. Imp. victoriam Hungaricam celebrare inſtituit. Satisfaciendum itaque horum deſideriis duxit Faſciculi hujus, a ſe in Boruſſia collecti, Editor, editione hac, inſcio licet Autore ſuſcepta. In tres ſectiones ea carmina diviſit, quarum primam Poematibus epicis, ſecundam lugubribus, tertiam nuptialibus deſtinavit. Inter illa primum occupat locum modo memoratum majoris poematis initium in victorias CAROLI VI Turcicas, quod ut Cl. *Pietſchius* integrum luci exponere dignetur, publico nomine rogandus eſt. Sequitur ſupra dictum, in Eugenii Sab. Principis laudem conſcriptum carmen, cum epiſtola dedicatoria elegantiſſima, & Oda in memorati Principis valetudinem, quæ Pindarico quaſi afflatu ſcripta, lectorem perpetuo in ſublime rapit. Reliqua primæ ſectionis, Regum Boruſſ. cum divi FRIDERICI, tum FRIDER. GUILIELMI laudes celebrantia, diebus quibusdam in Academia Regiomontana ſolemnibus natales ſuos debent. In recenſione reliquarum ſectionum ut prolixi ſimus, opus non eſt, hoc dixiſſe ſufficiat, omnia limata & laude digna eſſe. In præfatione Editor in recenſendis Poetæ ſui encomiis publicis occupatur, ſuique inſtituti rationem reddit. *Jo. Clerici* meditationes de Poetis & Poeſi, ex Parrhaſianorum Tomo I, idiomate vernaculo ſatis eleganter expreſſit, verſus quoque Latinos paſſim intermixtos Germanico carmine reddere conatus. Inter tria, quæ de ſuis adjunxit, Poemata, eminet Ode lugubris in obitum PETRI I. Ruſſ. Imper. nuper Lipſiæ edita, & aliquoties jam recuſa. Ceterum Lectoribus nuntiandum ducimus, ſpem nobis factam eſſe a *Jo. Ulrico Kônigio* S. R. M. Pol. & El. Sax Secret. intimo & Poeta Aulico, proditura mox ipſius cura, Poetica ſupra laudati *Canitzii* ſcripta, multis acceſſionibus, quæ hactenus latuerunt, aucta, & Autoris vita, ab ipſo

con-

conſcribenda, in fronte operis ornata: cujus promiſſi debito ut quam primum ſe liberet V. Cl. iterum iterumque obteſtamur.

NOVA LITTERARIA.

En novi Operis Hiſtorici, Ultrajecti in forma quarta ſubſcriptionis lege prodituri, titulum: *Hiſtoire du temps, ou Memoires de diverſes cours ſur les matieres les plus importantes de la Politique & des Interêts des Princes de nos jours; ou l'on decouvre l'eſprit des Negotiations, les cauſes des evenemens & les reſſorts cachez de ce qui s'eſt paſſé de plus remarquable en Europe, depuis le Commencement de ce Siecle jusqu'à preſent, recueillis & mis en ordre par* H. P. de Limiers, *Docteur en Droit, Membre de l'Academie des Sciences & des Arts de Bologne. En VI Volumes.* Tribus periodis hanc Hiſtoriam abſolvere conſtituit Cl. Autor, quibus ſingulis duos Tomos deſtinavit. Prima bellum in Septentrione inter Suecos Polonosque & eorum fœderatos ab A. 1700 ad 1721, quo pax Neoſtadienſis coaluit, geſtum deſcribet Autor, ſimul ſingularia additurus, quæ ad ſummi Ruſſorum Monarchæ fata ſpectant. Secunda memorabilem rerum converſionem inde a morte Caroli II Regis Hiſpaniæ usque ad pacem Ultrajectenſem ac Raſtadenſem, ut & Tractatum Antwerpienſem, enarrabit. Tertia denique ea comprehendet, quæ in Germania & Helvetia geſta ſunt hoc ſeculo, nempe quæ ad religionem in Sileſia & Palatinatu ſpectant, & quæ bello Toggenburgenſi geſta, quorum omnium originem paulo altius repetet Autor. Exempla imprimentur in mediocri & grandiori charta, quorum illa 21, hæc 30 florenis conſtabunt, & numerabunt emptores, dum ſubſcribent, 8, cum receperint duos priores Tomos (qui proximo anno Menſe Majo proſtabunt) 6, cum tertium & quartum, 4, cum ultimos duos, 3 florenos, horum vero emptores eodem ordine, primo 12, inde 8, poſtea 6, denique 4 flor. Nec plura in utraque charta imprimentur exempla, quam quibus fuerit ſubſcriptum. Pecuniam vero ad ſe recipient præcipui utriusque Belgii, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ & Helvetiæ typographi, ſi ante Calendas Decembris hujus anni offeratur.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXXV.

SCRIPTORES RERUM AUSTRIACARUM VETERES & genuini. Edidit & neceſſariis notis, obſervationibus & animadverſionibus illuſtravit R. D. P. HIERONYMUS PEZ, Auſtriacus Epſenſis, Monach. Mellic. Ord. S. Bened. Profeſſus.

Tomus II.

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Frid. Gleditſchii B. Fil. 1725, fol. Alph. 6 plag. 16.

PErgit in Auſtriacis Scriptoribus, qui hactenus delituere, in lucem proferendis Rev. Autor, cujus Tomum I recenſuimus in Actis A. 1721 M. Aug. p. 321. Noſtrum eſt, ut pari ratione ſcripta *LVII*, quæ hoc Tomo continentur, breviter recenſeamus. Exhibetur vero *I Vita B. Adalberonis*, Epiſcopi Herbipoli & Fundatoris cœnobii Lambacenſis in Auſtria Sup. *Autore Anonymo Benedictino Lambacenſi*, a Johanne ejusdem cœnobii Præſule primum edita Aug. Vind. 1619, & a Mabillonio Actis Sanctor. Ord. S. Benedicti Sæc. VI Parte II inſerta, ſed nunc e Codice membranaceo autographo, manu Sæculi XIII ineuntis exarato, denuo deſcripta, quæ ſpectat imprimis ad res Henrici IV Imp. contra quem B. Adalbero cauſam Ottonis Bavariæ Ducis apud Pontificem egit. Succedunt ex eodem Codice *II Miraculorum B. Adalberonis liber*, *III B. Adalberonis Vita metrica*, *IV Bulla Alexandri III* Monaſterio Lambacenſi conceſſa, & *V Catalogus Abbatum Lambacenſium* usque ad annum circiter 1289, ab ipſo Autore, ut Noſter putat, magnam partem deſcriptus & ab aliis poſtea continuatus. *VI Bernardi Norici*, de quo uberius a Noſtro dictum Tomo I, *Catalogus*, ſeu potius Chronicon, *Abbatum Cremifanenſium*,

Digitized by Google

quo res ab A. 777 ad 1273 ex autographo deſcribuntur, cui addidit Noſter *VII Chronicon Bavariæ* ejusdem Autoris ab A. fere 520 usq; ad 1313, quippe res Auſtriacas vix ſine Bavaricis intelligi poſſe exiſtimat; quæ & cauſa videtur, cur producat *VIII* Anonymi, Sec. XIV vix antiquioris, *Chronicon Bavaricum*, ab origine Ducatus pariter ad A. 1313 productum, quod ob diligentiſſime annotatos annos natales & conjugia Principum laude non caret. *IX Vita B. Bertholdi I*, Abbatis Garſtenſis, ab *Anonymo Garſtenſi* pæne æquali compoſita, quam quater editam, cum duobus MSS. Cl. *Pezius* denuo contulit; *X* alia *ejusdem Vita* a quodam *Canonico Reg. Sanfloriananſi* ſcripta, & *XI* Epitaphia, hymni, orationes &c. *de B. Bertholdo* ſuccedunt. *XII* Excerpta ex veteri *Chronico Garſtenſi*, (cujus prior pars, res ab A. C. 953 ad A. 1181 complexa, hoc ipſo anno 1181 a coæva manu ſcripta, reliqua vero usque ad 1258, quo finitur, ab aliis addita videntur,) ab Ill. Gentilotto ex autographo Bibliothecæ Vindobonenſis deſcripta, quæ pauca tantum exhibent ad Garſtenſe Monaſterium ſpectantia: optandum vero, ut integer codex, quo multa alia publice geſta continentur, in lucem protrahatur. *XIII Chronicon Monaſterii Admontenſis* a C. N. ad A. 1250, ab *Anonymo* loci *Abbate* aut cœnobita A. 1205 conditum, & ab aliis coævis productum, ex autographo bibliothecæ Admontenſis nunc primum editum, quod in rebus Imperatorum non ſine fructu conſuli poterit. *XIV* Excerpta ex duobus pervetuſtis *Necrologiis Admontenſibus*, quorum alterum Seculo XII, alterum ſequenti exaratum. *XV Anonymi* vetus *Carmen*, rude quidem, nec inutile tamen *de Cœnobii Admontenſis Abbatibus*, e Codice Seculi XV. *XVI Eynwici Præpoſ. Sanflorian. Vita Venerabilis Wilbirgis Virg. Incluſæ San-Florian.* ex editione Bernardi Pezii, Aug. Vind. 1715, 4 curata, & cum Codice Waldhuſienſi denuo collata: acceſſit *XVII Compendiolum* ſimilis *vitæ Wilbirgis*, ex veteri Codice. *XVIII Catalogus Abbatum Gottwicenſium* ab A. 1094 ad 1604, e MSS. Gottwic. *XIX Anon. Poema Germanicum*, Seculi XIII aut XIV, *de Hiſtoria Fundationis Parthenonis S. Bernhardi*, e quo familia Auſtriaca de Meyſſau egregie illuſtrari poterit. *XX Hiſtoria fundationis Monaſterii Seittenſtetenſis*, Autore *Gundachero* Abbate, cum *ſerie Abbatum*. *XXI Catalogus Abbatum Altenburgenſium.*

genſium. *XXII* Monumenta quædam ad *fundationem Collegii Hoſpitalenſis ad Pirum* montem ſpectantia, in quibus eminet *Gaſparis Bruſchii* de eadem *Idyllion.* *XXIII Catalogus Abbatum Glunicenſium* vulgo *Gleinck.* *XXIV Leopoldi Brenneri*, Prioris Maurbac. anno demum 1692 d. 9 Dec. demortui, *Hiſtoria Carthuſiæ Maurbacenſis*, ſingulari induſtria conſcripta, & nunc primum vulgata. *XXV Chronicon Alberti Ducis Auſtriæ II* vulgo *Contracti*, qui Carthuſiam Gemnicenſem vulgo *Gaming* funditus extruxit, ab *Anonymo* ejus Cœnobii *Carthuſiano* Sæculo XVI exaratum, ut & *XXVI* Fragmentum Hiſtoricum *de IV Albertis Auſtriæ Ducibus.* *XXVII Hiſtoria de particula S. Crucis Mellicenſis*, Autore *Anonymo Mellicenſi* Seculo XIV ſcripta, quam a Lambecio Bibl. Cæſ. Lib. II Cap. VIII, Schrambio in Chron. Mellicenſi & Huebero in Auſtria ex Archivis Mellici illuſtrata vulgatam, denuo Noſter cum IV Codd. MSS. contulit. *XXVIII Excerpta Chronici cœnobii Weichen-Stephanenſis*, quod Sæculo XII ſcribi cœptum, & a variis usque ad Sæc. XIV productum, totum edi merebatur, niſi Noſter tunc cum cœnobium illud acceſſiſſet, minus proſpera valetudine fuiſſet uſus. *XXIX Excerpta e Conradi*, Cœnobitæ Schyrenſis, vulgo *Philoſophi* dicti, *Catalogo Rom. Pontif. & Imperatorum*, qui liber ab ejus Chronico 1716 recuſo diverſus eſt. *XXX Chronicon Ludovici IV Imp.* Autore *Anonymo* æquali, ſed nimis Auſtriacis iniquo, ex Codice Monaſterii Raitenpuechenſis in Bavaria erutum. *XXXI* Breve *Chronicon Bavaricum* ab A. 1412 ad A. 1453. *XXXII Chronicon Saliſburgenſe* a S. Rudberto ad A. 1495, Autore *Anonymo San-Petrenſi* Cœnobita, nunc primum vulgatum. *XXXIII Wolfgangi de Styra, Benedictini Mellicenſis*, Commentarius Hiſtoricus rerum ab A. 1414 ad 1484 geſtarum, quem ipſe *Itinerarium* vocavit, ex coævo Codice Mellicenſi productus, quo præter domeſticos Monaſterii eventus, alia quoque, imprimis memorabilis obſidio, qua Viennenſes Fridericum III Imp. cum Eleonora Auguſta & Maximiliano filio, urbis ſuæ arce concluſum A. 1462 tenebant, deſcribuntur. *XXXIV* Breve *Chronicon Monaſterii Stamſenſis in Tiroli*, quo obitus imprimis Comitum Tirolis & Principum Germaniæ ab A. 1253 ad 1496 recenſentur. *XXXV Anonymi Mellicenſis* breve *Chronicon Auſtriæ* ab A. 1438 ad

 1464;

Digitized by Google

1464; item *XXXVI Anon. Rotenſis* breve *Chronicon* ab A. 1482 ad 1485, & *XXXVII Anon. Tegernſeenſis* breve *Chronicon Auſtriæ* ab A. 1359 ad 1496. *XXXVIII Necrologium PP. Minorum Conventualium Viennenſium*, ſatis prolixum, in quo multa inſunt, quibus plurium per Auſtriam familiarum illuſtrium memoriæ magnopere conſulitur, quæque hiſtoriam urbis Vindobonenſis illuſtrant: monet vero Rev. Editor, cavendum, ne cum defunctorum Anniverſaria certo quodam die a Minoribus agi ſolita, crebro legeris, eadem cum diebus emortualibus confundas; non paucos enim alio die obiiſſe, alio etiam eorum Anniverſaria celebrata eſſe deprehendes. Subjecta quoque eſt *Narratio de Sepultura Principum* aliorumque in choro Fratrum Minorum. *XXXIX Statuta Synodi San-Hippolytenſis in Auſtria* A. 1274. *XL Anon.* brevis Narratio de *nefanda Hæreſi Adamitica*, in variis Auſtriæ locis Sæculo XIV graſſante. *XLI Ex Chronico univerſali Joannis Enikelii*, quod partim proſa, partim carmine vernaculo compoſitum eſt Sæculo XIII, *Excerpta*, quæ Auſtriam maxime concernunt; ubi ſpem facit Rev. *Pezius*, ſe ejusdem Autoris *Librum Principum*, (*das Fürſten-Buch von Oeſterreich und Steyr-Land*) ab Hier. Megiſero Lincii 1618 vulgatum, Tomo III Script. Auſtr. denuo typis ſubjecturum. *XLII Anonymi Viennenſis* breve *Chronicon Auſtriacum* Latino-vernaculum ab A. 1402 ad 1443. *XLIII Narratio* vernacula *Captivitatis Maximiliani I apud Brugenſes*, quam & a Rev. Duellio Libro I Miſcellan. inſertam & *Jo. Rollio* adſcriptam, Noſter hic e MSpto repetere non eſt dedignatus. *XLIV* Fragmentum hiſtoricum *de Blanca altera Maximiliani I Imp. Conjuge. XLV Inſtrumentum compoſitionis* inter Fridericum III Imp. & Ungaros atque Auſtriacos initæ A. 1453, lingua vernacula compoſitum, qua lingua etiam exhibetur *XLVI Ordinatio ingreſſus Friderici III Imp. in Urbem. XLVII Nic. Lanckmanni de Valckenſtein Hiſtoria desponſationis & coronationis Friderici III & Eleonoræ*, ut & *XLVIII* diploma Eleonoræ pro Lanckmanno, quem illa totius itineris e Luſitania comitem habuerat: etſi vero hiſtoria illa Auguſtæ 1503, iterumque a Cl. Struvio in altera editione Collectionis Freherianæ edita ſit, hic tamen rurſus cum Codice coævo collata prodit. *XLIX*

Augu-

Auguſtini Patricii Senenſis deſcriptio adventus Friderici Imp. ad Paulum II Pontif. e Mabillonii Diar. Ital. Tomo I huc transſcripta. *L Martini*, Abbatis Scotorum Viennæ Auſtriæ, *Senatorium, ſive Dialogus hiſtoricus*, cujus laciniam tantum Schrambius Chronico ſuo Mellicenſi inſeruerat, nunc integrum e Codice coævo: eo libro non tantum Autoris fata, & imprimis Acta Viſitationis cœnobiorum Ordinis Benedictini A. 1451 paſſim ab ipſo ſuſceptæ, ſed & hiſtoria Principum Auſtriacorum primæ ac ſecundæ ſtirpis, Sanctorum Ordinis S. Benedicti atque alia delineantur. *LI Anon.* ſynchroni *Hiſtoria de morte & eventibus Alberti II Imp.* e MSS. item *LII Leſſus* vernaculus *in obitum Ladislai Poſthumi*, e MS. Prolixiſſimum omnium Scriptorum eſt, quod nunc demum producitur, *LIII Thomæ Ebendorfferi de Haſelbach* (qui obiit A. 1464, quemque, inter Doctores Viennenſes non incelebrem, Æneas Sylvius ſuo tempore teſtabatur, duos & viginti annos Eſaiæ primum Capitulum legiſſe, neque adhuc ad calcem veniſſe) *Chronicon Auſtriacum*, Libris V comprehenſum, quo, licet inedito, diligenter uſi videntur Scriptores Auſtriaci, Arenpeckius, Cuſpinianus, Gerh. de Roo, alii, cumque facile careamus iis, quæ Noſter tum ob fabularum copiam, tum ob Codicis perverſitatem, ex opere reſecavit, Libro nempe I & parte ſecundi, plurimum tamen Lectori ſatisfaciunt, quæ ſuo imprimis tempore geſta ultimis Libris tradidit, præſertim quæ ſpectant ad Concilium Baſileenſe, cui ipſe nomine Alberti Duc. Auſtr. poſtea Imper. interfuit. *LIV Narratio* non ineleganti ſermone ab *Anonymo* coævo compoſita, variisque documentis publicis referta, *de diſſenſione Provincialium Auſtriæ*, poſt obitum Maximiliani I Imp. orta Viennæ, & de his quæ ſubſecuta ſunt, Ferdinando Auſtriam moderante, A. 1522; unde patet inter alia, utrique fratrum Carolo V & Ferdinando relictam fuiſſe teſtamento Maximiliani Auſtriam, & Carolum ſuo & Fratris nomine mandata quædam in Auſtriam miſiſſe, mox tamen A. 1522 eundem Wormatiæ Ferdinando tradidiſſe has provincias, cujus quidem traditionis ſeu pactionis litteras authenticas hic quoque, ut alibi hactenus, fruſtra quæſivimus. Claudunt agmen Bohemiæ quædam Chronica vetuſtiora, ex Auſtriæ imprimis ſcriniis eruta,

quæ hic ob utriusque gentis, Bohemicæ & Auſtriacæ, conſuetudinem adjiciuntur. Scilicet *LV Neplachonis Abbatis Opatovicenſis Chronicon Bohemiæ* a gentis origine ad tempora Caroli IV Imp. quod quo magis in rebus vetuſtiſſimis jejunum ac fabuloſum, eo diffuſius & majoris fidei eſt in iis, quæ Autoris ætatem propius attingunt; *LVI Chriſtophori Hoffmanni*, Benedictini Emmerammenſis Ratisbonæ, qui eodem, quo Jo. Aventinus, anno 1534 mortuus, eodemque, quo ille, Monaſterio S. Emmerammi ſepultus fuit, *Chronicon Bohemiæ*, a gentis primordiis ad A. 1320 Germanico idiomate expoſitum, ſed a fabulis non prorſus immune; denique *LVII* perbreve *Chronicon Bohemiæ* ab A. 1157 ad A. 1273. His ſcriptis fere ſingulis præmiſit Rev. Autor, pro more ſuo, *Obſervationes prævias*, in quibus paſſim de rebus notatu dignis erudite agit, ut p. 81 de patria & parentibus B. Bartholdi I Abbatis Garſtenſis, p. 141 de exordiis Garſtenſibus, p. 287 de tribus cœnobiis Virginum Ciſtercienſium, quæ olim exſtitere in Auſtria inferiori, ſed ſucceſſu temporis aliis ordinibus ceſſere, p. 337 de Friderico Pulchro, qui etiam, poſtquam e captivitate liber dimiſſus a Ludovico Bavaro, *Regis Romanorum* nomine in publicis litteris conſtanter uſus eſt, de aliis alibi.

HISTORIÆ FRISINGENSIS TOMUS I, PRIMA quinque ab Adventu S. Corbiniani I Epiſcopi ſæcula, ſeu res ab Anno Chriſti DCCXXIV usque ad A. MCCXXIV Friſingæ geſtas exhibens. Partes II. Autore P. CAROLO MEICHELBECK, Benedictino Benedictoburano Celſiſſimor. S. R. I. Principum, Epiſcopi Friſingenſis & Abbatis Campidonenſis, Conſiliario Eccleſiaſtico.

Auguſtæ Vindel. & Græcii, ſumtibus Philippi Martini & Joannis Veith, Fratrum, 1724, f.

Alph. 11 plag. 12 fig. æn. 5.

PRæcipuum hoc noſtræ ætati in rei hiſtoricæ & ſcientiæ antiquitatum patriarum incrementum donum conceſſit divina bonitas, quod Romanæ Eccleſiæ Theologi, imprimis celeberrima familia Benedictina, non modo blattis tineisque & longævæ ætatis

Digitized by Google

ætatis pulveri atque cariei interdicant præda antiquiſſima, antiquiſſimis nempe tabulis chartisque, ſed certatim quoque producant in lucem unica hiſtoriæ patriæ præſidia; uti novo eoque inſigni exemplo comprobat Reverendus Hiſtoriæ Friſingenſis Autor, quem aliorum ſodalium, imprimis doctorum Peziorum fratrum laude aut incitatum fuiſſe, aut confirmatum, nulli dubitamus. Fuit tamen præterea Meichelbeckio noſtro alia atque excellentior nobiliſſimi Epiſcopatus Hiſtoriam ſcribendi cauſa. Imminebat nempe annus Epiſcopatui Friſingenſi millenarius, idem Reverendiſſimo Præſuli Joanni Franciſco ex illuſtriſſimis Baronibus Eckheranis, poſt exactos L Sacerdotii annos jubileus, quem ut anno poſt natum Chriſtum ſupra milleſimum ſeptingenteſimum viceſimo quarto egerunt feſtum, poſt multas conſultationes tandem & conſtantiſſimas preces modeſtiſſimus Princeps ſuis permiſit. Judicarunt autem, qui iſtius conſilii optimi erant architecti, celebratiſſimum fore annum, ſi res præcipuæ, a divo Corbiniano ejusque Succeſſoribus per X Seculorum decurſum geſtæ, ex juſtis monumentis deſcriptæ, ſimul poſteritati commendarentur, quod negotii Eruditiſſimo Meichelbeckio noſtro commiſſum, ſaltim quoad priorem operis partem in hac, quam tenemus, Hiſtoria Friſingenſi egregie ſucceſſit. Plurimum eo nomine debent Hiſtoriarum ſtudioſi ipſi Reverendiſſimo Præſuli Joanni Franciſco, cui inter alias laudes, quibus noſter Autor in dedicatione operis ſuum Principem multo eloquio extollit, hanc non poſtremam contigiſſe arbitramur, quod ſuæ olim Eccleſiæ Decanus proximum ſibi ſtudium eſſe voluerit, ut antiquitates S. Corbiniani Friſingenſes e ſqualore ſuo extraheret, Archivum Cathedralis Collegii digereret, atque concinno ordine collocaret; tantus denique erga antiqua monumenta amor eum caperet, ut non domi tantum, verum etiam foris per Bojoariam, magnis ſuis impenſis, majori vero ſudore inſtitutis quaquaverſum itineribus veneranda antiquitatis veſtigia rimaretur. Tantum exemplum ſecutus eſt Franciſcus Sigismundus Antonius Baro de Egkher, Principum Electorum Colonienſis & Bavari Camerarius, Bavari Electoris & Epiſcopi Friſingenſ. Conſiliarius intimus, & Supremus Aulæ Mareſchallus, qui ab annis fere

triginta

triginta adeo in excutiendis Friſingenſibus chartariis labore obſtupeſcendo deſudavit, ut denique documenta Friſingenſia omnia in ordinem redegerit, & juxta annorum ſeriem conſcripſerit, tanto noſtri Autoris commodo, ut ipſe lubens & ingenue fateatur, ſi ea caruiſſet opera, de opere hac tempeſtate, anno nempe hujus Seculi XXIV, Friſingenſibus tam memorabili, edendo deſperandum omnino fuiſſe. His ſubſidiis uſus eſt Meichelbeckius, & aliis quamplurimis, quæ Abbates, Præpoſiti, Canonicique Bojoariæ, Socii Jeſu Monacenſes, optimus ille Bernardus Pezius Mellicenſis, inprimis vero Benedictoburanus Abbas, Magnus, larga & non invita manu obtulerunt, cujus poſtremi etiam hoc eſt in Hiſtoriam Friſingenſem beneficium, quod Noſtro e ſuis laboris Socium R. P. Leonardum Hohenauer conceſſerit. Credidimus Annalibus noſtris inſerenda eſſe hæc meritiſſima nomina, ut grata hæc commemoratio ſit forte apud iſtos aliosque inter Romanenſes chartarum ſane veterum ditiſſimos, ſed olim, ut videbatur, nimis avaros, ad idem audendum & plura in hanc lucem cum laude proferenda amica quædam invitatio.

Operis univerſi erunt Tomi II, uterque Seculorum quinque. Tomi I partes iterum ſunt II, præter Diſſertationes prolegomenas ſex, quarum *prima* de ſitu, origine, & nomine urbis Friſingæ, ſane amœna, quod & imago Urbis eleganter & magnifice æri inſculpta loquitur, *ſecunda* de Religione Chriſtiana & morum cultura in modernæ Bojoariæ Superioris confinia ac Friſingam introducta agit. *Tertia* Patriam S. Corbiniani primi Epiſcopi Friſingenſis definit, quem Atheſinum vel Tyrolenſem fuiſſe vetus Friſingenſium Scriptor, Conradus Sacriſta, & cum eo Aventinus, Hundius, alii, Noſter Melodunenſem Gallum, probat autoritate inprimis Aribonis, tertii a S. Corbiniano Epiſcopi Friſingenſis, in Vita ejusdem. *Quarta* in Monachatum S. Corbiniani inquirit, & multis argumentis S. Benedicti Regulæ fuiſſe addictum probat. *Quinta* tempus, quo S. Corbinianus Epiſcopus ſedem Friſingæ figere cœperit, indagat; ubi, poſtquam Pagii ſententiam, Corbinianum A. 716 Epiſcopum a Gregorio II Pontifice creatum, *Regionarium* nempe, ſeu *Portatilem*, ut appellantur, id eſt, nulli certæ ſedi affixum, aliis ſecus ſentientibus

prætulit

prætulit Meichelbeckius ex Aribone, qui ſeptem continuis annis in Galliis eum manſiſſe ſcribit, accedente Epocha Concilii Romani III A. 724 in cauſa Corbiniani Epiſcopatum deprecantis habiti, firmiter concludit, eundem annum ſedi Friſingenſi eſſe natalem. *Sexta* de occaſione & adjumentis operis diſſerit, e qua, quæ in rem noſtram videbuntur, ſupra delibavimus.

Pars I Hiſtoriam Epiſcopatus Friſingenſis exhibet tot libris, quot ſunt ſecula, quæ in hoc Tomo explicantur. Initium operis a S. Corbiniano c. 1, quem excipiunt c. 2 Erimbertus, c. 3 Joſephus, c. 4 Aribo vitæ S. Corbiniani Autor, c. 5 Atto, c. 6 Hitto. Seculum Eccleſiæ ſecundum Libro II ornant, præter Hittonis reliqua, c. 2 Venerabilis Erchambertus, c. 3 Anno, c. 4 Arnoldus, c. 5 Waldo, c. 6 Uto, c. 7 Dracholfus. Seculum tertium Libro III illuſtrant c. 1 Wolframus, c. 2 S. Lantpertus, c. 3 Abrahamus, c. 4 Goteſchalcus, c. 5 Egilbertus. Quarto libro quarti ſeculi Epiſcoporum res leguntur, poſt reſidua Egilberti, c. 2 Nitkeri, c. 3 Ellenhardi, c. 4 Meginoardi, c. 5 Henrici I. Quinto denique ſeculo, operisque libro, comparent Magnus ille Friſingenſium Epiſcopus, Otto, celebratiſſimi Chronici Autor, c. 2, Adalbertus c. 3, Otto II c. 4, Geroldus c. 5, quorum omnium origo, res geſtæ, merita, mors & docte, & ordinate, & diligenter deſcripta hic leguntur, diplomatibus ubique maxime ad rem facientibus, monogrammatibus & ſigillis, nec non aliis monumentis ſacris ad hiſtoriam illuſtrandam pertinentibus nitide æri inciſis, veluti gemmis diſtincta. Omnia Hiſtoriæ iſti inſerere, quæ Tabularia Friſingenſia ſuppeditabant, imprimis VI Traditionum libros antiquiſſimos, locupletiſſimos, non licuit, ne filum hiſtoricum iſtis chartis nimium interrumperetur. Bene adeo hæc omnia, plus quam mille trecenta inſtrumenta, primis quingentis Eccleſiæ Friſingenſis annis confecta, ſuisque notulis ubique illuſtrata, præfixa etiam Aribonis Epiſcopi vita S. Corbiniani ex vetuſto Codice Benedictoburano ſeculo, ut videtur, XI manu exarato, alteri Parti inſeruit, quam inde non male Inſtrumentariam appellat doctiſſimus Autor, ad fidem faciendam opportuniſſima inſtrumenta continentem. Nihil ſupereſt, quam ut Reverendus Meichelbeckius reliquorum ſeculorum res Friſingenſes diutius,

Digitized by Google

quam par eſt, doctis & patriæ hiſtoriæ amantibus ne invideat, quo nomine eum decenter rogamus.

HISTOIRE DE LA MILICE FRANCOISE.
i. e.
HISTORIA REI MILITARIS FRANCICÆ, ejusque mutationum a condita in Galliis Monarchia Francica usque ad finem regiminis Ludovici M. Autore R. P. GABR. DANIELE, S. J. Hiſtoriæ Francicæ Scriptore.
Tomi II.

Pariſiis, apud Dan. Mariette, Joan. Bapt. de Leſpine, & Joan. Bapt. Coignard, 1721, 4 maj.
Alph. 8 fig. æn. 70.

HIſtoriam Franciæ a ſe conſcriptam, quam in Actis noſtris A. 1698 p. 153 & A. 1714 p. 212 recenſuimus, quum Autor Celeberrimus orbi literato non diſplicuiſſe animadverteret, liberalitate juſſuque Ludovici XIV impulſus, quod in dedicatione hujus operis, moderno Regi inſcripti, ipſemet teſtatur, ad ſpecialioria Hiſtoriæ rerum Gallicarum capita, quæ in ipſa Hiſtoria prolixius exponi non potuerunt, majori cum ſtudio elaboranda animum applicuit, & quam plurimas ad ſingula momenta illuſtranda obſervationes collegit. Ex his enata eſt hæc militiæ Gallicanæ Hiſtoria, in qua non inſtituuntur milites, quomodo armis utendum, bellumque gerendum ſit, ſed in eorum gratiam, qui Hiſtoriam Franciæ accuratius perſpectam habere cupiunt, data opera juſtoque ordine exponitur, quæ rei militaris Francicæ per XII fere ſæcula ratio fuerit, hodieque ſit, quove pacto eadem ſucceſſu temporis ſit immutata, & ad majorem perfectionem ſubinde perducta. Præfationis loco præmittitur ſciagraphia hujus operis, antea jam typis deſcripta, in qua indicatur, ea, quæ ad hoc argumentum ſpectant, ad quinque vel ſex capita redire omnia, videlicet primo, quomodo exercitus collecti, quamque diverſæ fuerint copiarum ſpecies; tum qua ratione acies inſtructa; porro quibus operibus urbes munitæ vel oppugnatæ vel defen-

Digitized by Google

defenſæ, & qua ratione poſita ſint caſtra; mox quænam fuerint officia militaria; inde quibus armis uſi ſint milites; & denique, quænam præter jam dicta notari mereantur, quorum uſus in bello vel fuerit, vel hodie adhuc vigeat. Ipſum vero opus duobus conſtat Voluminibus, quorum prius octo, poſterius ſex Libros complectitur, ita, ut univerſum Syſtema XIV Libris abſolvatur, quorum argumentum, inſtituti noſtri memores, paucis indicare non gravabimur, quamvis Muſæ noſtræ non belli, ſed pacis ſtudiis ſint addictiſſimæ.

Quod itaque ad Tomum primum attinet, in Libro I tribus Capitibus totidem momenta ſibi pertractanda ſumſit Autor, quæ rem militarem exhibent, qualis ſub primæ ſtirpis Regibus Franciæ fuit. Capite *primo* arma, quibus Franci in ſubigendis Gallis uſi ſunt, ex Sidonio Apollinari, Procopio imprimis & Agathia, nempe bipennem, haſtam & gladium deſcribit, & effigiem peditis Franci conſpiciendam præbet. Capite *ſecundo* exercitus, diſciplinam & aciem Francorum per cuneos compoſitam perſequitur, & inter alia obſervat, Clodovæum, qui primus Gallos ſub ſuam redegit poteſtatem, in exercitu ſuo tantum pedites, eosque ſolos Francos habuiſſe, ejus autem filios, regno Burgundiæ potitos, etiam Burgundos, & nepotem Clotarium Gallos quoque, cum Francis jam in unam coaleſcentes gentem, admiſiſſe, quamlibet provinciam ſuos & mittere & alere debuiſſe milites, hincque copias a provinciis nomen accepiſſe, ut e. g. Bituricenſes, Cenomanenſes, Andegavenſes &c. dictæ ſint: in provinciis ſervitutem belli adhæſiſſe poſſeſſioni agrorum, & Seniores (*Seigneurs*) ſub Comitibus, hosq; ſub Ducibus milites duxiſſe: Epiſcopos vero & Abbates ſuos miſiſſe Vice-Dominos & Advocatos, quibus in Concilio Sueſſionenſi ſub Childerico III A. 744 habito mandatum fuit, ut *hoſtem non facerent*, i. e. non irent ipſi in militiam, ſed tantum homines ſuos transmitterent: Monaſteria in tres diviſa fuiſſe claſſes; alia oportuiſſe *dona & militiam facere;* alia *tantum dona dare ſine militia*; alia denique *nec dona nec militiam dare, ſed ſolas orationes pro ſalute imperatoris vel filiorum ejus & ſtabilitate imperii:* Theodebertum paucos habuiſſe equites: Reges etiam, ex quo in caſtra Chriſtianorum tranſierunt, ante-

quam proficiſcerentur in bellum, Deum conſuluiſſe, nuncium mittentes in templum durante cultu publico, & quæ templum ingrediens audiebat verba, pro oraculo habentes. Capite *tertio* ſtructuram murorum eleganter depingit, & verba quædam Julii Cæſaris e lib. 7 de bello Gallico illuſtrat.

In Libro II ad Reges ſecundæ ſtirpis progreditur, & cap. I ex capitulariis (*ordonances*) Caroli M. ejusque ſucceſſorum varios tranſcribit articulos, ad modum comparandi exercitus, qui ab eo, quo primæ ſtirpis Principes uſi ſunt, parum abfuit, nec non ad diſciplinam militarem ejus ætatis pertinentes, ex quibus notamus, Carolum M. exemiſſe Epiſcopos omnesque Clericos a militia, nonnullos autem Epiſcopos hanc immunitatem lege confirmatam ægre tuliſſe, non ſolum ſpiritu Martiali nationis Francicæ, uti Autor noſter loquitur, ductos, ſed etiam quod vexationes nobilium cohibere & reprimere voluerint, qui bona invadebant eccleſiaſtica, cauſam interferentes, quod pro regione & religione tuenda & vitam ſuam exponant periculis, & reditus ſuos impendant. Atque hac occaſione Autor explicat, quid *precariæ* fuerint, *præſtaria*, *manſus veſtitus*, *brunia* &c. Cap. II obſidionem Pariſiorum, A. 886 a Normannis factam, & ab Abbone Monacho, teſte oculato, verſibus latinis deſcriptam refert, & opera atque machinas ab hoſtibus adhibitas, cujusmodi præter *arietem* fuerunt *muſculi*, *plutei*, *catapultæ*, *baliſtæ*, *terebræ ſeu tigna ferro acuminata*, *mangana*, quam vocem Autor corruptam eſſe, a Græca μηχανὴ derivatam, & ſpeciem catapultæ vel baliſtæ ſignificare opinatur, *falarica* &c. accurate deſcribit, utque facilius meliusve concipi poſſint, figuras adjungit, non tamen diſſimulans, ſtructuram catapultæ hodie vix concipi poſſe.

Ad Reges tertiæ ſtirpis deveniens, hiſtoriam militiæ Francicæ, jam multo ampliorem, in certas redigit periodos, & Libro III ea tantum exponit, quæ in hoc argumento notatu digniora ſunt, ab Hugone Capeto usque ad Carolum VII, ubi cap. 1 de vaſallis coronæ ſub Hugone Capeto; cap. 2 de modo cogendi milites; cap. 3 de mutatione militiæ facta a Philippo primo, qui milites ſic dictos communes inſtituit; cap. 4 de equitibus in genere, & ordine equeſtri, itemque de ceremoniis, quibus creabantur

bantur equites, de ipſorum honoribus, titulis & ordinibus; tum in ſpecie cap. 5 de equitibus bannerias ferentibus (*des Chevaliers Bannerets*) quorum originem & hiſtoriam, ac torneamenta, quæ ludi militares, exercitia militaria, bellique præludia dicebantur, attingit; cap. 6 de armigeris ſeu ſcutariis vel ſcutiferis (*des Ecuyers*) & Valetis vel Vasletis (quod nomen diminutivum eſſe affirmat vocis Vaſalli) ſive famulis ſtrenuis; cap. 7 de Servientibus, Clientibus, Satellitibus, Ribaldis, Piquichinis, &c. quorum mentio injicitur in albo exercitus Philippi Auguſti, qui rem militarem Francicam primus rite diſpoſuit; cap. 8 de militibus, quos idem ſuis ſtipendiis primus aluit, (*des Soudoyers*) unde vox Soldat originem trahit, quosque non ex certa quadam gente, ſed variis nationibus, præſertim tamen ex natione Brabantica collectos, & Coterellos, Ruptarios, Rutarios & Brabantiones dictos eſſe, indicat; cap. 9 de copiis extraneis, quibus Philippus Pulcher primus, & poſt eum Philippus Valeſius potiſſimum uſus eſſe perhibetur, præſertim de Helvetiis, quos Ludovicus XI primus ſibi conciliavit; & denique cap. 10 de regimine militari agit, ubi Reges priores ipſos præfuiſſe exercitibus monet, & dignitatem magni Seneſcalli Franciæ (*de Grand Senéchal de France*) omnesque eos, qui in hoc honoris culmine conſtituti fuerunt, porro dignitatem Comitis Stabuli (*de Connêtable de France*) a Ludovico XIII A. 1627 ſuppreſſam; titulum deinceps & dignitatem Capitanei Generalis, id eſt, Ducis primarii; ſummorumque Magiſtrorum arcubaliſtariorum (*des Grands Maitres des Arbaletriers*) & denique vexillum S. Dionyſii portantis (*de Porte-Oriſlamme*) haud perfunctorie recenſet. In Libro IV mutationem militiæ, factam a Carolo VII, & poſt ipſius tempora in equitatu peditatuque VIII capitibus enarrat, ex quibus notamus, Carolum VII equites reduxiſſe ad quinque manus, *Compagnies d'ordonance* dictas, equitatum gravioris armaturæ (*la Gendarmerie*) in meliorem redactum eſſe ordinem, & equitatum levioris armaturæ in tres diviſum eſſe ſpecies, *Eſtradiots*, *Argoulets* & *Carabins* dictas; peditatum a Franciſco I in legiones eſſe diviſum; milites, *Avanturiers* dictos, i. e. audaciores, magnas dediſſe turbas; & titulum atque officium *Colonel General de l'Infanterie*,

fanterie, ſeu Imperatoris exercitus pedeſtris, a Franciſco I inſtitutum, ſub Henrico III a Duce Eſpernonio ad ſummum faſtigium eſſe evectum, & tandem a Ludovico XIV ſuppreſſum. Pari eruditione ac ſolertia in Libro V, non ſex, uti per errorem typothetæ numerantur, ſed ſeptem Capitibus de aciem inſtituendi ratione, de clamore militari *Montjoye S. Denis*, quæ verba rejectis reliquorum interpratationibus Autor ſignificare contendit: *Gaudium meum eſt S. Dionyſius*, Patronus Franciæ; de diſpoſitione exercitus cum in itinere, tum in caſtris; de officiis militis præſidiarii; deque exercitiis cum veterum Græcorum ac Romanorum, tum Francorum diſſerit. In Libro VI quinque prioribus capitibus varia armorum genera enumerat, quibus & equites & pedites uſi fuerunt, atque cap. 6 armorum ornamenta; cap. 7 vexilla, cap. 8 Capellam, ſcapam vel cappam D. Martini (*la chape de S. Martin*) per quam ſive pallium, ſive ſupparum, ſive velum intellexeris, non vexillum, ſed tentorium, ſub quo Sanctorum, imprimis S. Martini, reliquiæ portatæ ſint, denotari pluribus contendit; cap. 9 vexillum S. Dionyſi ſive Auriflammam; cap. 10 vexillum regium, imprimis candidum equeſtre (*la Cornette blanche*) & cap. 11 Muſicam militarem tradit. In Libro VII modum obſidendi urbem, illis temporibus uſitatum, IX capitibus exponit, & de cuniculis, de varii generis pyrobolis, eorumque inventione, de pyloclaſtris & machinis infernalibus agit, ac contra Stradam tuetur, glandes miſſiles, vulgo *Grenades*, jam ſub Franciſco I in uſu fuiſſe; numum quoque illuſtrat, in cujus altera parte effigies Guillelmi conſpicitur cum hac epigraphe: *Guillelmus Magnus inviɛtiſſimus*, in altera vero taurus Perilli, cum verbis ſupra poſitis: *Suis perit ignibus Autor*, & infra ſcriptis: *Portus Gratiæ exuſtus & everſus bombardis Anglo-Batavis* MDCXCIIII. Tandem Libro VIII cap. 1 munitionem Francorum, hiſtoriamque architecturæ militaris; & cap. 2 deditionem ac pacti ineundi capita conſignat.

In Libro IX, a quo Tomus II incipit, & ſequentibus ad hiſtoriam militiæ Gallicæ recentiorem ſe convertit Autor, & lectori harum rerum curioſo eo plus parit voluptatis, quo plura complectitur momenta, ſine quorum cognitione noſtræ ætatis hiſtoria

ria

Digitized by Google

ria vix ac ne vix quidem intelligi poteſt. Prius vero, quam copias commemoret, ex quibus hodie exercitus Gallici componuntur, munia militaria, quæ hodie ſtatum militarem ornant ac ſplendidiorem reddunt, a ſummo ad infimum X capitibus illuſtrat, ex gr. cap. I Mareſcallum Franciæ conſiderat, & vocis hujus etymologiam, uſum antiquum modernumque, nec non officii amplitudinem & dignitatem explicat &c. iisdemque cap. XI operum bellicorum machinatores *(Ingenieurs)* adjungit, & cap. XII cuſtodes Regum priorum, atque cap. XIII manum centum nobilium, qui appellati fuerunt *les Gentils-hommes du Bec de Corbin*, ejusque originem, incrementum & mutationem quoad ſingulas circumſtantias deſcribit. Tum omnes Regis Galliarum copias dividit in eas, quæ ad domum regiam militarem referuntur, & eas, quæ reliquam turbam conſtituunt. Domus regia militaris, quæ ſub Ludovico XIV magnificentia non minus quam virtute floruit quam maxime, in Libro X octo capitibus prolixe ſatis deſcribitur, & inter alia monetur, cuſtodes Scotos poſt abitum Rutterfoordii legioni de Douglas immixtos fuiſſe. Reliquas copias Auctor ita deſcribit, ut Libro XI pedites, in legiones diſtributos, & Libro XII equites levioris armaturæ, catapultarios, Hungaros &c. ſiſtat. In Libro deinde XIII tormenta bellica *(l'artillirie)* & alia ad militiam ſpectantia fuſius excutit, ubi etiam de præmiis militiæ, de ordine militari S. Ludovici, de infirmorum ſuſtentatione, & domo magnifica, juſſu ac voluntate Regis A. 1671 in eorum uſum condita, deque pœnis militum & armorum mutatione differit, & comparationem inſtituit inter artem militarem ac militiam Veterum, Græcorum ſcilicet & Romanorum, & gentium Europæarum belligerandi gloria celebratiſſimarum. Atque hoc loco non poſſumus, quin judicium Autoris a partium ſtudiis alienum probemus, quandoquidem, aliis noſtri ævi militiam, aliis vero cum Lipſio (*lib. 3 de militia Romana dialogo 20*) militiam veterum præferentibus, media incedit via, & juſtum utrique ſtatuit pretium. Etenim Græcis & Romanis gloriam inventæ artis militaris concedit, docens, reliquas gentes in bello ſequutas eſſe regulas generales, quas præcipiebat neceſſitas, absque ſollicita meditatione & mentis appli-

Digitized by Google

applicatione; Græcos autem invidia & faſtu ductos, bellum in artis formam redegiſſe, eamque Romanos magis excoluiſſe: qua occaſione etiam Græcorum phalangen deſcribit, & qua in re Romanorum militia a Græca diverſa quondam fuerit, commonſtrat. Fatetur etiam, Romanorum milites a pueris fuiſſe aſſuetos laboribus & moleſtiis cum militia conjunctis; idem vero de hodiernis militibus affirmari non poſſe. E contrario in exercitiis militaribus modernos non cedere Romanis, &, ad urbes vel oppugnandas vel defendendas quod attinet, quamvis juſta comparatio vix inſtitui queat, eo quod arma & machinæ jam prorſus aliæ adhibeantur, tamen hodiernos operum bellicorum machinatores veteres longe ſuperare, & milites præſidiarios iisdem pares habendos eſſe, contendit. Quod ad diſciplinam, neutiquam regulas veterum cum hodiernorum exemplis, verum cum præceptis hodiernis, atque adeo exempla cum exemplis conferri oportere, bene monet. Porro quando arma, quibus hoſtem aggrediebantur veteres, cum armis noſtræ ætatis comparat, hæc longe majores ſumtus requirere fatetur, & illis plures hoſtes occiſos fuiſſe, ex hiſtoria probat, & fundam præfert ſclopeto, jaculumque ſclopo manuario; immo ſi centum Funditores cum totidem Sclopetariis congrederentur, illos ſuperiores futuros arbitratur. Tandem in Libro *decimo quarto* XIII capitibus ea pertractat omnia, quæ ad militiam navalem pertinent, & ſtatum rei militaris navalis Gallorum cum præteritum tum præſentem illuſtrant. Sed hiſce diutius immorari nobis non licet, qui nulli dubitamus, quin liber tam varia eruditione tantaque rerum hiſtoricarum & ſuperioris & noſtri ævi multitudine refertus multos quoque ſit inventurus Lectores.

THE LIFE OF GENERAL MONK, LATE DUKE of Albemarle.

i. e.

VITA MONKII, SUPREMI DUCIS BELLICI, quondam Ducis Albemarliæ, e ſchedis THOMÆ SKYNNERI, *cum præfatione* GUIL. WEBSTERI.

Londini

Londini, apud W. Bowyer, 1723, 8 maj.
Alph. 1 pl. 12.

CL. *Webſterus* in præfatione huic Operi præmiſſa famam Monkii perennaturam a maculis malevolorum aſperſis, multis ex *vita D. Barwici* hanc in rem depromtis, ſolide vindicat. *Clarendonius* etenim in hiſtoria iſtius temporis pronuntiat, Monkio ad laudem ſufficere, ipſum vel invitum tantam rem ad finem perduxiſſe; Cromwellio enim impenſe addictum, cum omnes Regium imperium deſiderarent, ſe Carolo Regi potius, quam alii ſubmittere voluiſſe, adeoque plurium voluntatem ſequi coactum, etſi ſæpius antea Parliamento ſuaſiſſet, omnibus innitendum viribus, ut Rex a reditu arceretur. Ipſe *Ludlovius* in *Commentariis* affirmat, *Monkium ſibi a Rege Vicariatum Regni Hibernici pactum;* quamvis mox ſibi ipſi contrarius, eundem fateatur nullas ſibi conditiones pactum, quod ſperaret, hoc modo ſe majora obtenturum. Plerique eum arguunt, diſſimulantem in toto negotio, haud ſincero animo fuiſſe verſatum. Alii vindictæ ſtudio in Parliamentum, coram quo cauſam dicere ob pacem cum O Neal Hiberno concluſam juſſus fuerat, ab ipſo tantum opus ſuſceptum fuiſſe autumant: animumque ejus a Rege alienum ex litteris ipſius ab *Anonymo de arte reſtaurandi* (*art of reſtoring*) vulgatis declarant. Verum Ludlovio, aliiſque Reipubl. ſectatoribus non habenda fides, qui verbis ſæpe ambiguis ac durioribus pro ratione temporis cuncta detorquent. Clarendonius nimis tunc ab arcanis in Anglia remotus, ſua tantum ex rumore hauſit, imo aliis in locis Monkium a diſſimulatione illaudabili abſolvit, & deſtinata ipſius ſapienti conſilio tecta deprædicat, quæ ſi emanaſſent, ſummum detrimentum bonæ cauſæ attuliſſent. Quid? quod Monkius juramentum de Rege & Monarchia non reſtituenda, licet imminente vitæ diſpendio, intrepidus detractavit. Quas vero literas *Anonymus* ille Noſtro tribuit, eæ utique ab impoſtore videntur confictæ; & quamvis rebus ita jubentibus inimicis Regis militare cogeretur, nusquam tamen adverſus Regis commoda laboraſſe deprehenditur. Ipſe ex Regio Plantagenetarum ſanguine, a Richardo Romanorum Rege ortus, p. 97. Batavorum caſtra juvenis 21 annorum ſecutus, minime tamen

 princi-

Digitized by Google

principiis hujus Reipubl. deditus, ac poſt decennium reverſus, ſub ſignis Regiis ſtipendia meruit, & ſuſpectus aliquando Regi ob favorem Leiceſtrii, mox in gratiam receptus eſt; captus deinde a Parliamentariis, ærumnas carceris per quatuor annos ſuſtinere, quam promiſſis aurem præbere & impia in Regem arma ſumere maluit. Cum Rex creari ipſe potuiſſet, noluit; & quamvis *Echardus* in Hiſtor. Angl. aſſerere videatur, eum a conſiliis de diademate ſuſcipiendo a Coopero fuiſſe deterritum, attamen cum is *Lockio*, teſte in ea re haud omni exceptione majore, utatur, Noſter rem judicio Lectoris relinquit. Denique favoris in Presbyterianos falſo a nonnullis arguitur, cum ab his ſemper fuerit alieniſſimus. Opus ipſum integrum e MScto cum variis Codd. collato hic ingenue offertur a *Webſtero*, addito Epitaphio Monkii, hactenus nondum typis vulgato. Etenim *Skynnerus*, Vitæ hujus Autor, tertiam illius partem, Latino idiomate ſub titulo: *Motus compoſiti*, jampridem vulgavit, Anglica quoque lingua donatam, quæ omnium nunc manibus teritur. Ceterum cum D. Gumble, qui unus hactenus hoc argumentum aggreſſus, leviter ſaltem tanti Viri memoriam adumbraverit, longe majorem Skynnerinus hic fœtus fidem merebitur, quod ex ſchedis optimæ notæ, & ore hominum fide digniſſimorum fertur collectus. Nos potiſſima ejus geſta velut in nuce exhibebimus. Georgius, Dux Albemarliæ, natus Potheridgiæ in Devoniæ Comitatu 6 Dec. 1608 inter fratres natu minor, ob tenues facultates armis deſtinatus, cum 17
p. 12. ætatis annum nondum ſuperaſſet, Præfectum iſtius Comitatus, quod Patrem contra fidem datam carceri incluſiſſet, fuſtibus multavit. Hinc profugus nomen dedit militiæ, & claſſi impoſitus eſt, qua Gades Angli petebant, unde cum ceteris re infecta rediit. Inde Rupellanæ expeditioni interfuit; & hoc quoque bello compoſito, per decennium ferme Batavis militavit, ſed cum Magi-
15. ſtratus Dordracenus ſibi cognitionem in milites ejus arrogaret, & Auriacus civibus faveret, de injuria queſtus, miſſionem conti-
19. nuo efflagitavit. Redux in Angliam, Subtribuni munere a Comite Leiceſtriæ ornatus, Scotos, Hibernosque rebelles, mox Tribunus,
23. repreſſit, revocatusque in Angliam ſuſpicionem Regis, ac ſi Parliamento faveret, a ſe amovit. Creatus inde Major militum

Præ-

Præfectus, in obſidione Nantvici a Parliamentariis captus, & p. 25.
carceri Londinenſi eſt incluſus. Ibi per quatuor annos detentus,
& a Parliamento fruſtra ſollicitatus, fidem in Regem ſancte ſer- 29.
vavit, donec & Regis & Parliamenti juſſu adverſus Hibernos
militandi provinciam obtineret. Rege inter hæc nefanda cæde 39.
peremto, juſta indignatione in Scotos commotus, Cromwellio
duce in bellum Scoticum eſt profectus, eique adeo ſe probavit,
ut Cromwellius illi ſoli regiminis curam in Scotia crederet.
Claſſi poſtea præpoſitus, binis præliis Batavos ſuperavit; ac Scotos 50.
denuo rebelles ſubito imperata facere coegit. Rebus poſt mortem 63.
Cromwellii undique turbatis, cum Jo. Greenvillius & Nicolaus 93.
Monkius pararii a Rege clam ablegati eſſent, Noſter omnibus
rite penſitatis, alto cuncta ſilentio premenda ducens, animum a
Rege alienum fingebat, pecuniæ interim & militi colligendo,
utcunque res ceciderit, intentus. Inde rerum facie paulo mutata,
libertatem Parliamenti & jura Populi ſe defenſurum publice 128.
edicit, urbes munitas Viris ſui ſtudioſis credit, ſuſpectos amovet, 167.
aut carceri mancipat, rejectisque vanis adverſariorum promiſſis,
conſilium de Rege reſtituendo celans, iter cum exercitu rebus
bene ordinatis *Coldſtrema* ingreditur laboris periculique pleniſ-
ſimum, & copiis *Fleetwoodo* a Senatu Anglico, prout poſtula-
verat, exire juſſis, Londinum milite ſuo occupat, ac odio civium 233. 257.
in adverſarios concitato, a Parliamento huc usque excluſos re-
vocat, ab eodemque rei militaris & maritimæ imperium ſibi 268.
conciliat. Summam tamen rerum ſibi oblatam magno animo
reſpuit, & Pricii ac Greenvillii ſuaſu, grande illud arcanum 191. 293.
tanta prudentia occultatum, quod jampridem animo agitaverat,
aperit, atque autoritate Senatus Regni, ſummo omnium plauſu 325. 330.
Carolum II Regnis avitis reddit. Dux inde Albemarliæ creatus,
per totum luis peſtiferæ tempus Londini ſubſtitit, indefeſſa re- 364.
rum publicarum cura aulæ, egenis munificentia ſingulari, per-
carus. Claſſi Præfectus A. 1666 contra Batavos viribus longe ſu- 375.
periores prœlio triduano pugnans haud inferior diſceſſit; imo
Ruperto Principe in auxilium adventante, Batavi cedere victo-
ribus Britannis coacti. Paulo poſt Batavi haud minore clade 386.
affecti, intra portus ſe recepere, *Holmio* interea urbem *Bran-* 395.

Digitized by Google

p. 412. *darin* ac naves 150 ſpoliante aut comburente. Obiit Monkius
414. hydrope 3 Januar. 1670 anno ætatis 61 ſuperato; cadaver ab amicis Ægyptiorum more aromatibus conditum, ſumtu publico,
418. ſolenni pompa funeris, ſumma omnium comploratione, Regio tumulo eſt illatum. Quæ tanti Viri indoles fuerit, in fine libri accurate exponitur.

CHRISTIANI BERNHARDI ALBINI SPEcimen Anatomicum, exhibens novam tenuium hominis inteſtinorum deſcriptionem.

Lugd. Batavorum, apud Henricum Mulhovium, 1724, 8. Plag. 7 dimidiat.

IN Specimine hoc Anatomico, ſummis in Medicina honoribus adipiſcendis deſtinato, id agit Clariſſ. Albinus, ut tenuium inteſtinorum tunicas, vaſorum arterioſorum & venoſorum ad has iter, per eas diſtributionem, finem ultimum & actionem exponat quam accuratiſſime. Quæ de tunicis inteſtinorum tenuium commmentatus eſt Autor, brevius recenſebimus, ex quibus haud obſcure judicare licebit, qua induſtria reliquum abſolverit penſum. Tunicæ numerantur quinque, quarum extima, communis dicta, a peritonæo ortum ducit; poſtquam enim hoc propter lumborum vertebras in duas lamellas, per planas ſuperficies ſibi accumbentes & unitas, diviſum, meſenterium formavit, in confinio jejuni & ilei dehiſcunt utræque lamellæ, cylindricum inteſtinorum canalem ambiunt, & ſupra eundem ſibi mutuo occurrunt & continuantur; niſi malis dicere, unam lamellarum meſenterii inteſtinum conſcendentem, circumeuntem, & ab altero latere deſcendentem continuari alteri, ſeu illam potius ipſam eſſe. Unde fit, ut hiatui ſecedentium meſenterii lamellarum e regione oppoſita quantulacunque inteſtini pars minime hoc involucro tecta reperiatur. Adhæret hæc tenuis & denſa membrana inteſtino prope meſenterium, non niſi leviter tantum, mox paullo arctius, tandem arctiſſime; ita ut in adultis minime, in fœtu arte tantum a ſubjectis ſeparari poſſit. Secunda, ſeu celluloſa Ruyſchio dicta, itidem meſenterii eſt propago. Continet ſcilicet hoc intra ſuas laminas materiam quandam mollem, teneram,

ram, ſequacem, quæ immiſſo flatu in ingentem cellularum abit numerum. Atque hæc materies replet omnem illum hiatum, quem lamellæ inteſtinum conſcendentes reliquerant, & terminatur digiti transverſi circiter a meſenterio diſtantia, nec totum inteſtinum ambit. Accipiunt hæ cellulæ & aſſervant pingue ex arteriis ſecretum, quod fibras muſculoſas ſubjacentes lubricat. Et licet pars inteſtinorum ſuperior a meſenterio averſa, ad quam celluloſa hæc tunica non pertingit, ob ſenſibilem magis muſcularem actionem ejusmodi pinguedine majori jure indigere videatur, hujus tamen defectum ſuperſtratum omentum pingue largiter compenſat. Tertium, quod ſequitur, involucrum ex duplicis ſeriei muſculis exiguis conſtat. Externa ſeries longitudinalium eſt, qui parallelo ſitu per totum inteſtinorum ſyrma exporriguntur; ſed non ubique. Nam collocantur tantum in oppoſita meſenterio inteſtini ſede; digiti transverſi in his, pollicis in aliis, latitudinem occupantes. Adhærent firmiter communi tunicæ, non intercedente celluloſa; quin & ubique ſubjectæ ſeriei annularium muſculorum innectuntur. Neque etiam continuo quaſi filo per totam inteſtinorum longitudinem ducuntur, ſed poſtquam paullulum ſpatii confecere, ſtatim ad interiora velut inflectuntur & abſorbentur, evaneſcente ſic confeſtim ulteriori eorum progreſſu & emergentibus quaſi in ipſo illo loco iterum aliis. Harumque fibrarum miniſterio in rectitudinem coguntur inteſtina. Internam ſeriem annulares conſtituunt, quæ tenues quamvis, priores tamen craſſitie & copia multum ſuperant. Sunt hi innumeri muſculi, inteſtinum ambiendo in ſe redeuntes, hinc orbiculos, forſan etiam ſpiras, formantes, juxta ſe invicem arcte appoſiti. Et ab his mirabilis ille lumbricalis, periſtalticus dictus, motus inteſtinorum dependet. Huic ſtrato muſculoſo ſubjacet quarta tunica, per cujus telam raram vaſa ſanguifera innumera denſiſſima ramificatione producuntur; quæ quidem cum Williſio nervea dici poteſt, non, quod ex nervis ſit conflata, ſed quod corpus conſtituat album & exangue: quia vero adacto flatu tota in mirabilem cavernularum & inextricabilem texturam confeſtim explicatur, tunica cavernuloſa aut celluloſa altera & interna nuncupanda venit, in eo ab externa diſtin-

diſtinguenda, quod hæc inter tunicam communem & muſcularem ſita, pinguedine ſit referta, illa vero inter muſcularem & ultimam contineatur, omni pinguedine orbata, & coercendis ac ordinandis vaſis ſanguineis dicata. Quinta tandem & intima tunica Villoſa dicta & holoſerico æquiparanda, ex innumeris conſtat filamentis pendulis, quæ nihil aliud ſunt quam extremitates arteriolarum & venularum, quæ per internam celluloſam decurrunt tunicam, intra cavum inteſtini productæ, ibidemque pendulæ & apertæ, ac tenuem, bilioſam & lymphaticam magis chyli partem recipientes, in venas meſaraicas ac inde in venam portæ deducendam. Atque hæc ſingula variis probat experimentis Cl. Autor, beneque monet, ut partes corporis noſtri inveſtigaturi eas non ſolum recentes probe conſideremus, ſed & arte præparatas luſtremus; ſiquidem alteruter hic modus ſolus excultus mancus ſit & infidus, circumſpecte vero junctus uterque ad perfectam & firmiſſimam ducat cognitionem. Sicut enim prior pauciora, ſed certa & a naturali ſtatu vix mutata, ita poſterior multo quidem plura, ſubtilioraque & elegantiora, ſed minus firma & ſecura docet; ſiquidem inflatio, vaſorum repletio & exſiccatio cum partibus naturales non ſint, horum ope præparata non naturalem, ſed mutatam omnino faciem exhibent.

JOANNIS KEILL, M. D. REG. SOC. LOND. Socii, in Acad. Oxon. Aſtronomiæ Profeſſoris Saviliani, Introductiones ad veram Phyſicam & veram Aſtronomiam: quibus accedunt Trigonometria, de viribus centralibus, & de legibus attractionis.

Lugd. Batavorum, apud Joh. & Herm. Verbeek, 1725, 4.
Alph. 3 plag. 14 Tabb. æn. 47.

INtroductionem ad Phyſicam, qua potiſſimum more veterum demonſtrantur, quæ *Gallilæus, Walliſius* atque *Hugenius* de motu invenerunt, in Actis A. 1703 p. 504 &, cum ſecunda vice auctior prodiret, in Actis A. 1706 p. 140 recenſuimus; Introductionem vero ad Aſtronomiam, qua Aſtronomiæ Geometricæ elementa continentur, in Actis A. 1720 p. 188. Trigonometriæ planæ

Digitized by Google

planæ & Sphæricæ elementa una cum tractatu brevi de Logarithmis *Keillius* ſubjunxerat novæ, quam dederat, editioni Elementorum *Euclidis* ex verſione *Commandini*, cujus mentionem fecimus in Actis A. 1716 p. 57. Quæ de viribus centralibus & legibus attractionis hic comparent, ex Transactionibus Anglicanis tranſcribuntur. Schediaſma de legibus attractionis integrum legitur in his Actis Supplem. Tom. IV Sect. VI p. 272. De viribus centralibus primum hic reperies epiſtolam ad Cel. *Hallejum* ſcriptam, in qua demonſtrat theorema de viribus centralibus ab *Abrahamo de Moivre* inventum & cum ipſo ab *Hallejo* communicatum hujus tenoris: *Si corpus urgente vi centripeta in curva aliqua moveatur, fore vim illam in quovis curvæ puncto in ratione compoſita ex directa ratione diſtantiæ corporis a centro in rectam in eodem puncto curvam tangentem demiſſæ, ducti in radium curvaturæ, quem ibi obtinet curva.* Inde per modum Corollariorum deducit alia, quæ magnus ille Geometra *Newtonus* in Principiis Phil. Nat. Mathematicis demonſtravit. Ceterum in hac ipſa epiſtola leguntur verba illa, quæ occaſionem dederunt controverſiæ de inventore calculi differentialis & ſummatorii tanta animorum acerbitate agitatæ nec nonniſi morte *Keillii* finitæ. Affirmat nimirum *Keillius fluxionum Arithmeticam*, *quam ſine omni dubio primus invenerit* Dn. Newtonus, *poſtea mutatis nomine & notationis modo* a Dn. Leibnitio *in Actis Eruditorum editam eſſe*. Secundo loco exhibentur obſervationes in *Cel. Joannis Bernoulli* ſolutionem problematis inverſi virium centripetarum, quæ legitur in Commentariis Phyſico-Mathematicis Academiæ Scientiarum Pariſinæ A. 1710, una cum nova ejusdem problematis ſolutione. Hanc operum *Keillianorum* collectionem orbi erudito impertitus eſt Cl. *Graveſandius*, qui pietate in manes amici defuncti uſus curavit, ut & a mendis purgata, & nitida prodiret.

MARCHIONIS ANTONII GHISLERII Ephemerides Motuum cœleſtium ab An. 1721 ad An. 1740 e Tabulis de la HIRE, STREETII & FLAMSTEDII ad Meridianum Bononiæ ſupputatæ.

Bono-

Bononiæ, apud Succeſſores Benatii, 1720, 4.
Alph. 3 plag. 10.

IGnorabat Cl. Autor, Ephemerides a Cel. *Manfredio* prelo fuiſſe ſubjectas, cum de ſuis edendis cogitaret. Etſi vero, cum iſtæ prodiiſſent, ſuarum edendarum conſilium mutaſſet; ab ipſo tamen *Manfredio* ſe adduci paſſus eſt, ut ne eas premeret. Suadebat autem *Manfredius* editionem, tum quod juxta alias tabulas eſſent computatæ, quam quas ipſe condiderat, tum quod ad plures annos extenderentur. Locus unius planetæ non niſi ſemel exprimitur. Unde conſtat, Autorem in aliis tabulis *de la Hire*, in aliis *Streetii*, in aliis vero *Flamſtedii* fuiſſe uſum, quamvis non indicet, in quibus his, in quibusnam vero iſtis vel illis tabulis fuerit uſus. Introductionem vulgo ephemeridibus præmitti ſolitam omittit, cum inconſultum duxerit ab aliis iterato inculcata repetere. Nec in his Ephemeridibus comparent typi eclipſium ſolarium atque tranſitus Mercurii ſub Sole, neque intimi Jovis ſatellitis immerſiones atque emerſiones ab umbra illius, aut Lunæ appulſus ad inſigniora ſidera, cum familiaribus negotiis impedito ad talia addenda non fuerit otium. Quamobrem optandum, ut Cel. *Manfredius* Ephemeridum ſuarum continuationem non negligat, qui iisdem inſeruerat, quæ in *Ghislerianis* deſiderantur. Ceterum *Ghislerius* fretus hypotheſi *Caſſini*, quod Cometa, qui A. 1702 apparuit, idem ſit cum Cometa A. 1668 & olim quoque ab *Ariſtotele* obſervato, ejus A. 1736 reditum prædicit. Eum ab Aquario egredi debere & per cetum transeuntem ad Eridanum perventurum affirmat. In præfatione addit prædictionem alterani *Caſſini* de Cometa A. 1783 apparituro, ex hac hypotheſi, quod Cometa A. 1680 idem ſit cum *Tychoniano* A. 1577. De ea tamen ſubdubitat, cum ipſi Cometa A. 1680 & 1577 non videatur idem. Immo alia adhuc prædictionum exempla commemorat, v. gr. quod juxta *Whiſtonum* Cometa A. 1751, juxta *Hallejum* A. 1758, A. 1790 & A. 1747 compariturus ſit. Defendit in eadem præfatione ſiderum influxum, ſed eum, qui ab actione luminis proficiſci poſſit.

ILLUSTRIS-

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI THEOPHANIS, Archi-Epiſcopi Pleſcovienſis & SS. Synodi V Præſidis &c. Disquiſitio Hiſtorica bigæ quæſtionum, quarum 1) quibus de cauſis & quo ſenſu Imperatores Romani tam ethnici, quam Chriſtiani, appellati fuerint Pontifices ſive Archierei gentilis religionis? 2) num Chriſtianæ religionis ſummi Imperantes dici poſſint Epiſcopi & Archierei, & quo ſenſu?

Petropoli, 1721, d. 7 Jul. in 4.

Plag. 4.

Libelli hujus, lingua Ruſſico-Slavonica exarati, Autor graviſſimus, miſſa vocis Pontificis evolutione, quam Philologis incertam relinquit, potius de origine & officio Pontificum, eorumque diverſitate ſibi dicendum exiſtimat. Originem ex Livio refert ad Numam, Romanorum Regem, qui ad reprimendam populi feritatem ſacra circa cultum Deorum introduxerit, variisque ſacrificiis & ceremoniis, Sacerdotibus item & Veſtalibus Directorem, ſive Pontificem, præfecerit. Porro refert, ſubſequentibus temporibus multos ſimul extitiſſe Pontifices, 4, 8 & plures, obſervante Boſio in antiquit. vel de Pont. c. 1 tom. 3: eorum autem ſemper unum fuiſſe Maximum, quem Scriptores Græci dixerint *Archiereum*, ut idem Boſius ex antiquis nummis oſtendit. §. 1.

Officium vero ſummi *Archierei* fuiſſe, ſacra peragere, & Sacerdotes æque ac ſeculares perſonas in rebus ſpiritualibus regere cum poteſtate: illud commune eum habuiſſe cum ceteris, hoc autem ſibi proprium. Qua poteſtate Auguſtus Imperator præditus libros ſuppoſititios numero 2000 comburi juſſerit, teſte Suetonio cap. 31 Aug. Alia poteſtatis Pontificiæ ſpecimina, nec non res & cauſas eidem ſubjectas, vid. ap. Liv. l. 37 c. 51, Valer. Maxim. l. 1 c. 12, Ovid. l. 3 Faſt. d. 6 Mart. Tacit. annal. l. 3 c. 10, 15, 38. 2.

Magnam ejus poteſtatem hiſce privilegiis munitam fuiſſe, 1) quod Summus Pontifex non debuerit ſtare coram Senatu, neque populo rationem officii reddere; 2) quod unus fuerit Summus, non habens ſibi parem ſive Collegam; 3) quod Pontifi- 3.

Digitized by Google

catus ejus duraverit ad finem vitæ. In tali poteſtate tamen Summo Pontifici certos limites fuiſſe poſitos. Quamvis enim nulli judicio fuerit ſubjectus, attamen permiſſum fuiſſe ab illo provocare, vel ad collegium minorum Pontificum, vel ad totum populum. Nec liberum fuiſſe Pontifici Italia exire, aut habitare in ædibus privatis, nec eum poteſtatem habuiſſe bellum indicendi aut cohibendi. Inquiſiviſſe autem in leges a Senatu & populo latas, ſintne Diis contrariæ, & ſi tales, iis interdixiſſe. Hoc eum non poteſtate Imperatoria, ſed didaſcalica, nomine Deorum conſcientias obligando, feciſſe, aliis inconſultis. Quod autem quidam ex Cic. l. 2 de nat. Deorum & l. 2 de leg. velint colligere, bellum inconſultis Pontificibus illicitum fuiſſe, minime probat Noſter, cum loca hæc ad Augures potius ſpectent.

§. 4.

5. Hiſce præmiſſis, cauſas, propter quas Imperatores Pontificis nomen aſſumſerint, facile intelligi poſſe putat, ſcil. 1) quod Pontifex nullius judicio ſubjectus eſſet; 2) quod unus tantum fuerit isque ſummus; 3) quod obſervarit leges, ſique illegitimæ eſſent, interdixerit; 4) Quod dignitatem illam perpetuo retinuerit. Has prærogativas valde conveniſſe Monarchis, & ſine illis Imperatoriam poteſtatem admodum infirmam multisque impedimentis obnoxiam fuiſſe. Obiter hic Autor monet, nomen & dignitatem Imperatoris olim non involviſſe Monarchicam poteſtatem, ſed talem, quæ eſt belli Ducis, ſeu Campi Mareſchalli: poſtea autem hoc nomen commune eſſe deſiiſſe, & Monarchis tributum, non quibuscunque, ſed multorum regnorum Dominis, qualia ſint Ruſſicum, Turcicum, Sinenſe, Indorum. Et quamvis nonnulli Rom. Cæſarum Imperatores dici nollent, ut Tiberius Claudius, apud Sueton. attamen ipſos æque ac alios variis artibus nomen Pontificis, ut ab omni impedimento in abſoluta Monarchia eſſent immunes, ambiviſſe.

6. Eosdem porro obſervat vinculis, quibus Pontifices §. 4 obligatos diximus, minime conſtrictos fuiſſe. Sicut enim prærogativis & immunitatibus illorum in commodum ſuum uſi ſint, ita & obligationibus ſe abſolviſſe, v. g. non licuiſſe iis tanquam Pontificibus exire Italia, licuiſſe tamen ut Imperatoribus. Ex quo liquere fatetur Autor, Pontificatum maximo adjumento fuiſſe Imperatoribus ad ſuſtinendam Monarchiam.

7. Quod alterum prioris

prioris quæſtionis membrum attinet, ſcil. quod Imperatores non ſolum titulum, ſed & ipſum Pontificum officium obierint, Noſter exemplis Gentilium Imperatorum conſtare cenſet ex Suetonio, Plinio, Tacito, ad quos & Boſius provocat. Idem & exemplis §. 8.
Chriſtianorum Imperatorum, gentilis quoque religionis Pontifices ſe appellantium, comprobat ex antiquis lapidibus & Servio Scriptore. Neceſſitate vero quadam ad hoc impulſos fuiſſe Impe- 9.
ratores, ut nimirum tali titulo conſpicui ethnicis poteſtate pollentibus & Magiſtratus gerentibus præpollerent, exemplis pariter declarat. Neque tamen Imperatores Chriſtianos ſacris ethnicorum officiis in fanis eorum functos eſſe, id quod vel Epiſcopi autoritate valentes non permiſiſſent, ſicut Ambroſii, Theodoſium redarguentis, exemplo manifeſtum ſit. Ad objectionem, piacu- 10.
lum videri, quod Imperatores illi aſſumſerint ethnicum Pontificis titulum, reſpondet: Pontificiam illam poteſtatem a Sacerdotali functione diverſiſſimam & mere politicam fuiſſe, & ſpectaſſe tantum leges & ſtatuta, ſintne Deo aut publico commodo adverſa, an minus; ubi allegatur Naemanis exemplum. In altera, quam 11.
Autor examinat, quæſtione primum nomina Epiſcopi & Archierei explanat. Epiſcopatum in ſe nec dignitatem nec poteſtatem, ſed officium ſignificare ait inſpectoris, nempe curatoris cujuscunque rei, profanæ quoque. Ab Apoſtolis autem Eccleſiæ 12.
Paſtoribus olim tributum fuiſſe, Actor. XX & alibi. Sequentibus temporibus, diſcriminis ergo, majoribus Paſtoribus relictum. Ex quo apparere dicit, Epiſcopatum Paſtoribus competere non ſecundum Sacerdotium, ſed debitam inſpectionem & obſervantiam Eccleſiæ. Nomen autem Archierei aſſerit proprie in- 13.
volvere Sacerdotalem functionem, & *Hiereum* quidem Sacerdotem, *Archiereum* vero rectorem Sacerdotum denotare, quæ nomina nullis aliis officiis profanis, ut Epiſcopi nomen, tributa fuerint. Et quamvis omnes fideles Chriſtiani dicantur Sacerdotes 14.
1 Pet. II, 19 &c. attamen minus proprie aut excellenter ita dici; Archierei autem nomen nunquam connotare præeminentiam & poteſtatem prælaticam in alios Sacerdotes, uti nec Pontificis. Hiſce monitis Illuſtriſſimus Autor clarum facit, Principes ſe poſſe 15.
Epiſcopos appellare, ob ſupremam rerum inſpectionem, ſicut

 & olim

& olim Homerus Hectora dixerit Epiſcopum Iliad. l. ult. &
§.16. paſtorem populi l. 1. Specialius vero quæritur, an Chriſtiani Imperatores poſſint dici Epiſcopi? Et reſpondet Noſter, utique dicendos Epiſcopor. Epiſcopos: Imperatorem enim ſimul Autocratorem eſſe & ſupremum ſuorum Inſpectorem & Curatorem. Qua de re provocat ad Sermonem A. 1718 Domin. Palmarum a ſe pro concione habitam. Et ſi quis objiciat, Imperatorem quidem habere poteſtatem Epiſcopi, ſed non dici Epiſcopum, reſpondet, poſſe Imperantem nomen aſſumere, quodcunque ei competat. Qua occaſione fuſius differit de nominibus propriis & communibus dignitatum, & Imperantem obſervat habere poteſtatem in Medicos, Architectos, Geometras, ſed non ſtatim dici Medicum ſui populi vel Architectum formæ Reipublicæ, niſi improprie &
17. in quantum conveniat. Afferuntur quoque in hanc rem exempla clarorum ſcriptorum, quos inter princeps Euſebius Conſtantinum M. in vita ejus L. 1 cap. 44 appellat communem omnium Epiſcopum a Deo conſtitutum, & l. 4 c. 24 Conſtantinum teſtatur ſe ipſum nominare Epiſcopum: *Vos quidem in rebus Eccleſiæ internis Epiſcopi: Ego vero in rebus externis Epiſcopus a Deo conſtitutus*; nempe quia is templis idola ejecerit, ſacrificiis interdixerit, diem Dominicum ſacrum haberi juſſerit. Et hac ratione eum aſſerit Epiſcopum dici, non ob regimen politicum, ſed Eccleſiaſticum, adeoque per res Eccl. externas indigitari ſupremam rerum ſpiritualium curam, regulas, canones, conciliorum convocationem, jurisdictionem & diſciplinam Eccleſiaſticam in Epiſcopos & totum Clericorum populique totius gregem; citatur & Socrates in Præf. l. 5. Per internas autem Eccleſiæ res illum ſignificaſſe viſitationes Eccleſiarum, doctrinam & diſciplinam minorum paſtorum, dijudicationem in Conciliis & explicationes
18. dogmatum. Tametſi & nonnunquam Conſtantinus M. ſibi derogaſſe legatur, v. g. in Epiſt. ad Eccl. Alexand. hoc tamen humilitati ipſius tribuendum, conf. Euſeb. l. 3 de vita ejus c. 17, it. 10,
19. 12 & 22, & l. 1 c. 44. Quamvis vero in ſingulari ſenſu, quo nomen illud quandoque adminiſtrationem muneris Sacerdotalis ſignificet, qualis in V T. ſacrificiorum & in N. T. Sacramentorum ſit, & in ſpecie incruenti ſacrificii, ea tamen minime

ſpectare

Digitized by Google

ſpectare ad ſummum Imperantem, niſi ordinatus fuerit, atque ita hæc neutiquam illi ſecundum poteſtatem Imperatoriam, ſed vi ordinationis, per manuum impoſitionem factæ, competere. Tametſi enim *Melchiſedeci* exemplum produci poſſit, attamen ſemper diſtincta officia fuiſſe, ſacra facere & regnare, & prorſus incongruam Regibus eſſe Sacerdotis functionem. Poſterioris §. 19.
quæſtionis alterum hinc ſolvitur membrum. Nimirum cum quisque Chriſtianus propter ſpirituale Sacerdotium, id eſt, propter quodcunque exemplar verarum virtutum ſit & dicatur Sacerdos, quemvis etiam ſummum Imperantem non ſolum Sacerdotem, ſed & *Supremum ſive Archiereum totius Chriſtianitatis* dicendum exiſtimat. Non obſtare cultum Conſtantini M. in paſchate apud 21.
Euſebium; nec acclamationem Epiſcoporum ad Imper. Marcia- 22.
num in Concilio Chalced. Seſſ. 6 circa fin. neque appellationes 23.
Sacratiſſimi Cod. Juſt. it. *Divi*, Conc. Chalc. Seſſ. 5 § 450, 446, 447, Seſſ. 6 §. 487, Seſſ. 5 circa fin. neque divinarum Epiſtolarum, aliasque, verum hæc omnia metonymice dici, prout v. g. bene- 24.
factor dici poſſet parens; Rex, peſtis tempore ſubditis proſpi- 25.
ciens, Medicus; & quo ſenſu Epiſcopi Marcianum Imperatorem 26.
novum Paulum vel Davidem nominaverint, & ipſi Ruſſi Vladimerum Apoſtolum dicere conſueverint. Tales titulos ergo non 27.
functionem & ipſum munus Sacerdotii ſignificare, ſed ob alias rationes datos fuiſſe. Ita ſummos Imperantes dici Sacerdotes, eo quod ſint inviolabiles, Liv. l. 3 c. 55, Cic. in Catil. 2, & Græcis illos dici Divos, numina, & apud nos Sacratiſſ. Majeſtatem Regiam, & quæ ſunt alia. Atque hic Autor Romanorum Pontificum igno- 28.
rantiam perſtringit, qui neſciverint nimirum veras rationes, propter quas ſacratiſſima Majeſtas Cæſar. Roman. dicta fuerit. Poſtquam enim ſibi aliisque perſuaſerunt, quaſi Imperator conſors eſſet Ordinis Sacerdotalis, membrum & ſocius Cleri, hinc Imperatorem ſubinde auſi ſunt Diaconi voce compellare, quæ res poteſtati ipſorum maximo fuit adjumento, quandoquidem Imperatores ex ſancta ſimplicitate titulum hunc minime repudiarunt: quam in rem affertur exemplum Sigismundi Imper. qui in ipſo Concilio Conſtantienſi A. 1414 feriis Natal. Papæ ſervivit, officio & habitu Diaconi, vid. Edit. Antwerp. Concil. Cariolani circa finem.

finem. Porro Autor de ridiculis immo execrabilibus ceremoniis, in conventu Papæ & Imperatoris, in proceſſionibus eorum, in menſa &c. ſervandis, ex libro ceremoniali nonnulla refert, ubi tamen monet, dignitati Imperatoris parcitum eſſe quodam modo, dum interdictum, ne culinam intret Imperator, quod id digni-tati ejus minus conveniret. Tantum ſcilicet honoris Imperatori
§. 21. relictum. Orientalis quoque & ſpeciatim Byzantinæ Eccleſiæ ceremoniæ leviter attinguntur, ubi ſingulari honori cedere fatetur Imperatori, quod ſecundum Can. Concil. Trullani, ſoli e Secularibus ad altare accedere liceat; quod tamen nullum præbere argumentum poſſit functioni Sacerdotali. Ex Georgii quoq; Codini libro ceremoniali refertur, Imperatoris eſſe, in publicis proceſſionibus præcinere, cum is habendus ſit pro Deputato Eccleſiæ. At nec cantare in publico cœtu, vel hymnos componere, eſſe peculiare Sacerdotis officium, Noſter demonſtrat. Hæc, ut cetera omittamus, paulo fuſius, prout ad nos e Ruſſia e libro Ruſſico idiomate conſignato excerpta pervenerunt, benevolo Lectori invidere noluimus, cum vel hinc patere arbitremur, *non adeo obtuſa geſtare pectora Ruſſos.*

PLENA ET SUCCINCTA INFORMATIO DE Statu totius Controverſiæ, quæ de Autore Libelli de imitatione Chriſti inter Thomæ Kempenſis, Canonici Regularis, & Johannis Gerſenis, Ord. S. Benedicti Abbatis, Patronos jam a centum annis agitatur, ubi ſimul utriusque partis Argumenta juxta leges Artis Criticæ expenduntur, Autore R. D. EUSEBIO AMORT, Eccleſ. Colleg. ad S. Crucem Pollingæ Canonico Regulari, Bibliothecario ac SS. Theologiæ Profeſſ.

Auguſt. Vindel. apud Ant. Bon. Biſſoni, 1725, 8.
Alph. 1.

MOta iterum eſt ſuperiori anno de Libelli de imitatione Chriſti vero Autore controverſia, edito quippe Auguſtæ libro ſub titulo: *Joannis Gerſen de Canabaco, Ordinis S. Benedicti Abbatis Vercellenſis, liber de imitatione Chriſti, ſtudio R. P. Thomæ Erhard*

Digitized by Google

Erbard, Benedictini Weſſofontani, cujus libri Editor inter alias rationes, cur *Thomæ Kempenſi* librum abjudicet, hanc affert in præfatione, quod liber ille MSptus in Bibliotheca Canoniæ Rottenbuchenſis jam Seculo XIV atque adeo ante Thomam Kemp. certo certius exaratus dicatur aſſervari. Huic igitur ſe oppoſuit Noſter, qui non ſolum illius argumenta retundere, ſed & totius controverſiæ ſtatum ac hiſtoriam texere, in animum induxit. In ſeptem itaque partes totam diſtribuit exercitationem. Pars I animadverſiones ſiſtit in præfationem recentiſſimi illius Editoris, qui libros de imitatione Chriſti *Job. Gerſeni* vindicarat. Et quia is tria in præfat. egerat, 1 ut uſum libri doceat, 2 uſum ſuarum concordantiarum commendet, & 3 librum Gerſeni vindicet, Noſter ſingulis momentis quædam opponit. Utilitatem nempe libri nimis evehi dicit, & ab illis, qui Romanæ Eccleſiæ non ſunt p. 3. dediti, non omitti nomen Autoris, quod Editor ille dixerat, oſtendit ex ed. Londinenſi, & Actis noſtris. Alia, quæ in ejus aſſertis caſtigat, tranſire cogimur. Concordantias vero Editoris illius, quibus indicare voluit, libellum illum in locos communes a ſe digeſtum, ut de quavis materia ſtatim in promptu ſint congruæ ſententiæ, ex Elementis Chriſtianæ perfectionis, Dillingæ 1626. editis, confectas, putat. Quoad tertium tandem Præfationis momentum, ſtrictim ad ſingula Adverſarii ſui argumenta re- 15 ſqq. ſpondet. P. II Hiſtoriam controverſiæ hujus ſiſtit. Ubi in fronte 26 ſqq. ſtatim Noſter obſervat, quod libri de imitatione Chriſti nullum MSC. ante Sec. XV exaratum exiſtat, quod quidem notam ætatis adſcriptam gerat; quæ vero e Sec. XV habemus, jam Bernhardi, jam Gerſonis, Cancell. Pariſ. jam hujus Gerſenis, ut plurimum vero Th. Kempenſis nomen præferant. Sed cum Th. Kempenſis, A. 1379 natus, A. 1471 denatus fuerit, mox anno ſequente 1472 docet ſub ejus nomine primam & deinceps CIII alias editiones prodiiſſe; ac tandem A. 1604 dubium moveri incepiſſe, an liber hicce ſit Thomæ noſtri, in libro Hiſpanico: *Appareios para adminiſtrar el Sacramento de la Pœnitentia*, cujus Autor Cajetano eſt Petrus Manriquez, Noſtro autem vel Joſephus Creswellus, Anglus, vel certe Guil. Batteus, Hibernus, quem, ut negaret, libros hoſce de Imit. Chriſti eſſe Thomæ Kempiſii, commovit, quod

quod hi libri a S. Bonaventura diu ante Kempiſii mortem fuerint citati. Roſſignolius vero dein in Collegio Aronenſi invenit MSC. cui nomen Joh. Gerſen fuit inditum; cui ſe Rosweidius 1615 oppoſuit. Sed anno ſequenti 1616 Conſt. Cajetanus librum hunc ſub Joh. Geſſenii nomine edidit, addita Diſſ. contra Rosweidum, qui cum Cajetano 1618 & 1626 ſcriptis certavit. At 1638 Valgravius in nova libri editione non tantum Joh. Geſſenium Abbatem Vercellenſem Autorem dixit, ſed & tres MSS. Codices & ed. Venetam 1501 pro Gerſenio produxit. Contra Fronto 1641 pro Kempiſio militabat. Et, quibus id negotii dederat Card. Richelius, eruditi unanimes cenſebant, Codd. MSS. a Benedictinis oblatos adulterinos eſſe; Sirmondus tamen adhuc alium Cod. MSS. Kempiſio, ut putabat, antiquiorem invenit. Varii deinde eruditorum obſervati ſunt conflictus, donec 1652 Parliamentum Pariſin. Kempiſii partibus accederet. Benedictini interim Codd. MSS. alios conquirunt, & Archiepiſcopo Pariſ. offerunt: eandem quoque induſtriam in colligendis antiquis Codd. MSS. 1681 teſtati ſunt Canonici, Kempiſii patroni. Verum 1687 Critici Pariſ. Codicem MSS. Aronenſem, qui controverſiæ originem dederat, quemque Mabillonius ex Italia attulerat, haud depravatum judicabant. Tandem Richardus Simon 1710 pro Kempiſio interceſſit. Huc adductam controverſiam Autor noſter ita deinceps pertractat, ut P. III ad argumenta, contra Kempiſium adducta,
p. 39 ſqq. reſpondeat, nimirum MSS. Rottenbuchenſe aliaque non eſſe antiquiora Kempiſio: nec ex collationibus S. Bonaventuræ, nec ex verbis Thomæ Aquinatis cum libro de Imitatione Chriſti convenientibus, nec e ſilentio Feſti corporis Chriſti Sec. XIII inſtituti, nec ex Autographo Kempenſis Antwerpienſi, nec e judicio Archi-Epiſcopi Pariſini, nec e nomine Monachi, quod Autor libri de Imitat. Chriſti ſibi tribuit, nec e ſtylo, aliisve in contrarium allatis argumentis, inferri poſſe, hunc librum non eſſe Kempiſii.
123 ſqq. P. IV argumenta contra Joh. Gerſenium pugnantia expendit, e.g. Germaniſmos librorum de Imitatione Chriſti, qui Germanum Autorem probant: & mentionem initiorum congregationis Windshemenſis, quæ tempore Kempenſis demum cœpit. P. V
167 ſqq. argumenta, quæ pro Joh. Gerſen pugnare videntur, ex autoritatibus

tibus & MSS. doctorumque Virorum teſtimoniis petita, contulit. P. VI autem argumenta, quibus Noſter conjecturam facit, genuinum Autorem eſſe Thomam Kempenſem, ſplendide in ſcenam producit: nempe teſtimonia XII Virorum celebrium, tempore Kempiſii viventium; MSS. Codd. XXX, Thomam pro Autore agnoſcentes: editiones CIII usque ad annum 1616; ſtylum ſingularem, & Autores CLXXX, qui pro Thoma Kempenſi decernunt, Pars tandem VII documenta exhibet, e quibus argumenta pro Thoma Kempenſi deſumta ſunt, videlicet duo teſtimonia Gaſp. Zeilleri de Codd. Auguſtanis, teſtimonium Notarii de Cod. Lovanienſi, Inſtrumentum Pariſinum 1671, Naudæi teſtimonium, ſententiam Pariſ. 1652, Launoji teſtimonium, & denique exemplar Cod. Polingani.

p. 187 ſqq.

232 ſqq.

D. ERNESTI JOACHIMI WESTPHAL DE Fatis atque uſu ſtudii Juris Feudalis in Germania Meditatio pragmatica.

Wiſmariæ & Sundii, imp. Sam. Gottlieb Lochmanni, 1725, 4. Plag. 9.

CUm ante biennium Conſultiſſ. Autor, inſtituta cum illuſtri quodam Saxoniæ noſtro JCto per literarium commercium Diſquiſitione, ſuper natura feudorum provincialium in Ducatu Megapolitano, vel maxime Doctorum in Jure clientelari provinciarum Germaniæ altum ſilentium, tum & diſſenſus ac perturbationes in Jure Feudali Longobardico applicando animadverteret, excutienda duxit fata ſtudii Juris Feudalis apud Germanos, fatorumque rationes accuratius inſpiciendas eſſe, quo ex iis pariter, atque ex hiſtoria Feudali Germaniæ, plenius de Jurisprudentiæ Feudalis tantis difficultatibus, diſcriminibus, dubitationibus involutæ, ac pejus habitæ cauſis conſtare poſſet. Quandoquidem vero plerique Germaniæ JCti eo peccant, quod vel jura Longobardica ſolum curent, atque de iis in uſum deducendis contendant, vel ea Juri Feudali Germanico admiſceant, deque diverſis adeo juribus in unum cogendis laborent, eam Noſter imprimis operam dedit, ut originem *feudorum Imperii*, der Reichs-Lehen, & *feudorum provincialium Germaniæ*, der Landſäßi-

gen Lehen, ex idoneis genuiniſque monumentis eruendo, veram Juris Germanici Feudalis indolem, ſimul & autoritatem uſumque practicum Juris communis Longobardici in foris Germanorum ſolertius declararet. Quocirca duplex utiliſſimi hujus opuſculi argumentum, nempe unum, *de ſtudii Juris Feudalis fatis, utilitate, neceſſitate atque pragmatico uſu*, alterum, *de Feudorum atque Juris Feudalis in Imperio Germanico, ejusdemque provinciis, hiſtoria*. Quodſi ſtudii iſtius fata ſint altius repetenda, Noſter obſervat olim Juris Feudalis tractationem valde infrequentem in Germania fuiſſe, ac Seculis XIII & XIV eam vel in Jure Canonico appendicis loco perfunctorie ſuſceptam, vel ad argumentum juris emphytevtici rejectam, & Codicis Libro quarto velut adglutinatam eſſe, ſolumque lectionibus nundinalibus & ſabbathinis, ut horis ſubciſivis ac feriatis temporibus, juris clientelaris doctrinas, velut minoris momenti res, explicari conſueviſſe, maxime Seculo XV. Poſthac felix illa ceteroquin JCtorum humaniorum ætas parum lucis attulit ad Jus Feudale in Imperio & provinciis Germaniæ, quippe quod domeſticum, a Germanis populis dictum ſcriptumque, non niſi inepte ad juris Longobardici rationes revocari potuit. Ac recentius ævum quoque corruptam omnino & confuſam juris beneficiarii doctrinam tulit: ubi Noſter tum alios juris Longobardici autores, tum imprimis *Henricum a Roſenthal* vehementer reprehendit, quod hic in ſpiſſo libro, nec niſi per modeſtiam *Epitomes* nomine inſignito, omnia illa, quæ juris Longobardici plaſtes & compilator inſtar imperiti figuli in unum chaos retulit coegitque, ſine ulla cura patriæ & Reipubl. in qua ſcripſit, debita, ſine ullo temporum, rerumpublicarum, finium atque judiciorum diſcrimine applicare ſtuduerit ſategeritque ad curias Germaniæ feudales, quæ innumeris quidem paraſangis diſtent a foris Longobardorum. Sed quæ fatorum talium cauſæ? Primum quidem infrequens in Germania Juris Feudalis tractatio non certe doctoribus, ſed indoli Germaniæ, juriumque atque feudorum naturæ imputari debet. Quid enim opus fuerit peculiari ſtudio, cum vel nulla, vel rariora medio ævo exiſterent feuda provincialia, eodem, quo hodie, oblationis vel dationis vinculo cohærentia, cum ea prorſus eſſet veteris Germaniæ facies, quæ hodienum eſt

eſt apud Friſios, Holſatos, Polonos, ut nobiles milites haberentur, non Vaſalli, ſed ſubditi? Dolendum, hic deficere omnino JCtorum in origine feudorum atque Juris Feudalis in Imperio & provinciis Germaniæ, ſeorſim, in ſingulis regionibus & principatibus, inveſtiganda ſummopere neceſſariam induſtriam, omnibus primos ac generaliores feudorum natales inquirentibus, qui eos nunc Romanis, nunc Longobardis, nunc Gallis, nunc Gothis & Saxonibus, nunc populis Septentrionalibus, nunc omnibus gentibus, nunc univerſis Germanis, nunc demum exordio mundi atque Iſraelitis adſcribunt. Quapropter non pigebit, quæ Noſter erectiori velut ingenio affert, recitare. Propior ſcilicet origo referenda eſt ad Germanos, & ſpeciatim ad Francos, qui poſtquam fixas in occupatis a ſe provinciis conſtituiſſent ſedes, militem ſuum prædiis datis ad ulteriora ſervitia, & ſub egregia beneficii ſpecie, impoſito licet ſervitutis jugo, excitare noverunt. A Francis hæc inſtituta non Longobardi ſolum & Gothi, ſed & reliquæ gentes acceperunt. In vetuſtiſſima, quam *Tacitus* deſcribit, Germania ecquis feuda credat fuiſſe, cum nec ante Seculum V fixa Germanis poſſeſſio contigerit? Verum in Germania demum ævo Franco-Carolingico feudalis indoles, eaque a transalpina illa longe diverſa, innotuit. Nam ibi nexum beneficiarium in fidelibus & curiæ adminiſtris Regum Francorum & Carolingicorum animadvertimus. Iis in beneficia conceſſa erant terræ fiſci regii, eaque feuda, ut provincialia, quæ tum *bona fiſci, fiſcalina*, ſive *bona de munere regio* dicebantur, habenda ſunt pro *curialibus, officialibus, palatinis*, ſive *miniſterialibus*. Feuda vero principatuum Germaniæ illis temporibus fuerunt *feuda Cameralia Imperii Francici*, *Cæſarea beneficia*, perſonalia atque revocabilia, idque jure belli & victoriæ, qua Carolus M. devicit ſingulos Germaniæ principes ac populos. At jam princeps eſt quæſtio, *de origine feudorum in provinciis & ſyſtemate Imperii Germanici*, quod cum extincta ſtirpe Carolingica ſub Conrado I & Henrico Aucupe coaluerit, ſola ex Germaniæ provinciis Vandalia, ſeu Slavia cum Borealis, tum Orientalis, Megapolis & Bohemia ſuæ poteſtatis diutius eſſe maluerunt, ac Megapolitani quidem demum Seculo XIV nexum Imperii in Germania plenum agnoverunt,

verunt, ſed nec abdicatis juribus territorialibus, Ducatu in feudum Carolo IV Imp. oblato, Cæſari quid dedere præter nexum clientelarem. Nunc, ſiquidem *in Imperio Germaniæ feuda vel ſunt Principatus, ſive Imperii, vel provincialia, Landſaſſiaca, ſive mediata*, apparet, *feuda Imperii Germanici* orta eſſe Seculo X, quo Principes Germaniæ, jure clientelari quodam Imperio Conradi, Henrici & Ottonum fidem dederunt, ſuosque Ducatus ac Provincias, ſalvo jure territoriali proprioque dominio, in clientelam obtulerunt. Unde ea feuda *proprietatis feuda*, non *adminiſtratoria* & *cameralia*, ſed *recognita atque oblata*, quorum liberior indoles a beneficiorum Longobardorum natura longe recedit, quamvis Imperatores ſeculis ſequentibus, & maxime Fridericus I, moribus Germanorum clientelaribus neglectis, formulam Imperii Carolingici & conſuetudines juris feudalis Longobardici induxerint. Ad *feuda Germaniæ provincialia* quod attinet, hæc ante Sec. XII ea forma, qua hodie conſtant, incognita. Prædia militibus nobilibus ac miniſterialibus in præmium a Principibus conceſſa, nec Vaſalliticum nexum conſtituere. Habuerunt Principes in territoriis tantum ſubditos, cives, atque milites nobiles, qui vel beneficio eorum prædia donationis titulo acquiſiverunt, vel adminiſtratorio nomine iisdem præfuerunt, vel allodialium præcipue fuerunt poſſeſſores. Inde, ex ſubjectionis vinculi præ vaſallagio vetuſtate, firmiſſimum Axioma: *Vaſallum ſimul eſſe ſubditum*, præcipue in territoriis clauſis, ubi plenarius obtinet Landſaſſiatus. Diutius igitur iſte rerum ſtatus in Germania fuit, usque dum ſub Fridericis ac Interregno, in iſtis bellorum ac diffidationum periculis, & creſcente procerum potentia nobiles e re putarunt eſſe, ut in bonis allodialibus vinculum clientelare Landſaſſiacum & Vaſalliticum reciperent. Longe diverſa fuit feudorum provincialium ratio, quorum *alia feudi dati*, *alia oblati* indolem habuerunt. Quamvis enim allodialia bona in feuda recognita ſubinde permultis variisque cauſis commutata deprehendantur, non tamen regulam exin licet conſtituere, nec tanta eſt, ac vulgo habetur, pro allodialibus prædiis in feudum oblatis præſumtio, quæ quidem ſtat pro feudis Imperii, non item pro feudis nobilium provincialibus, in clauſis præcipue territoriis, in

quibus

Digitized by Google

quibus territoriales domini ſubditis nobilibus indulſiſſe noſcuntur prædia ſub nexu vaſallitiçæ fidelitatis. Hæc hactenus de feudorum in Germania & ſpeciatim in Imperio noſtro origine, ad declarandam infrequentis Jureconſultorum veterum in Jure Feudali tractando induſtriæ cauſam. Scilicet ante Friderici I tempora feuda rariora fuiſſe vidimus, quo & ipſo ævo *feudi* nomen in Germania demum uſurpari cœpit. Sed ad excuſandos Jureconſultos, qui non niſi in locis fugitivis & in transcurſu docendum putarunt jus clientelare, Noſter cognitionis hiſtoriæ Imperii atque provincialis defectum adducit. Nam ab his præſidiis ac fontibus Juris Feudalis in Germania deſtituti ecquid luculenti tradere potuerunt? maxime, cum & Juris Feudalis Longobardici nomen ac uſus in Germaniam nondum penetraſſet, quo quidem JCti ſub Friderico II privato arbitrio cœperunt abuti, quippe publica receptio demum Sec. XV in Camera Imperiali facta. Porro, quod Humaniſtarum ævum ſtudio Juris Feudalis minus auſpicatum fuerit, tum ipſi iſtius ævi Critici genio, ad Jurium Germanicorum monumenta præ Romanis antiquitatibus atque literis elegantioribus nauſeanti, ac, uti omnia negotia humana, ita & lites clientelares ex juris Romani Pandectis, ſpeciatim ex titulis *de uſufructu*, *emphyteuſi*, *locato conducto* & ceteris horum argumentorum vicinis, definire cupienti, tum id juris Romani tanquam præſtantiſſimi & univerſalis prærogativæ adſcribendum eſt. Denique inconcinna Juris peregrini cum Jure Germanico confuſio non ſoli Jurisprudentiæ Feudali, ſed etiam Civili, ex pruritu JCtorum ac perverſis ſtudiis, evenit. At vero quam indigne actum de vaſallis cum Imperii, tum provinciarum, alligatis ad regulas Jurisprudentiæ Longobardicæ, naturam feudorum recognitorum penitus ignorantis! Hinc ordinum provincialium apud Saxones, Sileſios & Megapolitanos ſuper illa doctrina & judicandi ratione graves querelæ, actorum ad collegia Academica transmiſſionem in cauſis clientelaribus propterea recuſantium. Quo manifeſtius vero ſingulæ Juris Feudalis olim negligentius habiti, ac perturbate expoſiti rationes noſtra ætate ceſſant, quo etiam in tanta prædiorum feudalium multitudine, quæ univerſam fere Germaniam beneficiariam & *Regnum clientelare* facit,

evidentior eſt hujus jurisprudentiæ neceſſitas: quo & certius de ejus utilitate ex argumentis momentoſis & quæſtuoſis in foro conſtat, eo limatior ipſi cultura hodie impendenda, atque imprimis in rationes Juris Longobardici ac Germanici inquirendum eſt, quo genuinus Jurisprudentiæ Feudalis uſus, cujus de ambiguitate ac perturbata forma vulgo querelas jactant, rectius intelligatur. Juris vero Longobardici uſus in foris feudalibus Germaniæ ex hiſtoria receptionis eſt definiendus, atque ea ipſa ut clarior & diſtinctior evadat, primo inveſtigari debet origo Juris Feudalis Germanici. Hoc agendo nobis obveniunt Franci, tanquam primi autores feudorum; Reges Francorum, ceu primi Juris Feudalis Germanici conditores, quorum capitularibus & conſtitutionibus de beneficiis novas leges addiderunt Imperatores Conradus II, Henricus III, Lotharius III, Fridericus I, cujus ætate privatus Autor Jus Feudale Germanicum compendiaria methodo collegit. Inde Jus Feudale Germaniæ Saxonicum, mox & in Suevia Alemannicum prodiit. Et Seculo XII præcipue ac ſequentibus Principes in Germania in cauſis feudalibus uti cœperunt collectis regionum propriis obſervantiis & conſuetudinibus: unde in feudalibus æque ac in civilibus promulgatæ ordinationes provinciales. Verum non niſi Melibœus neſcit, pleraſque e primis Juris Feudalis Germanici legibus obliteratas atque mutatas eſſe recentioribus, & Jus Saxonicum commune apud Saxones uſum obtinere, in quantum ei Jure Electorali, aut juribus Saxoniæ ſpecialibus non ſit derogatum, hinc in ſingulis provinciis cognitione particularium ordinationum feudalium opus eſſe. Deinde excutienda eſt origo & hiſtoria Juris Feudalis Longobardici, cum ſub Regibus Italorum, tum ſub Imperatoribus Germanorum. Ex hac manifeſtum fiet, in Germania hoc jus vim atque autoritatem ſortitum eſſe non niſi ex receptione, eaque tum privata, ſive ſcholaſtica, tum publica, ſive curiali. Illa facta eſt a JCtis Sec. XII ſub Lothario & Fridericis, unde vulgaris ea ætate formula: nach Lehn-Recht, cujus receptionis occaſiones notiſſimæ, puta Italicæ Academiæ a Germanis frequentatæ, & deinceps facta in Germaniæ ſcholas Doctorum Romanorum translatio, indeque conſecuta Doctorum Romanizantium apud Germanos autoritas.

Publice,

Publice, Principibus non contradicentibus, in Camera Imperiali A. 1495 demum facta eſt Juris Longobardici receptio, & a fine Seculi XV ſubinde in legibus fit mentio Juris Feudalis Longobardici ſub nomine *Juris communis*. Sed facta eſt receptio ſalvis moribus feudalibus Germanorum, in Camera univerſim, non ſigillatim in ſingulis provinciis, in quibus uſum Juris Longobardici pedetentim Principes ipſi determinarunt, vel tacita, vel, quæ tamen rarior eſt, expreſſa receptione, iterum ſalvis moribus domeſticis, ſalva indole cujuscunque provinciæ. Ex his jam patet, *indolem receptionis* non eſſe excluſivam, aut correctoriam, aut quæ deroget legibus primariis ac vetuſtioribus, ſed eſſe *ſuppletoriam* legum Germanicarum ac *ſubſidiariam*, quæ Juri Feudali patrio tribuit prærogativam atque jura natalitia prioritatis; unde ſtatim concidit valor communium circa Juris Longobardici receptionem, interpretationem & probationem brocardicorum. Pariter quoque de uſu ejusdem juris in foris Germaniæ rectum formare licebit judicium, ſcilicet primo ei locum eſſe, deficientibus conſuetudinibus provincialibus in argumentis, quæ jure patrio deciſa non ſunt, deinde in illis capitibus, quæ Reip. Germ. indoli non repugnant: ſummatim, uſum juris hujus *proportionatum* eſſe in cauſis *civium*, ſeu privatorum; *certum* eſſe ex receptione, deficientibus patriæ inſtitutis; *curatum* eſſe ac *rationabilem*, qui ſub dictis conditionibus ſaltem in illis verſatur argumentis, quæ moribus genioque Germanorum appoſite congruunt. Denique apparet, non dari Juris Feudalis Longobardici intra judicia Germanorum uſum, in cauſis Principum atque Imperii feudis, quippe ab indole juris communis conſuetudinarii longe diverſiſſimis, deinde in feudis provinciarum recognitis, ut & in cauſis feudalibus privatorum, jure patrio ac provinciali deciſis; imo deficientibus licet domeſticis legibus, uſum Juris Longobardici exulare in caſibus, quibus repugnat rationi atque indoli provinciarum Germaniæ. Vitandus itaque eſt in his peregrini juris abuſus, & in controverſiis feudalibus ſolicite tenendus eſt ordo eas judicandi, foris Germaniæ proprius, ita, ut primum reſpiciatur ad pacta inveſtituræ, deinde ad jura gentilitia, jura provincialia, conſuetudines Germaniæ, rationes jurium morum-

morumque feudalium, & demum ad jura Longobardica deveniatur. Dedit Noſter de ſelectis auxiliis in jure clientelari doctas meditationes in *transactione de adjumentis & ſelectis mediis Jurisprudentiæ Feudalis in Imperio atque provinciis Germaniæ, ſigillatim in Ducatu Meklenburgico.* Ceterum, cum Juris Feudalis Longobardici in Germania receptionem, ut ſupra diximus, ad Seculum XV retulerit, eamque hypotheſin tum ab aliis diſſentientibus, tum in ſpecie a *Cl. Philippi Balth. Gerdeſii, Profeſſoris Gryphiswaldenſis*, dubiis in Diſſertatione, *de norma judicandi leges feudales in Germania*, motis vindicaverit, minatus eſt nuper Cl. Gerdeſius ſuæ, de Jure Longobardico jam Seculo XII in Germania recepto, ſententiæ defenſionem propediem emittendam. Nos non ſine jucunditate hanc pragmaticam meditationem perluſtraſſe, longior ejus recenſio loquitur: ſed & aliam Viri Conſultiſſimi *de distincta practica ratione in Jure privato Romano-Germanico* commentationem, ſuperiori anno lectionibus Juridicis ac Hiſtoricis in Lyceo Ducali Roſtochienſi præmiſſam, non poſſumus non publice commendare, in qua de corruptæ jurisprudentiæ privatæ, qualis hodie eſt, facie, cauſis, ac ſpeciatim de jurium diverſorum imprudenti commixtione diſſerit, quorum malorum hiſtoriam ab origine ad noſtra tempora deducendo, de remediis deliberationem inſtituit, atque doctrinam jurium diſtinctim in Academiis peragendam commendat, tum ejus ſubſidia tam præparatoria, quam propria ſuggerit, & quæ ad genuinam intelligendi, interpretandi & applicandi Juris Romani atque Germanici rationem perducant, ſigillatim explicat, ut iſta proluſio Academica egregium inter ſcripta de juris vel docendi, vel diſcendi methodo locum tueatur.

GEORGII ANDREÆ VINHOLDI NUCLEUS Juris Naturæ, in quo hujus Juris præcipua ex dignitate hominis naturali nova & hactenus nunquam viſa hypotheſi per nexum demonſtrativum deducuntur & explicantur.

Lipſiæ, ſumptibus Heredum Friderici Lanckiſii, 1725, 8. Alph. 1 pl. 5.

Non

NOn prætereundum nobis fuit novum hoc Juris Naturæ Compendium, cujus, ut promiſſi, mentionem fecimus in Actis noſtris Anno ſuperiori p. 326, ubi Cl. Autoris *Notitiam Autorum Juris Naturæ* recenſuimus. Quamvis autem noſtra ætate deferbuerit jam illa de lege fundamentali, ſive principio unico, univerſali, adæquato & domeſtico juris naturalis diſciplinæ conſtituendo virorum ſubtiliora meditantium contentio, quamvis etiam haud difficulter hodie plerique admittant, parum referre, nec niſi methodi intereſſe, quanam ex propoſitione fundamentali, itemque utrum ex una, an e pluribus officia hominis deriventur, cum principium diſciplinæ proprium doctrinæ cauſa tantum adſciſcatur: bonum tamen & ſua laude dignum videtur conſilium, quo clarius aliquod magisque ſufficiens & commodum præ ceteris, ſi non omnibus, certe multis hactenus jactatis, principium naturalium præceptorum quæritur. Hanc operam dum & Noſter dedit, *naturalem hominis dignitatem* obſervavit primo ſtatim intuitu & vel perfunctoria humanæ naturæ contemplatione, maximam ac præcipuam partem officiorum juris naturæ ſuggerere, id quod ipſum ad intenſiorem meditationem erexit, qua inſtituta, non ſine ſucceſſu totius diſciplinæ ex iſto Principio deducendæ periculum fecit. Cum vero perpetua demonſtratione uti voluerit, neceſſario ipſi in *prima* libri parte *de principiis Juris naturæ* agendum fuit, ubi præcipuo loco genuinam *dignitatis humanæ naturalis* indolem repræſentat. Ac eam quidem ex utriusque, qua homines ſumus, partis conſtitutione, dotibus, facultatibus, mentis inprimis, atque ex intellectus & voluntatis viribus, inclinationibus virtutibusque, ſingula bona, quæ hominem eximium animans faciunt, ſigillatim expendendo, latius deducit & commonſtrat, quæ ſit *illa perſona, quam nobis ab ipſa natura impoſitam* Cicero dicit, *magna cum excellentia præſtantiaque animantium reliquorum.* Neque tamen contentus eam hominis naturalem dignationem velut depinxiſſe, eandem etiam vindicare ſtudet ab illis, qui vel omnem hominum præſtantiam ad virtutem, doctrinam, ad bene geſta, nullam ad naturam referunt, vel qui naturalem hominis miſeriam, infirmitatem, intellectum corruptum, inclinationes perverſas, ipſamque peccati originis labem objiciunt, indeque omnem hominum prærogativam emendationi &

Hhh cultu-

culturæ unice adſcribendam volunt. Hæc *primo capite;* cui aptiſſime ſubjungitur *alterum, de indole actionum humanarum,* i. e. *moralium:* nam vel his quanta mortalium eminentia inſit, nemo ignorat, qui ſe ipſum noverit. Sed *tertio* Noſter de principio juris naturæ noviter a ſe propoſito ſtabiliendo probandoque laborat, ac voluntatem Divinam quidem cauſam juris nat. primam, & principium commune doctrinæ moralis agnoſcit, ſed proprium hujus diſciplinæ fundamentum in ipſa natura humana collocandum, oſtendit; & cum naturæ conceptus hoc loco dubius paulumque obſcurior videatur, declarandi gratia dignitatem naturæ ponendam exiſtimat, eoque luculentius adhuc & propius juris natura noti principium evadere. Haud poſtremum ſententiæ ſuæ argumentum in vita & conſuetudine hominum communi obvenire autumat: nam quotidie homines, dum de injuriis, de contemtu ſui, de inique factis conqueruntur, nomen *hominis* citantes, *ſeque æque homines* eſſe, monentes, hoc ipſo vero ad dignitatem ſuam naturalem provocantes, exaudiri, & dum alicui negotio fidem interponunt, Germanos inprimis ad exiſtimationem ſimplicem naturæ reſpicere vulgari formula ſtipulationis: **Ein Wort, ein Mann:** deinde ipſum *nomen juris naturæ* dignitatem illam naturæ inſinuare, eandemque ut proprium ſuæ diſciplinæ principium depoſcere, monet, &, Deum quoque, pœnam homicidii conſtituendo, ejus rationem ad *imaginem Dei, quam homo gerat*, i. e. ad dignitatem ipſi concreatam, manifeſto referre. Ad hanc naturalem hominum dignitatem & JCtum mentem intendiſſe, quando *Florentinus in l. 3 ff. de J. & J.* ait: *cum inter nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe*: cognationem enim illam in dignitate hominum æquali conſiſtere. Cum itaque præſtantia naturæ hominum æqualis a Deo ſit, poſitionem ac legem ſummam, quæ ex ea conficiatur, omnino obligatoriam eſſe. Hanc talem effert: *Homo dignitate naturali præ brutis excellit*: indeque pleniorem propoſitionem practicam format hanc: *Talem te gere adverſus Deum, te ipſum, alioſque, tum extra civitatem, tum intra eandem, tum inter gentes, ut hominis dignitas naturalis, & inde deducta pietas, honeſtas, juſtitia, æquitas, decorumque requirit.* Huic principio nullum deeſſe ex iis requiſitis, quæ in propo-

propoſitione juris naturæ fundamentali exiguntur, in ſequentibus adſtruit, illudque adæquatum unum, verum, clarum, proprium eſſe, Deo, tum & homini optime convenire, non aliunde, quam ex ipſa natura humana, demonſtratione egere, internam obligationem inculcare, non ab utilitate externa juris menſuram arceſſere, ac demum immutabilitatem legis naturæ optime teſtari, multis oſtendit. Jam, antequam ad ſpecialem tractationem deſcendat, *ſtatum hominis moraliter conſiderati*, tum naturalem, tum adventitium exponit, ejusque conditiones ex principio hactenus ſtabilito definit. Ipſa tractatio *quinque ſectionibus* abſolvitur, quarum *prima* eſt *de religione naturali*, & c. 1 *de exiſtentia Dei*, c. 2 *de notitia Dei naturali*, c. 3 *de cultu Dei naturali*, tradit. *Altera Sectio* complectitur *officia abſoluta*, cujus c. 1 *de ſtatu hominis ſolitario*, c. 2 *de æqualitate hominum naturali*, c. 3 *de libertate hominis naturali*, c. 5 *de conſervatione ſui*, c. 6 *de defenſione ſui*, c. 7 *de cultura ſui*, c. 8 *de rerum dominio*, c. 9 *de benevolentia hominis naturali*, c. 10 *de reſtitutione alieni*, c. 11 *de reparatione damni dati*. *Tertia Sectio* explicat *officia hypothetica tam extra, quam intra civitatem*, inde c. 1 *de jure & virtute ſermonis*, c. 2 *de jurejurando*, c. 3 *de interpretatione juris*, c. 4 *de promiſſis*, c. 5 *de pactis*, c. 6 *de pretio rerum*, c. 7 *de contractibus*, c. 8 *de ſocietate conjugali*, c. 9 *de ſocietate paterna*, c. 10 *de ſocietate herili*, c. 11 *de familia*. Succedunt *in Sectione quarta officia hypothetica in civitate*, hinc c. 1 *de origine & acquiſitione imperii*, c. 2 *de poteſtate imperii*, c. 3 *de officio imperantium*, c. 4 *de ſubjectione & officio civium*, c. 5 *de renaſcente civium libertate*, c. 6 *de collegiis*. Denique proponitur jus naturæ *inter gentes*, *Sectione quinta*, ubi c. 1 *de officiis gentium abſolutis*, c. 2 *de officiis gentium relativis*, c. 3 *de legatis*, c. 4 *de fœderibus*, c. 5 *de jure belli*, c. 6 *de jure victoriæ*, c. 7 *de jure pacis*, c. 8 *de jure ſepulturæ*. In Appendice *juris naturæ cognata*, quæ & ſubinde ab hujus diſciplinæ autoribus ipſi juri naturæ admiſceri ſolent, puta, *licitum*, h. e. imperfecte & politice tale, *æquum*, *honeſtum*, *decorum* diſtinctis capitibus explicantur, in quantum affinitatem aliquam cum jure habent. Sed quomodo in his omnibus ac ſingulis demonſtrandis, explicandis ſe geſſit Noſter? Hoc affirmamus, ipſum non eorum juris naturæ autorum morem ſe-

cutum eſſe, qui initio ſingulare aliquod & perfectum principium crepant, poſt in ipſa tractatione inter ſcribendum ejus obliti penitus videntur, ut promiſſam ex unica propoſitione omnium capitum demonſtrationem nuspiam poſſis offendere. Ceterum ſpecialiores concluſiones in hoc compendio multo plures, quam in plerisque juris naturæ longe amplioribus libris animadvertimus. Et quis laudem deneget induſtriæ, in evolvendis, conferendis, conciliandis tot autoribus collocatæ, e quibus optima eligere ac ſuæ hypotheſi accommodare, eoque ſua facere, quo pleniorem daret Juris naturæ doctrinam, Vir Cl. non dubitavit? Equidem nonnulla paſſim inſerta magis ad reliquam doctrinam moralem, quam ad jus naturæ ſpectare multis videbuntur, ſed ea, ut in ſe pulchra, ita commodo quidem loco, ſed & a præſenti diſciplina curate diſtincta, proponuntur, ut inconcinnæ diſciplinarum confuſionis Noſter minime culpari queat.

AMOENITATES LITTERARIÆ, QUIBUS variæ Obſervationes, ſcripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus II.

Francof. & Lipſiæ, apud Dan. Bartholomæi, 1725, 8.

Plag. 19.

QUam laudem Cl. *Schelhornius* meruerit, cum has Amœnitates & obſervationes litterarias evulgat, diximus, ubi primam earundem partem recenſemus. Eam ſibi egregie adauget, dum ſecundam hanc partem cum rei litterariæ amatoribus communicat: & augebit in poſterum magis ac magis, quando plures partes luci dabit. Quod quidem certo ſperare poſſumus; cum jam tertia & quarta pars, ut cognovimus, prelum exerceat, & ſtudium ejus tot eximios fautores repererit, qui benevole theſauros ſuos, rariora opuſcula aut anecdota uſibus Cl. Autoris conceſſerunt. Ea, quam nunc verſamus, pars incipit cum *Diſſertatione de libris rarioribus & variis raritatis eorum cauſſis*; in qua Cl. Wendleri maxime veſtigia premit. Enumerat inter hujus generis libros *primo* loco *Libros ſub ipſis Typographiæ primordiis excuſos*, quales ſunt præcipue non typis ſingularibus impreſſi, ſed litteris in tabulis buxeis inſculptis excuſi. *Deinde* fere eodem

loco habendi ſunt *Libri paulo poſt typographiam inventam impreſſi* per Juſtum & Schœfferum, Conradum Sweynheim & Arnoldum Pannarz, Joannem & Vindelinum de Spira, aliaque hujusmodi nomina. Recenſet in his Cl. Autor aliquot editiones Autorum Claſſicorum, Sæculo XV impreſſorum; easque magni faciendas eſſe, recte judicat. Habemus & nos, quibus judicium ejus ſatis confirmare poſſumus. Inſpeximus nuper apud Virum doctum, qui has delicias non vulgariter æſtimat, Catulli, Tibulli, Propertii & Statii Silvarum editionem Venetam Anni 1475, & certiſſimis indiciis deprehendimus, vere Cl. Brouckhuſium eam optimis MSS. æquiparaſſe. Vidimus ibidem editionem Lucani Lovanienſem, per Joannem Veldener non diu poſt annum 1470 (nam anni indicium non additur) impreſſam, & tanta quidem cura atque diligentia, etſi litteris rudiuſculis, ut accuratiorem ullam Sæculo XV prodiiſſe, vix credamus. Poſſidet idem ille editionem Epiſtolarum Senecæ perveterem, ſi non principem, quæ & eo nomine MSS. anteferri poſſet, quod integras περιοχὰς, oppido elegantes, habet, quæ in nullis editionibus occurrunt, a nemine etiam eorum, qui MSS. tractarunt, indicatæ ſunt. Sed & Paullina noſtra habet bene multos libros, qui Cl. Schelhornii & doctiſſimi cujusque opinionem veriſſimam eſſe demonſtrant. Atque hæc hactenus. *Porro* de libris a celebrioribus Sæculi XVI Typographis exſcriptis erudita quædam & jucunda annotat. *Mox* de Libris *publica autoritate ſuppreſſis* agit, eorumque aliquot enumerat, quæ aut propter rationem Status, aut propter religionis periculum uſui publico ſubducti ſunt. Sequuntur Libri *a privatis;* item *ab ipſis auctoribus vel editoribus ſuppreſſi. Poſtea* agit de his, *quorum pauca exempla ſunt impreſſa;* nec non, *quos adverſa fata ſuſtulerunt;* aut *quorum plurima exempla in regiones exteras avehuntur;* tum de libris *minutioribus* & *apud exteros excuſis*, de libris *neglectis*, & *præſtantioribus incorruptisque quibusdam editionibus:* quibus denique per ſaturam alias quasdam raritatis cauſſas adjecit. Hæc a pag. 321, ad pag 436. Excipit eruditam illam diſſertationem Ἐπιτάφιος *Joanni Borcholdo JC. Cl. perſcriptus ab Joanne Caſelio*, atque olim Helmſtadii Anno 1594 ab Jacobo Lucio excuſus. Hunc III ſubſequitur *Irenæi Bibliophili Obſervatio*, qua *Præfationem*, quam V. C. Chriſt. Aug. *Heumannus Sympoſio Lactantii*, a ſe edito, præmiſit,

in nonnullis locis illuſtrat, in admodum paucis emendat. IV apparent *Epiſtolæ quædam & Epigrammata inedita*, deſcripta ex volumine quodam MS. Rever. Chriſtiani Ehrhardti, unde jam Parte I pag. 296 quædam communicavit. Prima & ſecunda Epiſtola eſt Joannis Bohemi Aubani ad Wolffgangum Rychardum; tertia Jacobi Locheri Philomuſi ad eundem; quarta hujus ad Chriſtophorum Hegendorſinum. Epigrammata de Leone Papa & Divo Luthero agunt. V eſt *Obſervatio de libro Henr. Corn. Agrippæ de Incertitudine & vanitate omnium ſcientiarum & artium*, qua potiſſimum fraudes & latrocinia, quibus editores Lugdunenſes in librum iſtum graſſati ſunt, deteguntur, atque adeo opus integritati ſuæ reſtituitur. VI locum habet *Eliæ Ehingeri de fidelitate ſervanda in Autoribus citandis Diſſertatio nunc primum e ſchedis ejus edita*, quam Rev. Jacobus Brukerus, Scholæ Kaufbyrenſis Rector, Ehingerianarum ſchedarum poſſeſſor, cum Cl. Schelhornio communicavit. Jucundiſſima illa diſſertatione tam Gratiani, Bellarmini, Carranzæ, Stapletoni, quam Gerhardi, Thummii aliorumque in citandis aliorum verbis errores commiſſi demonſtrantur. VII & ultimo loco leguntur *Analecta de vita, fatis, moribus, & ſcriptis Henr. Corn. Agrippæ ab Nettesheim*, quibus Agrippæ patria, πολυμαθεία, ſtudium Alchemiæ, varia fortuna, cum Monachis bella, magicæ præſtigiæ fabulis celebratæ, mores inconſtantes nec incorruptiſſimi, ſcripta promiſſa & inedita, elogia denique ex probatis auctoribus proferuntur. Omnia hæc erudite, pro more ſuo, tractat Cl. Autor, & doctis adnotationibus illuſtrat, quæ & ipſæ rei litterariæ non vano adjumento eſſe poſſunt. Additur Index rerum duobus hiſce Tomis comprehenſarum, quoniam illi modicum jam Volumen explere poſſunt. Atque eodem quidem inſtituto in poſterum quoque Cl. Autorem uſurum eſſe cognovimus.

ספר רוממות אל, h. e. *LIBER EXALTATIONUM DEI, ſive R. MOSIS ALSCHECH Comment. in Pſalmos.*

Jeſnitii Anhaltin. typis Iſraelis fil. Abraham, A. 481, C. 1721, fol. Alph. 2 pl. 18.

ספר רב פנינים, h. e. *LIBER MULTITUDINIS margaritarum, ſive R. MOSIS ALSCHECH Commentarius in Proverbia.* Ibidem

Ibidem, apud eund. A. 482, C. 1722, fol. Alph. 1 pl. 15.

ספר חלקת מחוקק, h. e. *PORTIO LEGISLATORIS, ſive Ej. Commentarius in Jobum.*

Ibidem, A. 482, C. 1722, fol. pl. 21.

TAm rari huc usque fuerunt hi Commentarii, ut exigua ipſorum volumina, ne ſingulis quidem aureis comparari potuerint. Hinc Typographus de ſuis popularibus, certo tamen etiam modo de Chriſtianis, bene meretur, quod novas ipſorum editiones procurare voluit.

Commentarius in Pſalmos ſemel tantum impreſſus erat Venetiis A. 365, C. 1605, nam editio Amſtel. A. 455, C. 1695 in quarto excuſa non niſi compendium eſt hujus Commentarii, id quod tum inſpectio & collatio utriusque codicis docet, tum quoque teſtimonia Rabbinorum & præfatio ipſius Autoris, ſive potius abbreviatoris, cui nomen R. Elieſer fil. Chanina, ex Tarnigorod in Polonia minore. Hæc vero nova editio hoc præ priore habet præcipuum, quod in ipſo Commentario numeri verſuum addantur, ut quilibet ſtatim videre queat, ad quemnam verſum ſingula verba referantur. Sub finem vero R. Zevi Hirſch fil. R. Meir, qui ſimul Correctoris munus geſſit, brevem indicem præcipuarum ſententiarum adjecit.

Commentarius in Proverbia editus erat Venet. A. 361, C. 1601 & ſub finem indicem quoque rerum adjectum habet, prout in editione Veneta habetur. Circa Commentarium in Jobum nihil habemus quod moneamus, præterquam quod brevis indiculus ſententiarum & hic adjectus eſt. In teſtimoniis ſive potius Exorciſmis Rabbinorum Commentario in Pſalmos præmiſſis ſpes quoque facta eſt, fore, ut Commentarius in Cantic. Canticorum imprimatur, quem tamen nondum vidimus.

NOVA LITTERARIA.

CUm R. P. *Bernardus de Montfaucon* nuper abſolverit *Antiquitatis explicatæ Supplementa*, ſerio nunc novum opus, quod diu quidem animo agitavit, prelo parare molitur ſub titulo: *Les Monumens de la Monarchie Françoiſe*, quod, prout ille liber veteris Græciæ & Romæ, ita decem fere Seculorum barbarorum monumenta repræſentabit, ut non inepte operis illius continuatio dici poſſit. Conſtituit vero Claſſes V, quibus ea diſtribuet,

quæ

quæ & figuris elegantiſſimis illuſtrabit & brevi Commentario explicabit. *Claſſis I*, quam de Regibus Galliæ inſcribet, non ſolum Regum ſed & Ducum & Comitum, qui ſub ſtirpe tertia floruerunt, monumenta comprehendet, ubi de inauguratione Regum, corona regia, nimbo, tunica, ceſtu, pallio, ſceptro, throno, ſtatuis, ſigillis, nummis veterum Regum Reginarumve. *Claſſis II* eccleſiaſtica Galliæ monumenta exhibebit, templa nempe & eorum formam, habitus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, pallium, mitram, ſtatuas & imagines Sanctorum, imo & Chriſti cruci affixi, & ſimilia. *Claſſis III* ea complectetur, quæ ad habitum virorum fœminarumque cujuscunque ordinis inde ab initio Regni Francici usque ad A. 1660 ſpectant; quibus accedent, quæ ad ædificia publica privatave, & utenſilia in iis obvia, pertinent, quæque publicos ludos, venationem, artes denique liberales & mechanicas concernunt. *Claſſis IV* rem omnem militarem figuris explicabit, arma nempe offenſiva ac defenſiva, habitus equeſtres, ſigna militaria, machinas, duellorum denique rationem omnem, qua in re etſi non negat Cl. Editor, R. P. Danielem, cujus opus *de militia Gallica* hoc ipſo Menſe recenſuimus, ſuppetias ſibi laturum, longe tamen plura ſe præſtiturum pollicetur. Denique *Claſſi V* ea deſtinavit, quæ in deductionibus ſepulcralibus, Mauſolæis, Sepulcris notatu digna occurrunt, ubi ſimul, temporis ratione habita, characteres epitaphiorum & inſcriptionum ſepulcralium accurate repræſentabit. Hæc ita publicanda mature duxit Cl. *Montfauconius*, ut curioſos ad communicanda conſilia & ſi quas forte collegerint, delineationes provocet. Imprimis diſcere ex harum rerum ſtudioſis cupit, utrum textui Gallico verſionem Latinam minoribus literis, ut in *Antiquitate explicata* factum, ſubjici conſultum putent, nec ne. Ceterum nondum omnia ita ad prelum parata habere videtur, ut vel de mole operis, vel de tempore, quo in lucem prodituruin ſit, certi quippiam ſtatuere valeat.

Proſtat cum hoc Menſe Supplementorum Tomi IX Sectio I, qua inter alia non minoris momenti Cl. Theophili Sigefridi Bayeri Epiſtola curioſa de lingua Tangutica aliisque linguis ei affinibus exhibetur, figuris accuratiſſimis illuſtrata.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXV.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB *anno Æræ Chriſtianæ* D *ad* MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, *Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.*

Tomus V.

Mediolani, ex Typogr. Societ. Palat. in Regia Curia, 1724, f. Alph. 7 pl. 12 tabb. æn. 3.

STrenue inſtitutum hoc proſequitur Celeb. Muratorius, qui non modo anno ſuperiori quintum hunc Tomum Eminentiſſimo *Benedicto Herbæ Odeſcalcho*, S. R. E. Cardinali, Archiep. Mediol. a Cl. Philippo Argelato nomine Sociorum Palatinorum Mediol. inſcriptum, ſed & hoc ipſo anno Tomi I Partem II, de qua mox dicemus, felici partu in lucem edidit. Exſtant vero hic I. Chronologi antiqui quatuor, *Herempertus* Langobardus, *Lupus Protoſpata*, *Anonymus Caſinenſis* & *Falco Beneventanus*, cum Appendicibus hiſtoricis, ex editione *Antonii Caraccioli*, qui *Nomenclatorem* & *Propylæa*, ut vicem Commentarii ſubirent, operi addidit: quibus junguntur hic *Caſtigationes & notæ Camilli Peregrini* una cum aliis nuperis additamentis ac ſupplementis ex MS. Codice Caſinenſi. Etſi vero jam Tomo II *Herempertum* ſeu *Erchempertum*, una cum *Lupo*, *Anonymo Caſinenſi* & *Falcone* e *Peregrini* editione vulgaſſet Cl. Editor, prout diximus in Actis anni ſuperioris p. 50, operæ tamen pretium duxit, ut & editionis *Caracciolanæ* Neapoli 1626, 4 vulgatæ rationem haberet, quod ea a poſteriori illa Peregrini multum differret, & haberet anim-

adverſiones quasdam in illa non obvias. Nec dubitavit hic iterum repetere ex Caſinenſi veteri codice *Anonymi* illius *Caſinenſis*, quem *Albericum* quidam vocant, Chronici partem priorem, quod illa ab editione Caraccioli ſubinde diſcreparet. Accedunt etiam *Camilli Peregrini Diſſertationes VIII de Ducatu Beneventano*, ejusdemque *Series Abbatum Caſinenſium*, & libelli duo Italico idiomate ab eodem conſcripti, quorum alter *dell' origine dell' antica famiglia detta di Colimenta*, alter *due Diſcorſi di Camillo Pellegrino, ſi tratta nel primo d'un antico ſignificato del nome Porta, nel ſecondo dell' antico ſito di Capua*, inſcribitur. His itaque abſolvuntur omnia, quæ tum *Caraccioli*, tum *Peregrini* editio Chronographorum horum continet. Sequitur *II. Guilielmi Apuli* hiſtoricum *Poema de rebus Normannorum* in Sicilia, Apulia & Calabria ſuo tempore, hoc eſt, usque ad mortem Roberti Guiſcardi Ducis geſtis, quod poſt *Joannis Tiremai* editionem Rothomagenſem, *Leibnitium* recudiſſe Tomo I Scriptor. Brunſu. indeque nuper quoque Cl. *Caruſium* Bibliothecæ ſuæ hiſtoricæ Siciliæ intuliſſe, innuimus in Actis anni ſuper. p. 10. *III. Geſta Tancredi Principis in expeditione Hieroſolymitana, auctore Radulpho Cadomenſi*, ejus familiari, qua occaſione Cl. *Muratorius* de familia Tancredi accurate agit, & Rocchum Pirrum, paucis verbis inſigniter ſæpiusque errantem, refutat. *IV. Donizonis*, Presbyteri & Monachi Canuſini Ord. S. Bened. *Vita Mathildis Comitiſſæ*, pariter a *Leibnitio* l. c. & ante illum a *Seb. Tengnagelio*, ſive a *Jac. Gretſero*, Ingolſt. 1612 inter Monumenta vetera contra Schiſmat. edita, ſed denuo cum Codice Romano & imprimis Padolironenſi a *Bacchinio*, qui 1721 magna literarum jactura deceſſit, collata, & cum *Leibnitii* & *Muratorii* notulis, ut & *Franciſci Mariæ Florentinii vita Mathildis*, a *Leibnitio* pariter ſubjuncta, qua nihil aliud egit Autor, quam ut illepidum & barbarum illud Donizonis Carmen proſa oratione exponeret, hic recuſa. *V. Anonymi Novocomenſis Cumanus*, ſive Poema de bello & excidio urbis Comenſis ab A. 1118 ad 1127, nunquam hactenus editum, quod etſi ſtylo pariter plusquam barbaro, pro Seculi illius XII, quo ſcripſit Autor, genio exaratum ſit, dignum tamen ob veritatis laudem exiſtimavit D. *Joſephus Maria Stampa*, e Somaſchenſi Congregatione

Digitized by Google

gatione, quod cum MSS. Mediolan. & Comenſibus probe collatum Indice Chronologico & notis elegantiſſimis illuſtraret. Hoc carmen, incultum licet, ob inopiam ſcriptorum ejus temporis apud eruditos in honore eſſe debere, cenſet Cl. *Muratorius*, commendatque, tum quod intelligi exinde poſſit, quale fuerit Seculo XII in Langobardicis civitatibus politicum regimen, quæ tunc artes, qui mores in militando, quæque non modo Novocomenſis urbis acta, verum & quæ agri illius chorographia; tum quod genius poeticus ejus ſeculi cognoſcatur, Leoninis verſibus, qui tum primum in uſu eſſe cœperunt, addictus. *VI. Landulphi* Junioris, ſive *de Sancto Paulo*, (qui diſtinguitur a Landulpho *Seniore*, cujus Hiſtoriam Mediol. Noſtri Tomo IV hujus operis inſeruere, eique præfertur, quod non æque ac ille Schismaticis accedit) *Hiſtoria Mediolanenſis*, ab A. 1095 ad A. 1137, e MSS. Codd. Mediol. optimæ notæ deſcripta & notis pereruditis illuſtrata a *Joh. Antonio Saxio*, Ambroſianæ Biblioth. Præfecto: liber utique luce dignus, e quo lacinias primus produxerat *Puricellius* in Monumentis Ambroſ. Baſil. & alibi, quibus Papebrochius deinde, Ughellus, Pagius uſi ſunt. Neque vero res Mediolanenſium deſcripſit tantum, verum & alia attigit, quæ a Conrado Henrici IV filio, Henrico V, Conrado Duce Franconiæ & Lothario Imp. paſſim in Italia geſta ſunt. *VII. Magiſtri Moyſis*, Bergomenſis, *Carmen de Laudibus Bergomi*, quod ibidem 1596 edidit *Marius Mucius*, & Theatro Carminum *Achillis Mucii* Patris vel ideo adjunxit, quod *Moyſem* illum crederet e familia *Mucia* ortum, vel certe aliis cuperet perſuaderi. Præmiſſa eſt in eadem editione *Epiſtola* Autoris ad *Juſtinianum II Imp. Conſtantinopolis*, patetque e poſtremis libelli verſibus, ſcriptum eſſe poema A. 707; quod ſi ita eſt, vix antiquius, aut illuſtrius de familia Mucia Bergomenſi teſtimonium produci poſſet. Enimvero Cl. *Muratorius*, adulationem omnem peroſus, pace Bergomatum, paullo accuratius in rei veritatem inquirit, plane quippe perſuaſus, nec vixiſſe Poetam Juſtiniani II tempore, nec e familia Mucia duxiſſe proſapiam, ſed editorem ejus, quo ſuam familiam altius extolleret, illuſiſſe litterariæ Reipublicæ. Primum ergo obſervat, nondum illo ævo Imperatores ac Reges, & ne ſummos quidem Pontifices,

 titu-

titulo *Secundi*, *Tertii* &c. fuiſſe ab anteceſſoribus ſuis diſtinctos; deinde illo Seculo Imperatores *Romanorum* dictos, non *Conſtantinopoleos* aut *Græcorum*, quo titulo uti demum cœpere poſt A. 800 Latini, ut Orientis & Occidentis Imperatores alterum ab altero diſtinguerent; nec *Domini* compellationem illo tempore conſuetam; præterea, cum ſcriptum carmen in fine dicatur, *poſt ſeptingentos annos*, *ſeptemque peractos Virginis a partu*, notat, nondum A. 707 vulgo in Italia, nedum Conſtantinopoli, Æram Chriſtianam ſeu Dionyſianam uſurpatam eſſe; denique repetit, Leoninos verſus ſeculo demum XI in uſu eſſe cœpiſſe. Imprimis vero ex eo fraudis arguitur Mucius, quod in Codice anno 1500 longe antiquiore, quem Noſter cum editione illa diligenter contulit, nulla fiat mentio Moyſis e familia Mucia oriundi, (quemadmodum & alias conſtat, cognomina familiæ ante A. C. 1000 invecta non fuiſſe) & deſideretur inſuper tum Dedicatio illa, tum ultimi verſus, annum 707 denotantes, ut alia fraudis argumenta, quæ ex ipſo carmine petuntur, omittamus. Cum tamen negandum non ſit, antiquitatem ſapere hoc opuſculum, Noſter illud ad annum circiter 1120 referendum putat, ea inter alia ratione adductus, quod Autor Cap. VI Ambroſium Mutium, ſuo tempore florentem, impenſe laudat (quanquam nihil ſimul de cognatione ſua commemorans) quem Epiſcopum Bergomatum A. 1112 conſtitutum, A. 1129 obiiſſe, Scriptores fide digni teſtantur. *VIII. Gaufredi Malaterræ*, Monachi Bened. *Hiſtoria Sicula*, qua res traduntur Seculo XI in Apulia & Sicilia geſtæ, tum ab aliis, tum a Caruſio nuper ad fidem Codicis MS. auctius edita, ut diximus in Actis 1724 p. 10, quam nunc denuo cum prioribus editionibus confert Cl. *Muratorius*, ſimulque duplicem Voſſii errorem emendat, quippe qui de Hiſt. Lat. L. II C. 47 & L. III C. 6 duos Gaufredos, Hiſpanos, memorat, quorum alter a Surita, alter a Portonario editus ſit in Hiſpania, cum tamen idem Scriptor fuerit, idemque opus, quod Surita Cæſarauguſtæ Dominici Portonarii typis A. 1578 primum edidit, & Gaufredus Normannis accenſendus ſit, quos *noſtros* ubique vocat. Obſervat hic etiam ad dedicationem, Georgio *beatæ memoriæ* Epiſcopo Catanenſi inſcriptam, titulum *beatæ*, *bonæ*, *piæ*, aut *ſanctæ memoriæ* viventibus etiam fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe tributum. Accedunt ex eadem *Caruſii* Collectione *IX. de rebus geſtis Rogerii Siciliæ Regis Libri IV*, *autore Alexandro*, non *Celeſini*, ut vulgo erratum, ſed *Teleſini* in Campania Felice Cœnobii Abbate, qui ſororis Rogerii rogatu res a morte Guilielmi Apuli, quæ A. 1127 contigit, usque ad A. 1135, quo Amfuſo filio Capuanum Principatum tradidit Rogerius, neglecta quidem Chronologia, ſed dextre & luculenter deſcripſit, ipſique Rogerio viventi obtulit, quem prolixo *Alloquio* compellat, ut rurſus adeo vapulet Voſſius, qui demum poſt mortem Rogerii ſcriptos hos Libros tradit.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES AB Anno Æræ Chriſtianæ D. ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniſſ. Ducis Mutinæ Bibliothecæ Præfectus, collegit, ordinavit & Præfationibus auxit.

Tomi I Pars II.

Mediolani, ex typogr. Societatis Palat. in Regia Curia, 1725, f. Alph. 6 pl. 16 Tabb. æn. 7.

OPtimo conſilio Mediolanenſes Palatini Socii monumenta vetuſta & ſcriptores ſerius forte ſibi oblatos, ne vel extra chorum prorſus edantur, vel propoſitum huic operi temporum ordinem interturbent, hac ratione in poſterum evulgare conſtituerunt, ut Tomi ejus, quem ordo temporum poſcit, ſecundam, aut, ubi opus fuerit, tertiam quoque partem ex illis ſint apparaturi, quemadmodum nuper ejus rei initium hac Tomi primi parte altera fecerunt. In ea vero poſt *Philippi Argelati*, de laudato Sociorum conſilio & de quibusdam ſcriptoribus hoc volumine comprehenſis, præfationem comparent ſequentia. I *Leges Langobardicæ* ſecundum ordinem, quo ſingulæ prodierunt, digeſtæ, & ad Codices MStos Mutinenſes & Ambroſianæ Bibliothecæ diligenter exactæ ac emendatæ. Accedunt nunc primigeniæ ad easdem *Præfationes*, tum aliquot *Leges* & *Formulæ* veteres non antea editæ, una cum variis lectionibus & notis *Ludovici Antonii Muratorii.* Dicemus de iſtis inferius ea, quam merentur,

Digitized by Google

cum cura atque attentione. *II. Fragmentum Longobardicæ Hiſtoriæ*, Paulo Diacono attributum, jam pridem editum a *Marquardo Frebero* in *Corpore Franticæ Hiſtoriæ p. 178*, velut Appendix ad opuſculum ejusdem Pauli *de Epiſcopis Metenſibus*. Jam in præcedenti Tomi I Parte prima Cl. Muratorius in præfatione ad *Langobardicam Pauli Diaconi Hiſtoriam* de fragmento hoc eidem Hiſtoriæ attexendo monuerat, ſed, propter dubitationem, num Pauli Warnefridi, an alterius recentioris eſſet, ibi omiſſum, hic demum proferendum duxit. *III. Opuſculum de fundatione celeberrimi Monaſterii Nonantulani in agro Mutinenſi ſub noviſſimis Regibus Langobardis*, Autore *Monacho Nonantulano*, proximæ, ut videtur, ætatis, una cum notis Cl. Viri *Jo. Mabillonii*. Ex Actis Sanctorum S. Benedicti Seculo IV hoc loco exhibitum eſt, quoniam ad Hiſtoriam Langobardicam quoque ſpectat fundatio celeberrimi opulentique illius monaſterii, circa annum 752 facta ab Anſelmo, viro ſpectatæ ſanctitatis, &, ut traditur, antea Duce Forojulienſi. *IV. Opuſculum de ſitu civitatis Mediolani*, una cum vitis priorum Archiepiſcoporum Mediolanenſium, Autore Anonymo, qui Seculo IX, aut ſaltem X floruiſſe videtur, nunc primum ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ protractum. Hujus opuſculi titulus parum argumento reſpondet, cum potiſſima pars vitas priorum Epiſcoporum, ſive Archiepiſcoporum Mediolanenſium deſcribat. Papebrochius Autorem ad Sec. VI retulit: ſed Cl. Muratorius certis argumentis eum alterutri ex indicatis modo ſeculis reſtituit, ceteroquin non diſſimulans, multa ex ingenio eum ſuppleviſſe, ac fictionibus ſubinde, ut floſculis, librum ſuum exornaſſe. *V. Ordo antiquus Epiſcoporum Suffraganeorum Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ, & Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium a S. Barnaba ad annum usque 1251*, nunc primum ex MSto Codice Capituli Metropolitani Mediolanenſis impreſſus. Catalogum antiquum Archiepiſcoporum Mediolanenſium ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codice ediderunt quidem Mabillonius & Papebrochius, ſed ab Anatalone primo Epiſcopo incipientem, excluſo S. Barnaba, quem ille manu recentiſſima adjectum ait, hic prorſus ex Epiſcoporum Mediolanenſium numero exterminat. Cl. Muratorius hunc Catalogum, quem

quem ipſe edit, iſto Ambroſiano longe antiquiorem eſſe, multis indiciis commonſtrat, &, quod S. Barnabæ Apoſtoli adventum multis verbis referat, eundem majorem fidem mereri, affirmat. *VI. Excerpta Hiſtorica ex vetuſtiſſimo Kalendario* membranaceo MSto Ambroſianæ Bibliothecæ nunc primum luci reddita. Perpauca ſunt, nec ſingula pretii æqualis, attamen ad veterem Mediolanenſium hiſtoriam Seculi XI & amborum ſequentium Seculorum facientia. VII *Hiſtoriæ Saracenico-Siculæ varia monumenta*, Collectore *Jo. Baptiſta Caruſio*, qui ea in ſua *Collectione Rerum Sicularum 1720* Panormi edidit, ut A. 1724 p. 9 diximus. Sunt hæc monumenta diverſorum tum Arabum, tum Chriſtianorum Autorum, atque adventum Saracenorum in Siciliam resque inde a tempore Saracenicæ dominationis in Inſula geſtas exponunt. Quæ cum apud Græcos pariter ac Latinos ſcriptores fruſtra requirantur, Muratorius ea ad Italicarum rerum penu adjicienda duxit. Et quidem extat *primo Chronicon Saracenico-Siculum Cantabrigienſe*, latinitate donatum & beneficio Cl. *Thomæ Hobart*, Angli, primum ex Bibliothecæ Cantabrigienſis autographo evulgatum. Autorem habet, non Eutichium, Beatricis filium, Patriarcham Alexandrinum, ut Caveus putavit, quem Caruſius in præfatione confutat, ſed alium Siculum hominem. Hiſtoriam autem 120 annorum ab A. C. 827 complectitur. 2 *Hiſtoria Saracenorum in Sicilia, excerpta ex Chronologia univerſali Iſmaelis Alemujadad, Abulphedà, Regis Amani*, ex Arabico Codice MSto Bibliothecæ D. Laurentii Eſcurialis. 3 *Continuatio Hiſtoriæ Saracenorum in Sicilia, excerpta ab Hiſtoria, cui titulus Aſmodſeri, Autore Alkadì Sciohabadin* ♀ *filio Abiddami Amanienſi*, ex eadem Bibliotheca. Utrumque excerptum hoc Hiſtoricum in *Panormo Sacra* Italico idiomate exhibuit *Auguſtinus Inveges*, unde in Latinum verſum Caruſius iterum dedit. Primum omnium vero ex Bibliotheca Eſcuriali protraxerat & latinitate donari curaverat *Antonius de Amico Meſſanenſis*, Canonicus Panormitanus, qui tamen morte præventus edere, ut promiſerat, nequivit. Recenſentur autem utrobique quæ ab anno 842 ad A. 1039 Amiri geſſerunt. 4 *Theodoſii Monachi Epiſtola de Syracuſanæ urbis expugnatione*, cum animadverſionibus *P. Octavii Cajetani*, *Soc. Jeſu.* Hanc

Hanc ad Leonem Archidiaconum Syracuſanum Theodoſius in expugnatione Syracuſarum, A. 878, vel, ut aliis placet, 880 a Saracenis facta, captivus redditus & Panormum abductus in carcere perſcripſit. Ex Græco translatam primum in Tomo II *Siciliæ Sacræ* ediderat *Rocchus Pirrus*. 5 *Martyrium S. Procopii, Epiſcopi Tauromenitani*, Scriptore *Joanne Diacono Neapolitano*, cum animadverſionibus ejusdem *P. Octavii Cajetani, S. J.* Recuſum eſt ex Octavii Cajetani Tomo II *Scriptorum Siculorum*, ut nonnulla ſub Saracenis geſta commemorans, & præſertim Taurомenii expugnationem, quæ, ut Cajetanus docet, A. 903 contigit. Autor mox poſt annum martyrii S. Procopii 903 floruit, a *Joanne Diacono, Caſſinenſi, Monacho*, poſtea Cardinali, diverſus. 6 *Epiſtola F. Conradi Dominicani ad B. Epiſcopum Cathanenſem*, ſive *brevis Chronica ab A. 1027 ad A. 1283*, primum impreſſa a *Jo. Bapt. de Groſſis* in *Cathana Sacra*. 7 *Excerpta ex Chronologia Arabica Hazi Alipbè Muſtaphà, ad rem Saracenico-Siculam pertinentia*, a *Jo. Reinaldo Caroli* Italice edita Venetiis 1697. Brevia ſunt, & in annorum notatione cum aliis Hiſtoricis Saracenico-Siculis minime convenientia: ab A. 703 ad A. 1159 pertingunt. Nunc reliqua a Sociis Mediolanenſibus noſtris hoc volumine primum collecta enumerabimus. Et ſequitur *VIII. Chronicon Epiſcoporum S. Neapolitanæ Eccleſiæ ab eorum exordio usque ad annum 872*, Autore *Joanne Diacono*, Eccleſiæ S. Januarii Neapoli ſitæ, qui eo tempore floruit, nunc ex MSto Codice Bibliothecæ Vaticanæ primum luce donatum. Acceſſere breves notæ *Cl. Muratorii* noſtri, qui & præfatus eſt potiſſimum de Autore, ejusque tum aliis quibusdam ſcriptis, tum de præſenti opuſculo, quod non diffitetur multis locis rerum Neapolitanarum vacuum, Romanarum vero plenum præter rationem eſſe, multas quoque *Vitis Anaſtaſii Bibliothecarii*, *Bedæ opuſculo Hiſtorico*, & *Langobardicæ Hiſtoriæ Pauli Diaconi* detractas lacinias habere, ſed tamen & antiquitate ſua, & ob monumenta Neapolitana in extremis Epiſcopis occurrentia, præſtans utique & magni faciendum eſſe. In calce libelli ſubjungitur *Fragmentum vitæ Athanaſii II*, Epiſcopi Neapolitani, ſiniſtræ famæ apud poſteros ob enormia vitia, quibus ſe contaminavit, obnoxii; cujus fragmenti Autor in Cod.

Digitized by Google

Cod. Vaticano dicitur *Petrus Neapolitanæ ſedis Subdiaconus*, ipſi Athanaſio, ut videtur, æqualis. IX *Chronicon Vulturnenſe*, ſive *Chronicon antiquum Monaſterii S. Vincentii de Vulturno, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœceſis, in provincia Capuana*, Autore *Joanne* ejusdem Cœnobii Monacho, ab anno circiter 703 ad ann. 1071, nunc primum prodit ex MSto Cod. Bibliothecæ Eminentiſſ. *Cardinalis Franciſci Barberini*, cum notulis & caſtigationibus *Muratorii*. Haud parvi æſtimandum hoc Chronicon, *Baronii, Du-Chesnii, Ughellii, Du-Pinii* aliorumque judicio, quippe quod præter ea, quæ de Romanis Pontificibus, de Caſinenſibus Abbatibus ſuisque continuata ſerie tradidit, illuſtrandæ Beneventanorum Ducum & Transtyberinorum Langobardorum Principum hiſtoriæ commodiſſima præbet documenta. Quinque hujusmodi Cœnobiorum hiſtorias, puta *Chronicon Caſinenſe*, in Tomo IV hujus operis inſertum, *Novalicienſe, Farfenſe, Caſaurienſe* & hoc ipſum *Vulturnenſe* protulit Seculo XI nobilis Italicorum monachorum cœnobia ſua illuſtrandi contentio. Fuit illud præclariſſimum maximisque opibus tot Imperatorum, Pontificum, Principum munificentia in dies auctum cœnobium, (unde in vetuſta charta Seculi IX *fortioris monaſterii* nomine inſignitur,) ſub titulo S. Vincentii non longe a Vulturni fluminis fonte in provincia Samnii, atque in Diœceſi Aſernienſi anno circiter 703 a tribus nobilibus, *Tato, Taſo* & *Paldo*, fundatum, ſervatumque per multa ſecula florem veterem, poſtquam commendatum ſecularibus Clericis eſſet, prorſus amiſit. Chronici Vulturnenſis quædam fragmenta *Du-Chesnius* Tomo III *Scriptorum Francicorum*, & excerpta alia *Ughellius* Tomo VI *Italiæ Sacræ* publicarunt. At Cl. Muratorius integrum ex indulgentia Eminentiſſ. Cardin. Barberini publicæ luci exponendum ratus eſt. Hiſtoriam ſcriptionis ſuæ ipſe Autor *Joannes Monachus*, poſthac Abbas, in Prologo Chronici enarrat. Deinde *brevem Chronologiam* ab ipſo initio mundi, pro more ſeculi ſui, deductam, ſimulque *Romanorum Pontificum & Imperatorum Catalogum* præmiſit, monens, ea ex *Chronicis Euſebii & Iſidori Hiſpalenſis* hauſta eſſe, niſi quod ipſe reliqua ad ſuam ætatem continuaverit. Totum vero opus donationum, privilegiorum & contractuum chartis conſtat, nec iis

 quidem

Digitized by Google

quidem omnibus genuinis, quibus & anni ſubinde falſo adnotati. Quicquid de ſuo Autor vel in ipſa narratione, vel in præfationibus addit, præter tædioſas fictiones puerilibus argutiis & contortis allegoriis implexum eſt, hisque non cultiora ornamenta ſunt addita, verſus non niſi inertibus monachis legendi, figuræque monaſterii miraculoſas origines & donationum chartarumque autores rudi artificio adumbrantes, quas una cum Monogrammatibus Imperatorum & Pontificum quorundam Cl. Muratorius quinque tabulis æneis exhibuit, in notis vero & caſtigationibus additis errores vel ab ipſo Autore, vel a librariis admiſſos, diligenter notavit, imprimisque de ſpuriis & ſuppoſititiis monuit, tum quoque chartis ſingulis & ſummulas præfixit, & annos curatius evolutos. X *Spicilegium Ravennatis Hiſtoriæ, ſive Monumenta Hiſtorica ad Eccleſiam & urbem Ravennatem ſpectantia*, nunc primum edita ex MSto Codice Bibliothecæ Eſtenſis, cum altero MSto Ravennate collata, adjectis aliquot animadverſionibus *Muratorii*. Idem Codex, qui *librum Pontificalem Eccleſiæ Rom.* Tomo II exhibitum complexus eſt, habuit quoque *Vitas priorum Epiſcoporum Ravennatium*, tum *opuſcula polemica de loco, ubi S. Apollinaris oſſa quieſcunt*, tum & *de ædificatione Templi S. Joannis Evangeliſtæ, & Claſſenſis*, denique monumenta quædam *ad ſecularem hiſtoriam Ravennatem* facientia. Hæc ergo, licet anno quingenteſimo, hujus collectionis termino, ſint priora, cum tamen & nonnulla poſt Seculum V acta recenſeant, Cl. Muratorius hic addere non dubitavit, qui in præfatione ad hoc Spicilegium potiſſimum fabulam Ravennatium *de duodecim Epiſcopis prioribus Ravennatibus a Spiritu S. ſub viſibili columbæ ſpecie ad electionem deſignatis*, improbat & caput erroris a pictorum licentia, dum ſuper verticibus iſtorum Epiſcoporum columbæ ſpeciem repræſentaverint, arceſſit. Hæc de ſingulis hujus voluminis ſcriptoribus & monumentis, præterquam de luculentiſſima Legum Langobardicarum editione, quæ ut principe loco merito fuit repræſentata, ita præcipuum huic ipſi ſplendidiſſimæ collectionis parti pretium conciliat: nosque eam poſt cetera perluſtrandam deſtinavimus non alia cauſa, quam ut paulo plenius de ejus præſtantia dicere liceret. *Cl. Muratorius*, ad quem potiſſima harum legum emendatarum ac multis locis reſtitutarum notis-

notisque perpetuis illuſtratarum gloria ſpectat, in præfatione ad eaſdem præclara multa atque doctiſſima de origine & progreſſu Juris Langobardorum, ſpeciatim de electione a Regibus Francorum devictis, ut & advenis in Italia populis relicta, *qua lege, utrum Salica, an Romana, an vero Langobardica, an* porro *Bajoarica, Alemannica, Ripuariave uti vellent*, deque diverſitate judicum pro iſto legum uſu diverſo, ex vetuſtis monumentis obſervat. Graviſſimis deinde argumentis adverſus *Sigonium* alioſque, de autoritate legum Langobardicarum confirmat, eam vel nunquam, vel ſero admodum moribus tantum eſſe abrogatam, earum quoque æquitatem defendens, quæ fuerit certaminis ſingularis iſtis legibus permiſſi ratio ſincera, explicat. Convertitur hinc ad varias legum Langobardicarum editiones, nominatim *Heroldianam*, quam apud Italos rariorem, *Lindenbrogianam*, quam emendatiorem ex Codice Hamburgenſi & pleniorem prædicat, *Venetam* A. 1537 & 1621 apud Juntas excuſam, in qua & appoſitas univerſis legibus gloſſas perpetuas *D. Caroli Cotti, Siculi*, quadringentis annis antiquiores, & Scholia *Nic. Boherii* Gallici JCti, & gloſſemata ex vet. MSto addita, commentarioſque *Andreæ de Barulo*, tanquam pretioſas acceſſiones, laudat, ſe vero ipſum *Goldaſtinam* editionem ad concinnandam hanc novam adhibuiſſe teſtatur, quam apparare ſtuduit talem, ut ceteras omnes longo intervallo poſt ſe relinquat, uſus egregiis Codicibus MStis duobus. Unus ipſi obvenit ex *Bibliotheca Eſtenſi*, non quidem vetuſtus, ſed ex vetuſtiſſimo codice deſcriptus circa annum 1490 a *Peregrino Priſciano, Ferrarienſe*, viro multæ eruditionis, cujus & libri aliquot *de Ferrarienſium ac Ateſtinorum Principum rebus* manu exarati ſuperſunt. Ex hoc ipſo Codice Cl. Muratorius inſtauravit antiquiſſimum & primum harum legum ordinem. Nam ceteræ editiones, præter Heroldianam, non exhibent conjunctim leges a ſingulis Regibus, aut Imperatoribus confectas, ſed in titulos ſecundum ordinem argumentorum diſtributas, quam diviſionem *Goldaſtus* tribuit *Petro Diacono Caſinenſi* ſub Lothario II, & ſecundum quam Autor Conſtitutionum feudalium Langobardicas leges citare ſolet. Verum in Eſtenſi Codice, quæcunque leges a ſingulis Regibus aut Auguſtis provenerunt, omnes conjunctæ leguntur, id quod ipſum anti-

quiſſimum & ante illam legum diſtributionem ſatis vetuſtam ſcriptum perhibere poteſt. Ex eodem codice, quod vel maxime æſtimandum, omnes hic reſtituti ſunt *prologi* a Regibus Imperatoribusve præfixi Edictorum ſuorum publicationi, qui prorſus exciderant e legibus, poſtquam earum ſeriem immutari contigiſſet, nec redierant poſtmodum in lucem, niſi quod *Sigonius* in *libros de Regno Italiæ* particulas eorum nonnullas intulit, unus vero *Cl. Horatius Blancus in notis ad Pauli Diaconi Hiſtoriam Langobardicam,* priore parte Tomi I hujus operis p. 413 integrum exordium Legum *Rotharis*, ex ipſius fortaſſe Sigonii Schedis in *Ambroſiana* adſervatis, evulgavit. *Heroldus*, quamvis prologum iſtum Rotharis noverit, ut conjectari licet, ex *Paulo Diacono* verba nonnulla ejusdem afferente, nec id tamen, quod noverat, adſcribere voluit. Haud minoris faciendum eſt in laudato codice, quod ad varias leges referat appoſitas, in hac editione inde exhibitas, *formulas*, quibus veteres cauſarum patroni, Langobardorum jus profeſſi, uſi ſunt tum agendo, tum excipiendo, in foro, quæ permultum præſtant ad noſcendam litigandi rationem, imo ad ipſarum legum veterisque Hiſtoriæ illuſtrationem. Alterum Codicem Muratorius noſter accepit ex tabulario *Mutinenſis Cathedralis Canonicorum*, ante annos ſeptingentos ſcriptum. Is primo loco habet *Leges Salicas* in capitulis LXX cum effigiebus IV virorum, qui eas compoſuerunt, præmiſſa eadem *præfatione*, quam *Lindenbrogius* & Celeb. *Eccardus* ediderunt, eamque ſequitur *Carmen Heroicum de totius ſpeculatione hujus præclari voluminis*, ita incipiens:

Hunc Heros librum legum conſcribere fecit,
Eurardus prudens, prudentibus omnia vexit &c.

Item *carmen Eleycum cui ſupra:*

Hos tibi verſiculos, prudens Eurarde, benigne,
Deſcripſi paucis infimus ecce Lupus. &c.

Eurardum iſtum Muratorius conjectatur illuſtrem temporibus Ludovici II Imp. Principem, ac fortaſſis eundem fuiſſe ipſum Eurardum, ſive Eberhardum, aut Berardum, Forojulienſem Ducem ac Marchionem, Berengarii, poſtea Regis ac Imp. patrem, quem circa eadem tempora in Italia floruiſſe conſtat. Hujus Princi-

Digitized by Google

Principis juſſu collegiſſe *Lupum* variarum gentium leges, quem poſtea una cum iisdem verſibus deſcripſerit anno circiter milleſimo librarius aliquis pro uſu Canonicorum Mutinenſium. Leges Salicas, alio ordine, quam in editis, diſpoſitas, excipiunt in hoc MSto *leges Ripuariæ* capitibus CXXVII, tum *leges Langobardorum*, deinde *lex Alemannorum*, capitulis XCV, *leges Bajoariorum*, titulis CCXXIV, denique *capitularia quædam Caroli M. Pipini, Ludovici Pii, Lotharii & Ludovici II.* Legibus Langobardorum titulus præfixus: *Incipiunt capitula legis Langobardorum, ſive concordia de ſingulis cauſis, quam Rothari, Grimald, Liutprand, Ratchis, Aiſtulf conſtituerunt, omnes inſimul adunatæ & concordatæ, ut legem inquirentibus facilius invenire queant, quod cupiunt.* Capita legum ſunt tantum LX, quippe non admixtæ ſunt Francorum Cæſſ. leges: unde patet, vel ante annum 1000 Langobardicas leges ſub diverſis argumentorum titulis digeſtas & coordinatas fuiſſe, alio tamen ordine, quam in vulgatis editionibus occurrunt. Hos duos codices cum editis ipſe Cl. Muratorius contulit, indeque produxit, quæ luci reddita nondum erant, lectiones varias ſubjecit & ſincerum legum textum ſubinde, exterminatis gloſſematibus, feliciter reſtituit. Inſuper vero Palatini Socii, ac præſertim *Philip. Argelatus*, ipſi novam meſſem lectionum variantium & legum aliquot ac fragmentorum ſuppeditarunt ex duobus Codicibus MStis *Ambroſianæ Bibliothecæ* vetuſtis, licet ab indoctis amanuenſibus ſcripti noſcantur, quorum unus anno circiter 1013 exaratus *Leges Langobardorum*, alter circa ann. 1028 ſcriptus *Francorum Regum Leges*, in Italia promulgatas, complectitur. Ex ſingulis tribus Codicibus, nempe Mutinenſi, & Ambroſianis, ſpecimina characterum in ære repræſentantur ad p. 13 poſt præfationem. Ibidem ſiſtitur *index & ordo titulorum omnium, quos legibus Langobardicis præpoſuit Heroldus*, & ſingulis titulis adſcriptus cernitur numerus, ſub quo ea lex in præſenti editione comparet. Similiter vero, ubi leges ipſæ a Muratorio exhibentur, in calce uniuscujusque legis liber & titulus indicatur editioni Goldaſtinæ reſpondens, ita, ut tres inter ſe diverſas editiones in hac una levi negotio liceat cognoſcere. Ordo legum reſtitutus hic eſt. Primo extant *Rotharis Leges*, quæ CCCXC

 capitu-

capitulis abſolvuntur: ſuccedunt *Grimoaldi Leges*, quarum IX tantum capitula: *Liutprandi Legum, libri I*, capp. VII, *libri II* capp. IX, *libri III* capp. IV, *libri IV* capp. XI, *libri V* capp. XXIV, *libri VI* capp. CII; *Rachis Regis Leges* capp. IX; *Aiſtulphi Regis* capp. XIV. Jam ſequuntur *Caroli M. Leges*, capitulis CLIII comprehenſæ, & *additamenta ad capitularia Caroli M.* ut & *capitulare* anni 806, ſive *charta diviſionis Regni Francorum inter Karolum, Pippinum & Ludovicum filios Karoli M. Imp.* Hæc excipiunt *Pippini Italiæ Regis Leges* XLIX, *Ludovici Pii Auguſti Leges* LXI, *Lotharii I Leges* CVI, & *additamenta ad easdem* ex Codice MS. Cathedralis Mutinenſis, aliaque ex *Baluzio*, ibi Ludovico Pio falſo tributa. Porro ſequuntur *Ludovici II Aug. leges* VIII, cum *additamentis* ex dicto Cod. MSto, & ex Codice Bibliothecæ Ambroſianæ. Interſeruntur ex utroque Ambroſiano *quæſtiones ac monita quædam veterum Juriſperitorum in Leges Langobardicas*: deinde comparent *Guidonis Aug. Leges* XCI, *Ottonis II Aug. Leges* XIII, *Ottonis III Aug. Lex* unica, *Henrici II Aug. Leges* III, ac denique *Lotharii II Aug. Lex* unica. Jam vel potiſſima planeque ſingularia, quæ doctiſſimus Muratorius vel reſtituendo, vel ſupplendo veterem ac genuinam lectionem, modo librariorum incuria, modo gloſſematum in contextum intruſione, modo Grammaticorum intempeſtiva caſtigatione corruptam toties ac immutatam, quæque illuſtrando leges ex Hiſtoria veteri linguæque genio, & antiquis Francorum ac Langobardorum moribus, inſtitutis ritibusque præſtiterit, ex iis, inquam, potiſſima & prorſus inſignia recenſere nimis longum & ultra leges inſtituti noſtri foret, pauca vero, ac velut ſpeciminis loco, decerpere parum dignum videtur exiſtimatione, quam de Cl. Muratorio, Italicorum monumentorum vindice atque illuſtratore immortaliter jam merito, publice præferre noſtrum eſſe judicamus.

ROBERTI WELSTED DE ADULTA Ætate Liber ad RICHARDUM *WEST, Armigerum.*

Londini, impenſis Gulielmi & Johannis Innys, 1725, 8.
Plag. 13.

Quam-

QUamvis naturæ, a teneris initium ducenti, inde ad maturitatem provectæ, demumque in ſenium inclinanti convenientius videatur, eundem in explicanda diverſarum ætatum indole ordinem imitari, illum tamen immutare Cl. Autori viſum fuit, utpote qui edito primum de Ætate vergente libro, a nobis ſupra M. Jan. p. 23 commemorato, hunc de adulta ætate ſubjecit, proxime forſan tertium de ineunte ſubjuncturus. Eadem ac in priori ſermonis elegantia aures animumque demulcet; imo magis etiam altera hæc pars vario rerum apparatu, quem ipſa materia largius ſuppeditavit, lectori ſe commendat. Inſtituti eadem, quæ in priori, ratio; primo conſiſtentis ætatis indolem maxime impetuoſam exponit, eandemque amoris potiſſimum rapidiſſimis agitari atque depaſci ſtimulis advertens, qua illum ratione ad tuendam ſanitatem, malaque inde oritura avertenda, prudenter deceat moderari, docet; eademque occaſione de conjugio hac ætate iniri ſolito, & iis, quæ circa illud a Medicis monenda veniunt, c. 2 fuſius agit. Poſtquam vero eam adoleſcentes nacti ſunt corporis ſtaturam, ut proceritate ulterius non efferantur, notabilis ſuccorum in corpore turgeſcentia contingere ſolet, multis, ſi nimia evadat, œconomiam animalem turbis obnoxiam redditura; unde ad ea, quæ exuberant, eliminanda certa ſibi natura eligit emunctoria, ab Autore c. 4 deſcripta, ita ut modo per meatus cutaneos, modo per glandes ſalivales atque inteſtinales ſuperflua excludantur, quas inter vias hæmorrhoides quoque recenſet, quorum fluxum naturalem magis, quam morbificum eſſe, cum nonnullis noſtræ ætatis Medicis cenſet. Quod ſi minus feliciter hæc ſecretio ſuccedat, morbi ex recrementis in corpore auctis oriuntur: quorum Catalogum c. 6 ex Hippocratis (cujus ſtrenuum ſe aſſeclam præbet) L. 3 Aph. 29 & 30 contexens, duas cum eodem claſſes illorum conſtituit. Alios eorum, ſcilicet ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutas, comitiales, ad primam hujus ætatis periodum refert; reliquos, uti anhelationes, pleuritides, peripnevmonias, lethargos, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, bilis ſurſum ac deorſum effuſiones, dyſenterias, inteſtinorum lævitates, ac hæmorrhoides ad conſtantem magis ætatem ſpectare cenſet.

Horum

Horum ante omnia inter ſe analogiam exponit, & quidem ratione originis illos ab intentiori ſanguinis motu a variis obſtaculis hinc & inde occurrentibus concito deducit; quo tenacior igitur ſit materies, in quam ſanguis impingit, eo graviores fore, qui inde pendent, affectus, monet. Sedem illorum communem c. 9 partes reſpirationi inſervientes, iisdemque conjunctas aut eas minimum, quæ emunctoriorum vices ſuſtinent, conſtituit. Quod uti de plurimis manifeſtum eſt, ita de iis, de quibus dubium primo intuitu videri poterat, ut lethargo, phrenitide, bilis ſurſum deorſumque dejectione & hæmorrhoidibus, cum Autorum teſtimoniis tum experientia, qua his morbis ſuperatis, manifeſtum partium reſpirationi dicatarum levamen obſervamus, evincere allaborat. Analogia morborum ætatem adultam infeſtantium indicata, ſigna quoque diagnoſtica, quibus a ſe invicem illos diſcernere deceat, exponit; ſicque Pathologia earum abſoluta, primo c. 11 generalia quædam monita, in eorum medela profutura, proponit, & imprimis cito eis auxilium adhibendum, nihilque in eorum cura procraſtinandum eſſe, medicis inculcat, ne natura eorum vehementiæ ſuſtinendæ impar iisdem ſuccumbat; neque etiam ſi mitiorem præ ſe ferant ſpeciem, fidem iis facile habendam, monet, ne verum ſubito habitum induentes ex improviſo opprimant. Protinus igitur remediis præſtantiſſimis ſuccurrere, & ad noxia quævis eliminanda feſtinare ſuadet, ea ratione atque ordine, quem natura ſui conſervatrix morborumque domitrix monſtrat; quamvis, ſi nimis vi morbi ſit oppreſſa, vix ejus indiciis fidendum atque obſequendum cenſeat Autor, quæ irrita tunc ſæpius edat ſigna, & inania ſine mente proferat. Quibus præmiſſis ad quorumvis ſpecialem therapiam breviſſimis explicandam accedit, & a c. 12 ad 16 prioris generis, ab illo ad 27 conſtantis potiſſimum ætatis morborum curam indicat. Ceterum laudanda eſt Cl. Autoris in evolvendis veterum & imprimis Hippocratis ſcriptis induſtria, quorum non ſolum autoritate omnia ſua placita ſuffulcit, verum etiam nonnulla paſſim eorum loca eruditis illuſtrat obſervationibus. Ita c. 4, dum de hæmorrhoidibus agit, tantum abeſſe monet, ut Hippocrates libri de Hæmorrhoidibus, qui ſub ejus nomine inter opera ejus

extat,

Digitized by Google

extat, autor ſit, ut ne quidem ejus diſcipulo tribuendus videatur, illudque ex ſententiis ibidem propoſitis, ab ejus doctrina prorſus alienis, & alibi ab eo refutatis, evincit. Siquidem Hipp. L. 6 Aph. 12 unam minimum in hæmorrhoidum ſanatione apertam ſervare jubet, cum e contrario in hoc ſemel atque iterum omnes exurendas nec ullam ſine uſtione relinquendam ſuadeatur. C. 8 locum Pauli ex l. II c. 29 adducit, in quo inter alia febris ardentis ſigna lingua (ſecundum Guinterii verſionem) aſpera recenſetur, qua occaſione, num Guinterii emendatio, dum τραχεῖα pro παχεῖα legit, attendenda ſit, disquirit, & omnino receptam lectionem retinendam & παχεῖα ſcribendum eſſe, cenſet, quoniam lingua in febribus ardentibus non modo aſperetur, ſed & quaſi glutinoſis humoribus inferciatur, unde nonnunquam uſus ejusdem difficilis redditur, quo ſenſu hanc vocem etiam ab Hippocrate uſurpari annotat. C. 24 Hippocratem contra Cælium, methodicæ ſectæ non ignobilem Medicum, defendit, qui in bilis ſurſum ac deorſum effuſionibus veratrum, in lentium ſucco propinatum, ab Hippocrate adhibitum eſſe, ægre fert. Qui Noſtro maxime naturæ ductum in hoc ſecutus videtur, quæ ipſa ſuccorum pravorum congeriem ſurſum ac deorſum vacuandam eſſe indigitabat, imprimis, quia dum contenta viſcerum, circa ventriculum ſitorum, quaſi per fluorem excernuntur, veratrum non tam diu intus maneat, ut diffundere poſſit facultates, a quibus homines alias periclitantur: hinc tutius tunc temporis evadat. C. 28 de iis, qui in extremis hujus ætatis limitibus verſantur, & quæ in poſterum iis profutura ſint, aliqua addit conſilia, quæ fuſius in præſenti commemorare ſuperfluum ducimus, cum copioſius illa in primo de ætate vergente libro pertractata ſint.

EXERCITATIONES MEDICÆ, QUÆ TAM Morborum quam Symptomatum in plerisque morbis rationem illuſtrant, Autore JOHANNE TABOR, M. B.

Londini, impenſis Guilielmi & Johannis Innys, 1724, 8.
Pl. 22 cum fig. æn. Tab. 5.

Digitized by Google

Mirum certe eſt, quod in ejusdem morbi ratione reddenda ſententiæ adeo diſſimiles proferantur a Medicis, cauſæque remotæ cum cura eruantur, cum promptius ſit, cauſas propiores & perfectiores ex ſanguinis ſtatu & retentorum excretorumque conditionibus, obſervatu haud difficilibus, invenire; quorum accurata conſideratio rationes magis certas & conſtantes de morbis exhiberet, quam fictæ quævis analogiæ ſeu ſimilitudines ex Peripatheticorum elementis, ex Galenicorum humoribus, aut ex Chymicorum principiis depromptæ. De his itaque rebus ut ratio conſtaret, præſentes Exercitationes, tribus tractatibus circumſcriptas, in lucem publicam edidit Autor Clariſſimus. Quoniam autem, quod in corpore humano ſolidiſſimum eſt, ex humore prius fluitante cogitur, & a liquidis in vaſis contentis affectiones pleraſque morboſas accipimus, Introductionem operi præmittendam eſſe intellexit, in qua oſtenderet, quod partium ſolidiorum fabrica non a poteſtatibus quibusvis materiæ inſitis ſeu inhærentibus, ſed ab agente animato conſtruatur; quod liquida omnia motum habeant inteſtinum; quod liquidorum affectiones a partium eorum minutarum conſtitutione oriantur; & quod motus inteſtinus liquidorum in corpore animali non ab agente animato, ſed a cauſa quadam univerſali cieatur. In Exercitationum Tractatu I ſimplices ſanguinis conditiones expendit, idque non furni tortura, ſed vitro optico, lance, lenique igne, atque oſtendit, tam morborum rationes quam ad eos tollendos Indicationes ex iſtiusmodi obſervationibus juſtiſſime deſumi poſſe; probat etiam, aerem reſpirationis beneficio ſemper & uberrime ſanguini admiſceri. Hinc non minus quantitatem ſanguinis in corpore contenti, quam ejus velocitatem in vaſis ſanguiferis determinat; indeque occaſionem capit, cordis ſtructuram accuratius delineandi, ejusque vires inveſtigandi, atque ventriculorum capacitates menſurandi. In II conjecturas quamplurimas incertas de motu muſculari & de inſtrumentis eidem ancillantibus improbat, ſuamque hac de functione explicaturus ſententiam, aeris conditiones & munia tam in flamma, quam in vita animalium ſuſtentanda, fibrarumque carnearum texturam exponit, tandemque concludit: cum comprimendi & dilatandi copia nulli

nulli materiæ ordini tam ſingulari modo ſit indita, quam aeri, hæcque facultas intendi & remitti poſſit a cauſis in aerem agentibus, atque ſanguis animalium præ ceteris quibuscunque liquoribus plurimum aeris complectatur; credendum eſſe, aerem in ſanguine hoſpitantem circulationis vi in carneas muſculorum fibras, earumque concavos cylindros adigi, ibidemque a ſpiritibus animalibus ad nutum animæ incitantis quadam ratione ordinatis & impulſis, ejus elaterium intendi, ac ad nutum animæ revocantis quovis temporis puncto expanſionem inde ortam remitti quoque poſſe, ſicque fibras contractas & relaxatas haberi. In III conſiderat cauſas effectrices motus voluntarii, involuntarii & convulſivi, omnesque has eidem efficienti in acceptum referri, docet; motus etiam convulſivi cauſas materiales & excitativas inveſtigat, clareque demonſtrat, quod convulſiones & plerique morbi, qui nervoſi paſſim appellantur, a ſanguinis humorumque, non a ſpirituum animalium pravitate oriantur, & ab hac doctrina indicationes certiſſimæ deſumi debeant ad affectiones nervoſas curandas. Verum clarius cognoſcet L. B. quam foveat Autor clariſſimus de œconomia animali opinionem, ex Corollariis calci hujus operis appoſitis. Scilicet 1) omnium motuum animalium eadem eſt cauſa effectrix in eodem vivente. 2) Corpori animali ineſt agens providum, quod totius utilitati diligenter proſpicit. Ab hoc, divinitus inſtructo, non tantum admirabilis corporis fabrica extruitur & perficitur, ſed etiam ab actibus ipſius imperatis motus omnes organici proficiſcuntur. 3) Omnes motus organici tam aſſueti quam inaſſueti ad finem aliquem utilem & neceſſarium deſtinantur. 4) Sanguis facile lenteſcit & concreſcit, unde ægre vaſa capillaria permeat, imo & acrimoniam contrahit, generi nervoſo infenſam; hinc nervi a ſanguine vitiato irritari poſſunt. 5) A crebra membranarum concuſſione, muſculorumque contractione ſanguis lenteſcens aut concreſcens ſubigitur & comminuitur, motusque ejus pene deperditus reſtauratur, acceleraturque. 6) Cauſa finalis motuum convulſivorum in eo conſiſtit, vel ut partes irritatæ & ſtimulatæ a materia acri & rodente liberentur, vel ut ſanguis a concretione vindicetur; idque aut univerſali corporis concuſſione, aut forti

Digitized by Google

muſculorum contractione ad ſanguinis motum accelerandum, acresque humores ſubſiſtentes e ſedibus ſuis depellendum. 7) A materia craſſiori vitiata e ſanguine excreta motus convulſivi deſinunt. 8) Ut plerique alii morbi, ita potiſſimum motus convulſivi a craſi ſanguinis vitiata immediate oriuntur. 9) Medicina Rationalis in eo conſiſtit, ut a cauſæ morboſæ juſta æſtimatione Curativæ deſumantur Indicationes; perperam enim inſtituerentur Curæ a cauſis omnino obſcuris, cum magis evidentes ſuppeterent. Quo certius igitur hæc Corollaria ſapiunt doctrinam Stahlianam, eo magis mirari ſatis non poſſumus, quod Germani hujus famigeratiſſimi per totum hoc opus nullibi fecerit mentionem Anglus.

MONARCHIÆ ASIATICO-SARACENICÆ Status, qualis VIII & IX poſt Chriſtum natum ſeculo fuit, nummis argenteis, priſca Arabum ſcriptura Kufica, a Monarchis Arabicis, Al-Manſor, Haran Raſchid, Al-Mamon aliisque, in metropolibus Chaldææ, Perſiæ, Transoxanæque cuſis, & nuper in littore maris Balthici prope Gedanum effoſſis, illuſtratus a M. GEORGIO JACOBO KEHR, Sleuſinga-Franco Orientali.

Lipſiæ, proſtat in Bibliopolio Jacobi Schuſteri, 1724, 4 max. Plag. $4\frac{1}{2}$. fig. æn. 2.

RUſtici in Nehringa Gedanenſi piſcatores A. MDCCXXII d. 2 Junii centum circiter a mari paſſibus invenerunt nummos quatuor argenteos vix arena tectos, & remota paulo altius arena, tredecim alios, quos omnes, *ſeptemdecim* numero, ad illuſtr. Præconſulem Gottfr. a Dieſſeldorf delatos, hic liberaliter donavit Cl. Frid. Gottl. Engelken, Secretario Reipubl. Gedan. qui eos, addito etiam *decimo octavo*, quem Cl. Breynio debebat, cum Cl. *Kehrio* communicavit. Inde huic præſens ſubnata eſt ſcribendi materia. Opellam diviſit in tractationem generalem & ſpecialem. Generalis agit de lingua & literis inſcriptionum in nummis his conſpicuarum. Lingua eſt Arabica; litteræ vero ſunt Kuficæ,

ita

ita dictæ ab urbe Chaldæa Kufa, non quod ibi inventæ ſint, ſed quod (ut Noſtro quidem videtur) Kufæ hoc ſcribendi genus & ſolicitius & diutius in uſu fuerit. Et ex Eſtrangelo quidem, Syrorum antiquorum Chaldæorumque charactere, Kuficas litterarum figuras ortas eſſe, inde potiſſimum colligit, quod primus earum inventor, Mor-amrus, Babylonius dicitur, & figuræ admodum conveniunt. In tractatione autem ſpeciali ſingulos XVIII nummos ex Hiſtoria Orientali paululum illuſtrat. Primus in ordine nummus cuſus eſt in urbe pacis, h. e. Bagdat, anno Heg. 188 Chr. 805, probabiliter ab Aarone Raſchid. Antica exhibet in peripheria, uti in omnibus nummis, verba hæc: *In nomine Dei cuſa eſt hac drachma*, addito, ut alibi, loco & anno, quo cuſus. In diſco autem hæc leguntur: *Non eſt Deus, niſi ille unicus, nec ei eſt ſocius.* In poſtica hæc ſunt: *Mohammed eſt legatus Dei.* In peripheria vero poſticæ: *Mohammed eſt legatus Dei, qui miſit eum cum directione & religione vera, ut ſuperiorem & conſpicuam redderet eam ſupra omnem religionem, etiamſi abhorreant aſſociantes.* Quæ verba omnium poſticas ambiunt. Nummus II convenit cum primo, niſi quod excuſus eſt ann. Heg. 190 Chr. 807. Nummus III & IV, anno Heg. 193 Chr. 810 cuſi, non diſcrepant a primo. V excuſus eſt Balchæ, olim Bactris, ann. Heg. 188 Chr. 805, ab Almamone Abdalla, Califa, & eo a præcedentibus differt, quod poſticæ facies hæc inſcripta monſtrat: *Mohammed eſt legatus Dei, & plenitudo creaturarum ejus: Princeps Almamon Abdalla, filius Principis fidelium, eſt celſus tutor columnarum Moslemanorum. Jahhja.* Hac occaſione Noſter p. 16 invehitur in Hiſtoricos Linguæ Arabicæ ignorantia ſæpe deceptos. VI ſignatus eſt anno Heg. 189 vel 187, Chr. 806 vel 804, & in diſco poſticæ verbis: *Mohammed eſt legatus Dei*, hæc ſunt addita: *& aſſecla ejus.* VII anno Heg. 192 Chr. 809; VIII & IX, eodem anno a Califa Alamino cuſi, a primo non diſcedunt. X Waſethi, anno Heg. 127 Chr. 746 cuſus, in poſticæ facie hæc habet: *Deus eſt unicus. Deus non generatus eſt, atque eſt perpetuus. Non generat, nec ei ſimilis eſt ullus.* Numus XI anno Heg. 194 Chr. 811 Bagdadi, XII vero Kuſafæ anno Heg. 105 Chr. 724 ſignatus eſt, & huic quidem in poſtica additur, quod *Mohammed ſit donum perfectum.*

XIII anno Heg. 180 Chr. 797 Sauræ cuſus, in diſco poſticæ hæc ſiſtit: *Mohammed eſt legatus Dei. Propitius ſit ei Deus & felicem eum reddat. Chaliſa Raſchid Dſibæfar.* XIV Hiſpahanæ anno Heg. 196 Chr. 813 factus eſt, & Noſter hæſitat, an verba poſticæ faciei adjecta, *Deo eſt directio*, an aliter, vertere debeat. XV eſt Samarcandanus, anni Heg. 185 Chr. 802, in cujus poſticæ medio hæc leguntur Arabice: *Mohammed eſt Apoſtolus Dei, & ſucceſſor ejus eſt Princeps Alaminus. Mohammed filius Principis fidelium. Gjafari.* XVI Mohammediæ anno Heg. 195 Chr. 811 fuſus, cujus in poſticæ diſco hæc leguntur: *Mohammed legatus Dei, & aſſecla ejus eſt Chaliſa, Mohammed Princeps fidelium, devotus Dei cultor.* XVIII Samarcandæ A. Heg. 194 Chr. 811 cuſus, in poſtica habet: *Mohammed legatus Dei, & amicitia ei junctus eſt Presbyter Almomunus. Abdallah filius Principis credentium.* Ultimum conflari juſſit anno Heg. 161 Chr. 779 Chaliſa Mahhadis, quod ultima verba poſticæ, quæ in ceteris cum inſcriptione nummi XIII conſpirat, docent. Obſervat vero Noſter, eſſe Baſſoræ, quo loco cuſus hic nummus, Academiam quandam, circa annum Hegiræ 465 fundatam, in qua multi Mohammedani literis incumbant; quamvis fateatur, plures hodie Damaſci, & quamplurimos, nempe 12000, Cairi ſtudere. Præterea ipſius Chaliſæ Mahhadis munificentiam in litteratos commendat, quippe qui Poetæ cuidam, *Merwan* dicto, pro carminis, quod coram eo recitabat, ſingulis diſtichis (erant autem ſeptuaginta) mille ſtateres dari juſſit. Denique notat, ejuſdem Chaliſæ ætate A. 770 inclaruiſſe Theophilum Edeſſenum, Maronitam, Aſtronomum, qui præter Hiſtoriam, in qua ab orbe condito ad initium Epochæ Alexandrinæ annos colligit 5197, verſionem edidit Iliados Homeri in ſermonem Syriacum, in qua ambiguas voces, præſertim ad diſtinguendas patronymicas, quæ iiſdem elementis apud Syros ſcribuntur, vocalibus Græcis notavit, nimirum α ponendo pro A, η pro I, υ pro V &c. quod punctandi genus omnes deinde Syri, Neſtorianis ſeu Chaldæis exceptis, amplexi ſunt; ex quo Græcæ vocalium Syriacarum figuræ ſunt enatæ. Sed ex his jam ſatis Lectori conſtare poſſe de Autoris noſtri ratione, arbitramur.

MONAR-

Digitized by Google

MONARCHÆ MOGOLO-INDICI, VEL MOGOLIS Magni AURENK SZEB Numiſma Indo-Perſicum argenteum quinque librale rarisſimum, in ſolennem renovationem & confirmationem clientelarum urbis & ſedis Imperatoriæ DEHLI, nunc dictæ DSCHIHANABAD, ſignatum, auſpiciis & clementisſimo juſſu Seren. Principis ac Domini, Dn. FRIDERICI II, Ducis Saxo-Gothani, e pretioſisſimo ipſius Gazophylacio Latine recenſitum, explicatum, examinatum, & contra dubia quorundam, imprimis contra Moslemanum celeberrimum, Illuſtrem atque doctisſimum, SCHEICH MOHHAMMED EFFENDI, Reipubl. Africo-Tripolitanæ Cancellarium, & ad Aulam Cæſaream Viennenſem nuper Legatum, perſpicue, ſolide ac modeſte vindicatum, & variis Notis ex Orientalium Hiſtoria, Genealogia, Geographia, Chronologia & re litteraria tum antiqua, tum recentiore illuſtratum a M. GEORGIO JACOBO KEHR, Siluſia-Franco Orientali. In appendice Indo-Maurorum characteres Arithmetici, Alphabetum Bengalicum, & Syllabarii Mongalo-Kalmuckici pars exhibetur.

Lipſiæ, impreſſit Heinrich Chriſtoph Takke, 1725, 4 max. Plag. 7½ fig. æn. 2.

TItulus prolixiſſimus conſpectum operis totius exhibet. Methodus in præſenti tractatu ea adhibetur, ut in hiſtoriam nummi inquiſiturus Cl. *Kehrius*, pauca de figura, pondere aliisq; momentis afferat, ſcripturam in nummo compoſitam agnoſcat e charactere Perſarum Taalik, h. e. pendulo, & Usbeko-Indo-Perſico Tograi, ſeu implexo; ſtylum quidem Perſicum fateatur, admixtis vocabulis Arabicis, Tartaricis & Turcicis; afferatque ab incolis Regiæ urbis Dehli Magno Mogoli in obedientiæ teſſeram nummum hunc fuiſſe exhibitum. Ipſam laborioſiſſimæ interpretationis ſuæ methodum & tabulam quadripartitam deinde ſubjicit, ut figuram litterarum in nummo deprehenſam columna

columna 1, 2 vocem litteris Arabicis ordinariis, 3 lectionem, & 4 interpretationem Latinam ſiſtat, & p. 17 ſeqq. voces ſingulas exponat. Inter alia p. 26 ſqq. inquirit, an nomen Regis Aurenk, an Uſzbek legi debeat, quoniam اورنك Aurenk, & اوزبك Uszbek, uno puncto tantum addito vel demto & altero transpoſito, differunt. Sed contra Cancellarium Tripolitanum, cum quo nuper in aula Viennenſi vivente commercium epiſtolicum inſtituerat Noſter, propugnat, quod nummus non Uszbekicis Imperatoribus conveniat, ſed tantum Magno Mogolo, cum Hiſtoria, Geographia & ipſe ſtylus obſtent, quo minus Uszbekicis tribui poſſit. Notas illas ſequitur Latina paraphraſis inſcriptionis hujus nummi quinquelibralis, quam utut paulo prolixiorem, e p. 41 huc transſribere non gravabimur. Prioris ergo faciei verba ita Noſter interpretatur: *Nummus hic Magni illius Indorum Imperatoris longe lateque terra & mari dominantis, eſt, nimirum Regis AURENG-ZEB, terrarum orbem occupantis, qui tum ob animi fortitudinem, tum ob ſtupendas, quas geſſit, res, tum & perpetuas ob victorias, quas ab hoſtibus reportavit, jure meritoque celeberrimis veterum illorum athletarum heroumque Perſicorum* Serſali & Sami *nominibus inſignitur, qui non tantum a Victore glorioſiſſimo eſt generatus, verum ipſe etiam potentiſſimos quosque Principes potentia ſuperat, ſimulque puram & orthodoxam religionem Moslemicam, Sonna ſeu traditionibus Mohhammedis & coævorum ipſi Doctorum Arabicorum dogmatibus fundatam, ſtrenue ſequitur, fortiter propagat, adeoque inſtar auri puriſſimi, ornantis gemmas, religioſo zelo ſuo ſplendidiorem reddit eam & illuſtrat. Quapropter digniſſimus eſt, qui nominetur* Alem-Khir Padiſchah Ghaſzi, *id eſt*, orbem terrarum occupans, Magnus Imperator, Victor, MOHHAMMED AURENK-ZEB, Behadir, *ſeu ſtrenuus ac bellicoſus, Triumphator, & Moslemicam religionem fortiter celeriterque propagando vivaciorem efficiens. Signatus eſt nummus hic anno ab hegira ſeu Mohhammedis fuga milleſimo octogeſimo quarto, qui eſt annus poſt C. N. 1674.* Poſterioris faciei hæc eſt ſententia: *Auſpiciis Magni Imperatoris Mogolo-Indici, utilia quævis & ſalubria largientis, videlicet AURENG-SZEBI, qui religionis Moslemanicæ aſylum*

eſt,

eſt, cui divinitus quaſi adjuncta eſt fortuna proſperitasque maxima, quippe qui plauſtra bonorum atque divitiarum poſſidet, & qui, licet inter omnes pompa & majeſtate emineat, ſimul tamen adeo clemens ac benignus Princeps eſt, ut ne quidem in ſeptem climatum diſtantia tractuque præſtantior quispiam reperiatur, qui eum clementia & benignitate ſuperet; bujus, inquam, auſpiciis nummus bic ſecundum argentearum aurearumque monetarum typos, per Dei gratiam ac benignitatem, ſignatus eſt anno decimo quinto a felici bujus Monarchæ coronatione, qua is Imperii thronum conſcendit. Et quidem banc monetam Auguſtisſimo Imperatori ſuo, ſedis ipſius Imperatoriæ urbisque primariæ Dſchihan-abad, *alias* Dehly *dictæ, cives in fidei, pietatis & obedientiæ ſuæ bumillimæ teſſeram, in ſolenni, quæ ideo quotannis celebratur, novi anni panegyri, muneris loco obtulerunt.* Claudunt opus notæ & characteres in titulo memoratæ, quibus poſtremo ſubjicitur Tabula Genealogica a Japeto usque ad Regem Aureng-Zeb; quibus ſingulis immorari non licet.

IO. FRANCISCI BUDDEI, TH. D. & P.P.O. Meditationes Sacræ, antea ſigillatim, nunc vero conjunctim editæ. Recenſuit & præfationem de mortuorum reſurrectione, a calumniis adverſariorum per veteris Eccleſiæ Doctores vindicata, nec non Indices adjecit M. IO. DAVID LEONHARDUS, Altenburgenſis.

Jenæ & Lipſiæ, apud Jo. Frid. Ritterum, 1725, 4. Alph. 1 pl. 5½.

CEleberrimi Buddei ſcripta, varia eruditione referta, jam diu eruditis ſalivam moverunt. Quare Cl. Editor & hanc Programmatum publico nomine diebus feſtis propoſitorum collectionem doctis gratam fore, haud immerito judicavit. Et quoniam hæ meditationes, præter primam & ultimam, omnes vel Chriſti vel noſtrum ſpectant reſurrectionem, Cl. Editori placuit, de reſurrectione mortuorum e priſcis Eccleſiæ Patribus præfari. Meditationum vero Buddeanarum prima, MDCCXIII propoſita, de Pſeudo-paracletis diſſerit, ac voce παράκλητος expoſita,

Simonem Magum, Montanum, Manetem, Mohammedemque huc refert. Quæ ſecundum obtinuit locum, Meditatio, de ſanguine fœderis ſub Vet. pariter & Nov. Teſt. conſcripta, varia huc ſpectantia Scripturæ dicta accurate expendit. Tertia Meditatione S. R. Autor ex Actor. XIII, 34 τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιςὰ excutit, & Paulum non e Pſ. II, 7, ſed ex Jeſ. LV, 3, reſurrectionem Chriſti probare, oſtendit. Quæ ſequitur, quarta, de ſepulchri Chriſti poſſeſſore, loco, forma, denique & uſibus in Theologia erudite conſcripta eſt. De Pontio Pilato, Evangelicæ veritatis teſte, quinta tractat, teſtibusque veritatis Pilatum jungit, quia non tantum hiſtoriæ veritas, ſed & innocentia Chriſti per eum ſtabiliri poteſt. Chriſtum redemptorem unicum ſexta ſiſtit, & contra Romanos partim, partim & Gichtelianos, officium mediatorium ſoli Chriſto proprium eſſe, evincit. Septima originem doctrinæ de reſurrectione mortuorum e V. T. pandectis antiquiſſimam eſſe oſtendit. Non ſatis autem fuerat Cel. Autori, Pilatum veritatis Evangelicæ teſtem exhibuiſſe; ſed in octava Judam pariter Iſchariotem veritatis Evangelicæ teſtem producit, cum & ipſius, ut proditoris, de innocentia Chriſti teſtimonium ferentis, teſtimonio magnum inſit pondus, & Judæi hujus rei documentum exſtare voluerint, ne quis fidem Evangeliſtarum hiſtoricam ſollicitet. Nona, de Chriſto prædeſtinato, ad Act. II, 23, an, & quomodo prædeſtinatus dici poſſit, inquirit. Chriſtum autem vere cruci affixum eſſe, adverſus Docetas, Saturninum, Baſilidem, horumque, ut & quosdam Valentini diſcipulos & Mohammedem adſtruit decima. Undecima victoriam fidei graphice delineat. Duodecima vero expendit, quo ſenſu Chriſtus in S. Script. audiat primogenitus ex mortuis, nempe quia & Princeps eorum eſt, qui ad vitam æternam reſuſcitantur, & ſimul reſurrectionis autor & cauſa. Tandem decima tertia, in qua pauliſper commorari lubet, dignitatem exponit S. R. Autor, quam per incarnationem filii Dei denuo acquiſivit genus humanum. Eam autem minime eo usque extendi vult ille, ut colligere inde liceat, mundum hunc, in quo tantum ubique malorum, ſeu peccatorum eſt, ut bona, quæ ſparſim hinc inde exiſtunt, vix in cenſum veniant, (quæ ipſius verba ſunt p. 192) melio-

meliorem eo eſſe, qui omnis vitii, omnisque labis expers eſt. Monet ſimul, Viros quosdam doctos, qui noſtra ætate id ipſum aſſerere non dubitarunt, ad cauſam ſuam tuendam hoc quoque trahere, quod triſtiſſimum hominum lapſum incarnatio Chriſti ſecuta ſit, quæ decus ingens atque ornamentum huic, in quo peccata ſunt, attulerit mundo, quo carendum contra fuiſſet mundo, labe nulla atque vitiis contaminato. Ipſe vero, rejectis Scholaſticorum quorundam commentis, alio modo plane refragatur ſententiæ commemoratæ. Exiſtimat enim, ſi comparatio inter mundum omnis vitii expertem, & eum, qui peccatis contaminatus eſt, inſtituatur; in hac non ad ſolos credentes, aut electos, ſive eos, qui beneficiorum, Chriſti incarnatione partorum, participes fiunt, ſed ad omnes omnino homines, qui hunc mundum conſtituunt, reſpiciendum, & tum demum, an hic illo melior præſtantiorque dici queat, dijudicandum eſſe. Ita manifeſtum fore, putat, dignitatem iſtam, quæ ex incarnatione Chriſti non niſi ad credentes redundat, etſi in ſe maxima & pro ſummo Numinis beneficio reputanda ſit, non tamen ejusmodi eſſe, ut in cenſum venire queat, cum de utriusque mundi collatione pronuncianda ſit ſententia. Obverti quidem, ait, verba illa ex hymno quodam Romanæ eccleſiæ:

O certe neceſſarium Adæ peccatum,
Quod Chriſti morte deletum eſt!
O felix culpa, quæ talem ac tantum
Meruit habere redemptorem!

Sed monet ſimul p. 195, quod de neceſſario Adami peccato hic dicatur, illud ceu ὑπερβολικῶς a poeta dictum, emollitione quadam & explicatione indigere, ſi quidem admitti debeat. *Culpam* autem eam *felicem* dici poſſe ita, ut tamen hoc remaneat, feliciorem adhuc futuram fuiſſe humani generis conditionem, ſi ejusmodi non opus habuiſſet redemtore: uti felix quidem dicendus ægrotus, cui fidelis & peritus ſe offert medicus, qui ipſe tamen felicior haud dubie, ſi, perpetua gaudens ſanitate, medico non indigeret.

D. FRID. ADOLPHI LAMPII COMMENTARIUS Analytico-Exegeticus tam litteralis, quam realis, Evangelii ſecundum Johannem.

Tomus I.

Baſileæ, apud Thurniſios, 1725, 4 maj.
Alph. 4 pl. 10.

ETſi rectius forte facturi videbamur, ſi quidem operis hujus tum demum ſuſciperemus recenſionem, cum ad umbilicum perductum fuerit, non poſſumus tamen, quin prioris etiam hujus Tomi, tanquam primordii cujusdam, mentionem injiciamus, ſimulque promittamus, nos reliquas præclariſſimi operis partes, quam primum in lucem exierint, indicaturos, vel potius pro merito laudaturos eſſe. Maxima vero præſentis Tomi I portio eruditiſſimis conſtat Prolegomenis. En tibi, Lector, primi eorum libri capita: 1 de rebus conditionem Johannis naturalem & civilem extra Apoſtolatum concernentibus, 2 de vocatione, & Apoſtolatu Johannis ante exaltationem Domini geſto, 3 de rebus Johannis usque ad ſeceſſum ejus ex Judæa in Aſiam, 4 de rebus Johannis poſt adventum in Aſiam usque ad reditum ejus ex Inſula Patmo, 5 de rebus Johannis poſt reditum ejus ex Patmo usque ad mortem ejus. 6 de Johannis morte, & poſt mortem honoribus, 7 Hiſtoria Critica de ſcriptis Johannis, excepto Evangelio. Facile conjici poteſt, quam larga hic doctiſſimarum obſervationum ſeges reperiatur. Nos unum tantum alterumque argumentum, ſpeciminis cauſa, & ut lectorem ad ipſam operis perluſtrationem magis invitemus, adducturi ſumus in medium. Sic Celeberr. Autor ſtatim ſub initium fabulas circa vitam Johannis ita commemorat, ut, quam diligenter ſibi ab iisdem cavere velit,
p. 15. ſignificet. De temperamento Evangeliſtæ noſtri ſobrie inquirit, & tandem ſtatuit, fuiſſe illud ſanguineo-phlegmaticum: qua de
32 ſq. re alii videant. In laudes Johannis ubi effunditur, non reticet
119 ſq. nævos illius. In primis autem accurate docet, Johannem Theologum non fuiſſe diverſum a Johanne Evangeliſta, uti quidem Cl. *Heumanno* ob cauſas nonnullas perſuaſum fuit. Tacemus alia, pulchra illa, & maximi momenti, ſed rectius ex ipſis his Prolegomenis

gomenis haurienda. Alter eorum liber itidem VII abſolvitur capitibus, nempe 1 de Johanne, vero Evangelii Autore, 2 de Hiſtoria temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum, quibus Evangelium hoc conſcriptum eſt, 3 de examine variarum ſententiarum de ſcopo Evangelii, 4 de vero illius ſcopo, & œconomia, 5 de θεοπνευςία ejus, & autoritate, 6 de Commentatoribus in Johannem, 7 de Autoris noſtri inſtituto, & totius Evangelii analyſi. Sed opus eſt, ut ipſa hæc adeat Prolegomena, qui multiplicem Autoris doctrinam cognoſcere cupit. Ipſa, quam Tomus hicce I complectitur, Exegeſis ad quatuor priora Evangeliſtæ noſtri capita pertinet. Hic primo videas cum generalem, tum ſpecialem analyſin, qua quidem poſteriori comprehenſus deinde eſt tantum non univerſus Commentarius. Reliqua Notæ exhibent largiores textui ſubjectæ. Præcipuam ſibi curam fuiſſe Autor fatetur, ut literalem, quem vocant, ſenſum indagaret; verumtamen multus quoque eſt in ſenſu myſtico & allegorico facunde exponendo. Tum vero veritates quoque Theologicas diligenter eruere conatus eſt, licet in his complures ſint peculiares Reformatorum hypotheſes, quas tuetur & defendit. Nos illud certe non poſſumus non laudare, quod magna Autor uſus ſit & diligentia & modeſtia. Quare maximopere optamus, ut propediem reliqua volumina prodeant in lucem, quorum rationem habituri ſumus ita, ut ne ſpecimina deſiderare Lector poſſit.

MARTINI FRISII, D. PROF. THEOLOGI, Fundamenta Theologiæ Theticæ, ſelectioribus dictis probantibus eorumque, ubi opus eſt, exegeſi, & obſervationibus præcipuis instructa.

Hamburgi, apud Theodorum Chriſtoph. Felginerum, 1724, 8.
Plag. 18.

SUnt hæ Cl. Friſii, Profeſſoris Theol. in celebri Holſatorum Academia Kilonienſi primitiæ: quibus univerſum Theologiæ, quam theticam vel poſitivam vocare ſolent, ambitum dilucida quadam brevitate tradit, ea tractandi ratione ac methodo uſus, quæ argumento maxime accommodata imprimisque

docendo apta eſſe videtur. Ordinem vulgo receptum in digerendis rebus Theologicis ſequens, ſuccinctis theſibus doctrinam proponit, ſubjunctis unicuique obſervationibus, quibus obſcuriora illuſtrare, lucemque difficilioribus afferre ſtudet. Selectioribus Scripturæ dictis in promtu habendis, recte intelligendis, prudenterque applicandis potiorem Theologiæ Theticæ partem abſolvi ratus Clar. Autor, præcipuam eo curam direxit, ut, qua opus eſt, perſpicuitate potiora Scripturæ dicta, in medium producta, explicet & applicare doceat. Inutiles longiusque petitas quæſtiones, quibus Scholaſtici imprimis delectantur, penitus omiſit. Terminis ac diſtinctionibus, non adeo magnam utilitatem promittentibus, conſulto abſtinet. Ceterum eo conſilio ſeſe hoc compendium evulgaſſe dicit, ut auditoribus ſuis ejus ductu Theologiam deinceps explicet. Memorat etiam in præfatione Cl. Autor, ſe in hac manuductione duos illos magni nominis Theologos, Wandalinum ac Jägerum, publicis privatisque Scholis a ſe explanatos, paſſim illuſtraſſe. Denique in animo ſe habere, ait, ut Cl. *Jägeri* Theologiam fœderalem propediem, ſub titulo: *Jägerus illuſtratus, emendatus & auctus,* denuo in lucem edat.

DEMONSTRATIO DEI EX VOCE ANIMALIUM, publico antea examini in Academia Kilonienſi ſubjecta, nunc vero plenius expoſita a M. ANDR. MURRAY.

Hamburgi, ſumtu Theod. Chriſt. Felgineri, 1724, 8.
Plag. 7.

CUm alii ex aliis naturæ operibus, Deum exiſtere, eumque ens eſſe omnium ſapientiſſimum, demonſtrarint, Cl. Autor, in Academia Kilonienſi docendæ Juventuti deditus, aliisque ſcriptis clarus, id potiſſimum hic agere inſtituit, ut e voce animalium Deum evincat, novo quaſi argumento a nemine hactenus tentato. Varia in genere præmittit de natura vocis, deque illius per aerem intervenientem formatione & laryngis ad eam producendam neceſſaria agitatione; hinc §. 9 inveſtigat, num aliud quid ad vocem excitandam concurrat, & §. 10 mentis imperium,

eo

Digitized by Google

eo concurrere oſtendit. Imprimis §. 11 eorum de vocis formatione opinionem examinat, qui cum Illuſtri Leibnitzio præſtabilitam quandam animi & corporis harmoniam tuentur; nonnullasque affert rationes, quare illi ſententiæ minus accedere poſſit. Demonſtratur porro §. 12, quasdam voces ſine mentis imperio produci videri, & §. 14 inquirit, num vox beſtiarum alia ratione quam hominum efformetur, tum §. 15 & ſeqq. varias vocis modulationes variumque pronunciandi modum explicat. §. 23 de vocis hominum natura edisserit: §. 26 quodvis beſtiarum genus propria gaudere voce oſtendit: §. 27 rationem affert, cur aves præ quadrupedibus voci imitandæ aptæ ſint, & diſquirit, num præter imitationem ſingulis animantium generibus peculiaris vox maneat: tum §. 29 ſqq. ut vel ratione ſexus, vel ætatis, vel conſtitutionis corporis, vel morum animi differat vox hominum: §. 36 ſqq. quomodo affectus, morbi, alimenta, ſomnus, motus, aer vocem inflectere varieque mutare poſſint, tempus item & locus in voce quid valeant, exponit. Ad uſum inde & efficaciam vocis tum hominum tum brutorum procedit. §. 45 & §. 52 ſeqq. quid partim naturales affectuum voces, partim ſermo, partim muſica in percellendis ac commovendis hominum animis poſſit, indicat. Hic inter alias præſtantiſſimas utilitates, quas præſtat hominum vox, eam quoque connumerat, quod valetudinem noſtram in bono ſtatu conſervet, ſanguinis curſum motumque circularem, qui facile ſiſti ac impediri poſſet, adjuvando. §. 58 concedit quidem, anni & dierum tempora, ut & aeris ſtatum, ex beſtiarum voce colligi ac comperiri: ſortem vero rerum humanarum futuram voces beſtiarum indicare, negat. Minime quoque ad vim vocis ruinam illam mœnium Jerichuntis referendam eſſe docet §. 60. Tandem §. 61, quinam autor ſit vocis, inveſtigat, & §. 63 ſeqq. non homines, multo minus beſtias vocis ſuæ eſſe autores, probat, tum §. 66 refutat eos, qui infinitam cauſarum ſeriem effingunt. Demonſtrat inde, ex ipſa voce pateſcere, Deum eſſe cauſam primam vocis, & §. 72 ex eo, quod Deus autor vocis, ſequi, oſtendit, 1 eſſe ens neceſſarium, 2 per ſe exiſtens, 3 æternum, 4 ubique præſens, 5 incorporeum. Poſtremo §. 79 docet, ex mirabili illa vocis formatione, ad quam formandam aer, organa corporis

& anima

& anima concurrant, ex artificioſiſſima item organorum, quibus vox perficitur & moderatur, ſtructura, ex eo porro, quod vel ſolo mentis nutu organa vocis moveantur, denique ex multitudine, varietate & fine vocis immenſam Creatoris ſapientiam abunde probari. In quibus omnibus ita Cl. Autor Lectori ſatisfecit, ut & in Phyſicis rebus & Theologia, imprimis naturali, non leviter verſatum eſſe pateat.

PETRI CUNÆI, ELOQUENTIÆ ET JURIS Rom. quondam in Academia Batava Profeſſoris, & Doctorum Virorum ad eundem Epiſtolæ, quibus accedit Oratio in obitum BONAVENTURÆ VULCANII, nunc primum editæ cura PETRI BURMANNI.

Leidæ, apud Petrum vander Aa, 1725, 8.
Alph. 1 pl. 5.

QUi jam dudum orbem eruditum omnis generis Scriptores in lucem protrahendo ſibi devinxit Vir Celeb. *Petrus Burmannus*, non minorem laudem promeritus eſt, cum has optimi & elegantiſſimi Viri *Petri Cunæi Epiſtolas* diu deſideratas publici juris fecit. Etenim quicunque ſolidam eruditionem, & interiorum litterarum peritiam, quibus abunde inſtructus erat Cunæus, vel obiter cognoverunt, illi omnia, quæcunque ab ingenio Cunæi provenerunt, non poſſunt non adamare. Jam natura ita comparatum eſt, ut hominum, quos veneramur aut amamus, vitæ genus, mores, fata & quicquid ad eos pertinet, propius noſſe cupiamus: quod unde melius diſcemus, quam ex Epiſtolis eorundem? Verum & ipſæ litteræ, maxime vero Hiſtoria litteraria ex hujusmodi monumentis haud exigua emolumenta capit: ſiquidem nunquam minore ambitione, nunquam minore libidine viri ingenui res ſuas agunt, quam per Epiſtolas. Hinc Ephemeridum atque Vitarum conditores ad hæc opuſcula certatim convolare videas: alii vero, tacita voluptate ſeſe oblectantes, interiorem clarorum virorum vitam ex iis diſcere, non in ultimis remiſſionum eruditarum partibus ponere ſolent. Hæc cauſa eſt, quare

Digitized by Google

quare Præſtantiſſimus Burmannus communem applauſum ſibi poſſit promittere. Sed Germaniæ noſtræ longe acceptiſſimum accidit hoc beneficium. Pervulgatum quippe eſt, quanto favore *Orationes Cunæi* & reliqua opuſcula, *Satyram* inprimis Menippeam, nec non libros de *Rep. Hebræorum* exceperit. Hodieque vero in multis ſcholis Orationes juventuti explicantur: & forſitan ſimilis aliquando fortuna erit Epiſtolarum. Atque utinam vel ſic præſidium elegantioribus litteris daretur: quæ, ſi unquam alias, his certe temporibus paſſim afflictæ jacent. Nam quis antea inaudivit, pro Virgilio, Buchananum; pro Terentio, Terentium Chriſtianum, & (rem dicimus, ſed

- - ficti quam nulla licentia monſtri
Tranſierit)

pro Cæſare, Auguſtanam Confeſſionem in ſcholis Latinitatis auctores publice conſtitutos eſſe. Horum omnium locum, parabili magis venia, P. Cunæi ſcripta tenere poſſent: tam nitida ac terſa eloquentia referta ſunt. Quod tamen ne temere ſuadeamus, facit primarium illud commodum, quod ex ſolis vetuſtis ſcriptoribus hauriri poteſt, cognitio genii, ſive analogiam dicere velis, linguæ, &, qui inde maximam partem pendet, uſus interpretationis: eam autem nunquam magis corruptam vidimus, quam ubi præpoſteri homines, qui dictionis naturam & inde manantem ſenſus varietatem ignorabant, eam aggreſſi ſunt. Sed reprimimus nos, cum hanc rem latius exſequi non ſit propoſitum. P. Cunæi Epiſtolis, de quibus dicere locus admonet, omnium familiarum eruditi cum utilitate ſua fruentur. Ac illud quidem paucis docebimus. Epiſtola ſtatim VIII cum Apollonio Scotto noſter Cunæus pereruditе agit de loco quodam ſacrarum litterarum ex Eccleſiaſte, adductis etiam atque examinatis Rabbinorum opinionibus. Epiſt. XIV Chronologica tractat, & ſpecimine eleganti docet, fuiſſe Noſtro aliquando propoſitum ex ipſis hiſtoriarum monumentis, non ex Chronologorum placitis, temporis quandam rationem eruere, eamque cum temporibus ſacrorum librorum comparare: quanta autem difficultate illud ſit obſeptum, proxima epiſtola declarat. *Vigeſima* reſpondet Scottus ad dubia Cunæi circa ſententiam Papiniani, quod

Digitized by Google

exheredatio emancipati, rurſus arrogato tamen noceat: & ex Epiſt. XXIII liquet, quod Noſter in tractatione quadam *de his, quæ ſunt juris & facti*, & alia *de fructibus* verſatus ſit. Atque hujus generis plures ſequuntur. Eximia eſt Epiſt. XXVIII, qua narrat primo, quod a legatis Synodi propter ſcripta ſua, maxime propter Satyram, ſit conventus, quibus vero conſilium dederit, ut unus ex illis per litteras declararet, quæ Theologis viderentur improbanda: iisque ſuam defenſionem ſeſe adjecturum, ut poſtea utraque epiſtola conjunctim lucem adſpiceret. Quo loco acerbam de Daniele Heinſio querelam immiſcet, quem maxime adverſarium in eo negotio expertus erat. Et additur ſane Epiſtola *Balthaſaris Lydii*, Deputati Synodi Auſtralis Hollandiæ, qua vitia & errores ſcriptorum Cunæanorum non ſine dente & felle enumerantur. Ex. g. reprehendit, quod in Satyra ſcripſerit, *leve & venia dignum eſt mentiri;* ſe velle *fines ſcientiæ paullo longius, quam natura voluit, extendere*, idque vocat meram vanitatem; quod ſcripſerit, *locum ſingularem eſſe defunctorum eruditorum*. Taxat porro ipſum titulum *Sardi Venales*, quaſi eo profeſſus eſſet autor, Theologorum alium alio eſſe nequiorem: quæ interpretatio nihil habet vitii, niſi quod optimo Cunæo non adeo ſingularis, ſed latior, animo ſederit. Sed acrius carpit, quod exciderit Noſtro: *contentionem inter Theologos ortam de fato, re anili & plena ſuperſtitionis*, & multo plura, quæ longum eſſet enumerare. Notat etiam Præfationem in Cæſares Juliani, qua huic aliquot laudes impertiverit, quibus indignus ſit, & in aliter ſentientes paullo ferocior fuerit. In libris de Rep. Hebræorum tria carpit: 1 opinionem de Melchiſedeco, 2 quæ de fide Iſraelitarum nimis laxa, & 3 quæ de formulis fidei, contra mores ſæculi, ſcripſerit. Cunæus noſter his omnibus modeſtiſſimis litteris ſuis inde a pag. 61 usque ad pag. 74 reſpondet: ita quidem, ut pleraque vindicet; quædam tamen ex Theologorum voluntate corrigat; de omnibus autem pronunciet, velle ſe, quid quemque offendere poſſet, iterata editione omittere. Quæ utrum ex animi ſententia ſcripſerit, noſtrum non eſt inquirere. Scimus tamen, multa per fervorem ætatis adoleſcentibus excidere conſueviſſe, quæ ipſi provectioris ætatis nollent

ſcripta:

Digitized by Google

ſcripta: ſi modo attendere didicerunt, quid uſus vitæ, religio & ſalus publica, his moribus, exigat. Epiſt. XXXVII Franciſcus Junius mentem ſuam aperit ſuper quæſtionem: an Adamus toto illo centum & triginta annorum ſpatio (quo demum Geneſ. IV dicitur genuiſſe Schethum) nullam aliam, præter Hebelum & Kajinum, prolem ſuſceperit? & adfirmando reſpondet: ſimul docet, quid per imaginem Adami, ad quam Schethus genitus eſſe dicitur, intelligatur. Mox pag. 85 comparet monumentum Jo. Druſii Jo. Fil. qui anno ætatis ſuæ primo & vigeſimo exſtinctus eſt, ibi vero eruditiſſime cum Noſtro agit de verbis quibusdam R. Salomonis, aliisque ejusdem generis. Sequuntur cum aliæ, tum Hug. Grotii & Noſtri mutuæ Epiſtolæ, ex quibus advertebat nos Epiſt. LIX, qua, occaſione duarum Diſſertationum Buchneri, de eruditione Germanorum lepide judicat Cunæus. Deinde epiſt. LXII & LXIII Petro Bertio loca duo Scripturæ S. ex I Sam II & Geneſ. XV recte interpretatur. Epiſt. LXXXII de Jubilæo Hebræorum Willebrordus Snellius opinionem ſuam proponit, qui & proximis epiſtolis eruditas quæſtiones tractat. His ſubjunctæ ſunt Buxtorffiorum & Cunæi mutuæ, quibus quid agatur, qui Cunæi peritiam Hebraicæ linguæ perſpectam habent, facile divinabunt. Ex his, quas ad Benjamin. Auberium Maurerium, Galliarum Regis ad Fœderatos Belgas legatum, ſcripſit, memorabilis eſt Epiſt. CXVIII, qua cenſuram exercet, ſatis acerbam, in Dan. Heinſii Gratulationem de fœdere inter Venetos & Belgas inito. Non prætermittenda vero Epiſt. CXLI, quæ eſt Bernhardi Sutholtii ad Cunæum, poſtquam in caſtra Romano-Catholicorum erat transgreſſus. Multa ibi de conſilio ſuo, ita, ut ſeſe ſperare ſcribat, Cunæo aliquando idem placiturum: *nec enim*, inquit, *adduci poſſum ut credam*, *ei*, *qui in antiquitate qua eccleſiaſtica*, *qua prophana*, *tam diligenter verſatus eſt*, *improbari poſſe religionem catholicam.* Prætermus & multas alias, & quas Noſter cum *Hectore Bouricio*, *Niportio*, *Bacbovio*, *Broncborſtio*, *Camerario*, *Meurſio*, *Lindenbrogio*, commutavit. Plures ſunt, quas *Barlæo* ſcripſit & ab illo accepit, quibusque & litteras, & eorum temporum ſtatum, & privatas cujusque res valde illuſtrant. Cum *Henrico de Friſen* commercium habuit lit-

Digitized by Google

terarium, ut pag. 327 ſqq. videre licet. Epiſtola CCCV, quæ eſt ad *Jo. Fred. Gronovium*, egregie vindicat leg. 23 D. de R. J. ubi Gronovius pro verbis: ***in bis quidam & diligentiam***, corrigere tentarat: ***in bis quidam & negligentiam***: ſimul Gronovium hortatur, ut magis magisque Jurisprudentiæ tractationem capeſſat, atque, non dicis aut oſtentationis cauſa, ſed ſerio & bona fide totum ſe huic ſcientiæ dare velit. ***Nibil***, inquit, ***tibi aut ad nominis famam, aut ad vitæ plurima commoda poterit eſſe fructuoſius***: cujus rei Cunæus etiam Epiſt. XXXIII mentionem fecit. Atque hæc de Epiſtolis. In calce additur ***Oratio Cunæi in obitum Bonav. Vulcanii***, propter quam Noſter indigna multa perpeſſus eſt; usque adeo, ut concionator quidam in eum publice declamaverit, & ultricibus furiarum infernarum pænis dignum eſſe, affirmare non dubitaverit. Sed quam ob cauſam? quod nihil ea oratione de Chriſto, de pietate aliisque hujusmodi dixerit. Concionatorem illum pro merito depexum dedit Cunæus Epiſt. LXXVIII, quam omnino lege, addita Epiſt. LXV: unde facile conſtabit, per errorem Typographicum indicem dictæ Orationis præferre, habitam eam eſſe *Anno cIↃIↃcxxv*. Hinc jam patet, quantum debeamus ***Optimo Burmanno***, quod has delicias nobiſcum communicaverit. Sed non ſolum communicavit, verum etiam ornavit. Nam etſi non eo ſplendore prodeant hæ Epiſtolæ, quo Grotii, Voſſii, Caſauboni aliorumque ſeſe commendare poſſunt: alia tamen habent non minus grata & accepta. Addidit nempe paſſim Celeb. Burmannus adnotationes, quæ hiſtoriam privatam ac familiarem illuſtrant. Sic pag. 25 docet, qualis diſſertatio intelligatur, de qua Scottus non ſatis æque judicat: pag. 46 diritatem temporum illorum ex Actis Academicis aliisque monumentis ſiſtit, quum multi Profeſſorum, Arminianiſmi ſuſpecti, adnitentibus Theologis, muneribus publicis privati ſunt. Ex ſimilibus documentis plura videbis p. 134, 174, 189, 192, 229, 314, 326, 328, 359, 384, quæ, ut integram inde capias voluptatem, delibare non eſt conſilium. Quisquis vero es, qui hiſce epulis te ſaturabis, ſi litteras vere amas, Burmanno bene precari memento.

JO. FRIDER. WEIDLERI INSTITUTIONUM Mathematicarum Editio ſecunda,

Wittenbergæ, apud Georgium Marcum Knochium, 1725, 8.
Alphab. 2 plag. 12 fig. æri inciſ. plag. 6.

Liber hic primum A. 1718 in lucem prodiit, & eodem anno menſe Junio in his Actis noſtris p. 283 laudatus eſt. Autor ejusdem Cl. qui ex illo tempore excolendæ ulterius Matheſi operam navavit, cum in Inſtitutionibus ſuis Mathematicis paſſim ſelectiora aliqua ad ſolidiorem ſcientiarum explicationem ſpectantia monita adjici poſſe animadverteret, editione hac ſecunda talia afferenda & nonnulla alia mutanda cenſuit. Præcipue vero in Aſtronomia, Geographia, Chronologia & utraque Architectura, integra ſæpe capita denuo elaboravit, novisque figuris inſtruxit, ut librum docendis ad ejus ductum Mathematicis diſciplinis aptiorem redderet. Ita mox in oculos incurrunt mutationes ſequentes. In Aſtronomia p. 363 ſq. tabulæ Solares, p. 373 tabula æquationum temporis, p. 385 uberior motuum Lunarium explicatio, leguntur. Cap. 5 & 6 Theoricæ plurimas quoque mutationes ſubiiſſe manifeſtum eſt. In Architectura civili p. 655 ſq. artis tignariæ, & ſectionis lapidum elementa, p. 705 deſcriptionem orthographiæ ædium internæ, & alia deprehendimus, ut longe plura ſimilia prætereamus. In fine, præter logarithmos numerorum vulgarium, & ſinuum ac tangentium, qui in prima editione habebantur, ipſi ſinus & tangentes in ſecunda acceſſerunt. Pag. 646 promittitur Geometriæ ſubterraneæ tractatio, propediem vulganda, quæ quin grata eruditis futura ſit, minime dubitamus.

* * *

Etſi ſupra Menſe Martio hujus Anni p. 114 Cl. Danielis Bernoulli *Explanationem notationum ſuarum Supplementis inſerere conſtitueramus, attamen, cum illa in Sectione I Tom. IX Supplem. nuper edita locum invenire non potuerit, & altera Sectio diutius forte nobis differenda ſit, operæ pretium nos facturos putavimus, ſi eam hoc loco Lectori exhiberemus.*

DANIELIS BERNOULLI EXPLANATIO *Notationum ſuarum, quæ exſtant Supplem. Tomo VIII Sect. II.*

PRimum, quod obiter notavi in Riccatianis Animadverſionibus, verſatur circa æquationes (B) ac (D), quas æquali fere facilitate integrari obſervaveram, ac propterea vix conciliari poſſe verba Cl. Riccati, quibus poſterioris integrationem *majus artificium poſtulare*, prioris vero *nullo negotio* abſolvi aſſerit, atque hoc pacto fieri tranſmutationem formulæ (B) in alteram (D) quodammodo inutilem, utpote quam non alio inſtituit fine, quam ut poſterioris integratio fieret magis ardua: utque annotationem meam ſuffulcirem, oſtendi, quam facile ſit æquationem differentialem ſecundi ordinis (D) ad ſimpliciter differentialem reducere. Quid vero in iſta reductione deſiderandum ſit, prorſus ignoro, nec adeoque video, quo titulo, me actum egiſſe, dicere queat Doctiſſimus Riccatus in ſua appendice. Quod ſi ipſe inſignis Vir loco formulæ (D) aliam dediſſet, ſui integrationem denſiori velo occultantem, non ſolum extra memoratam ſe poſiturus fuiſſet cenſuram, ſed & ſimul melius ingenioſiſſimæ ſuæ methodi æquationum reducendarum præſtantium manifeſtaturus, hocque unicum fuit, quod deſideravi, dum dicerem, *recte quidem aſſerit Ill: Riccatus, ſæpiſſime difficulter methodo, quam vocant* a priori, *integrari, cujus integratio* a poſteriori *nullo negotio exhiberi poteſt: ſed exemplum, quo illud probare contendit, ſcopo, quem habet, non ſat bene reſpondere videtur*: quæ verba non ita interpretanda velim, ut fecit Cl. Riccatus, quaſi nimirum credidiſſem, ſcopum primarium ipſi fuiſſe, exemplo monſtrare, quam difficile ſit *a priori* integrare formulas, quarum integratio *a poſteriori* conſtat; facile enim quilibet perſpicere poteſt, Virum Acutiſſimum in animo habuiſſe oſtendere, quomodo dignoſci ab invicem queant æquationes differentiales ſecundi gradus, quæ pro ſua reductione conſtantis poſitione opus habeant vel non habeant; optimeque inſtituto ſuo præcipuo defunctus eſt. Attamen hoc non impedit, quin digreſſionem illam, qua æquationi (B) aliam inducit formam, videatur eo fine feciſſe, ut novam exhiberet formu-

formulam, veluti (D) majus integrationis artificium poſtulantem & cujus ſimul integratio *a poſteriori* pateret: nec male hic applicantur verba ipſiſſima Cl. Riccati: *dum ſynthetica via inſiſtimus, ea difficultates, de quibus ſermo erit, vix occurrunt, quæ tamen evitari nequeunt, ſi problema aliquod proponatur ſecunda elementa involvens & analytica methodo procedendum ſit.*

Non credidiſſem, hanc meam in Riccatianas Animadverſiones annotationem, ipſum Riccatum parum vel nihil offendentem, tanta explicatione indigere, nec illam dignam exiſtimaſſem, de qua vel verbulo mentionem moverem, niſi magnam partem Doctiſſ. Riccati appendicis in ipſius refutationem collineare vidiſſem.

Secunda mea notatio indicat errorem, quem ex inadvertentia in animadverſiones Riccatianas irrepſiſſe, atque corrigi poſſe, dixi, ſi pro 1^y ſcribatur n^y, ubi per n intelligitur numerus, cujus logarithmus eſt unitas. Hic conqueritur Cl. Riccatus in appendice ſua de mea ſincera agendi ratione, inquiens, tales errores corrigendos eſſe, non notandos. Mihi ſane videor id ipſum feciſſe, quod deſiderat; correxi enim errorem eundemque indicavi, non notavi, expreſſis innuens verbis, errorem irrepſiſſe *ex inadvertentia*; melius meo quidem judicio feciſſet confitendo talem *inadvertentiam*, nec ſummis Viris ignominioſam, quam errorem attribuendo oſcitantiæ in exſcribendo; vix enim veriſimile eſt, in eundem calami errorem bis incidere, atque dum ſe ab inadvertentia purgare conatur, obſcuritatis ſe accuſat: nam ſi loco unitatis ſcripſiſſet litteram c, deniſiendum fuiſſet, quid intellectum velit per litteram illam a novo introductam & mox aliam ſignificationem accepturam, in ſequentibus enim per c intelligit quantitatem quamcunque conſtantem.

Tertia mea in Doctiſſimi Riccati animadverſiones notatio pertinet ad ipſius demonſtrationem, qua oſtendere ſibi propoſuit, formulam $-ddy = dy^2$ logarithmicam repræſentare. Nemini certe demonſtrationem illam perlegenti ſuſpicionem non movebit Cl. Riccatus, ſe in illa id ipſum ſuppoſuiſſe, quod oſtendere ſibi propoſuerat: unde mihi videor non absque ratione indicaſſe, latere petitionem principii in demonſtratione Riccatiana.

Verum

Digitized by Google

Verum ipſa demonſtrationis verba ſecundum Autoris mentem correcta transſcribam; *remanet*, inquit Cl. Riccatus, $-ddy = dy^2$, *vel* $-ddy;dy=dy$, *& integrando log.* $dx:dy=y$, *vel* $dx:dy=c^y$, *hoc eſt* $dx=c^y dy$, *& tandem* $dx:x=dy$, *quæ æquatio dat Logarithmicam vulgarem.*

In hujusmodi demonſtrationibus, ni fallor, quælibet æquatio ita ex præcedenti deduci debet, ut deductionis principium ſit ſimplex & omnibus obvium: hoc ipſum in memorata demonſtratione egregie obſervatur; ubique enim talis inter duas proximas æquationes eluceſcit connexio, ut transformationis fundamentum ſimpliciſſimum ſit atque vel primis tyronibus obvium. Quis itaque non eodem modo comparatas judicet duas ultimas æquationes $dx=c^y dy$ & $dx:x=dy$, atque credat, unica opus eſſe per ſe clara ſubſtitutione, ut ex priore habeatur formula poſterior? Hoc autem ſi ſit, neceſſario transformationis fundamentum eſt ſuppoſitio æqualitatis inter x & c^y; etenim diviſo primo æquationis penultimæ membro per x & altero per c^y obtinetur æquatio poſterior, unde manifeſte ponitur $x=c^y$, quæ æquatio Logarithmicam repræſentat, adeo ut in Riccatiana demonſtratione ad ipſum ſupponatur, quod eſt in quæſtione.

Expoſitam meam notationem ut eluderet Riccatus, quærit, *quomodo hariolari potuerim, ſe ad deductionem proceſſiſſe non niſi ſubrogando x pro* c^y? Hariolatione ſane opus non eſt, ubi ſola contemplatio demonſtrationis ſufficit: niſi enim longam multarum ſubſtitutionum concatenationem inſtituere velit, nunquam formulam $dx=c^y dy$ tranſire faciet in alteram $dx:x=dy$ abſque petitione principii; talem vero transformationum ſeriem, ſi tanquam notam & obviam ponere velit, tota demonſtratione ſuperſedere potuiſſet: nam longe magis obviam puto tranſitionem primæ formulæ in penultimam, quam hujus in ultimam. Vitio itaque petitionis principii ſi libera eſſet demonſtratio, inſigni defectu laboraret. Sed huic ſive vitio ſive defectui optime medetur Vir Eruditiſſimus in appendice ſua, ubi demonſtrat *identitatem* inter æquationes $dx=c^y dy$ & $dx:x=dy$, quam equidem demonſtrationis partem male ante omiſſam eſſe (ſi modo, ut dicit, conſulto omiſit) ex eo conſtare poteſt, quod illa

illa ſola multum excedat reliquum demonſtrationis. Quod ſi forſan nimium & intempeſtivum brevitatis ſtudium omiſſionis illius cauſa fuerit, potuiſſet eadem brevitate & iisdem fere verbis totam demonſtrationem abſolvere (niſi forſan Paternorum ſcriptorum allegationem faſtidiſſet) hoc modo: *remanet* $-ddy = dy^2$, *vel* $-ddy : dy = dy$, *& integrando log.* $dx : dy = y$, *vel* $dx : dy = c^y$, *hoc eſt* $dx = c^y dy$, *& rurſus integrando* $x = c^y$, *(eſt enim* $c^y dy = dc^y$, *vid. Act. Lipſ. 1697 p. 129.) quæ æquatio dat Logarithmicam ordinariam; vid. Act. cit. p. 132.*

Sed relictis his cum nimis trivialibus, tum parum ad analyſis perfectionem contribuentibus, propero ad ſolutionem elegantiſſimi problematis Riccatiani, quam in Act. Lipſ. promiſi.

SOLVTIO PROBLEMATIS RICCATIANI propoſiti in Act. Lipſ. Suppl. Tom. VIII p. 73.

Problema a Cl. Com. Jac. Riccato propoſitum paucis immutatum ad hanc ſimpliciorem formulam reduci poteſt (A) $ax^n dx + uudx = bdu$, in qua valores exponentis n determinandi ſunt, ut ſuccedat indeterminatarum ſeparatio, & æquationis conſtructio per ſolas quadraturas. Solutioni ſequentia duo Lemmata præmitto.

Lemma primum. Si formula (A) ſeparationem indeterminatarum admittit in caſu ($n = m$), admittet quoque in caſu ($n = -m : \overline{m+1}$).

Demonſtr. Poſita $u = y^{-1}$ & $du = -y^{-2} dy$, tranſit formula (A) in hanc aliam $ax^n dx + y^{-2} dx = -by^{-2} dy$, quæ multiplicata per yy atque tranſpoſitis duobus primis terminis habetur $dx + ax^n yy\, dx = -bdy$, in qua ultima formula ponatur $x = s^{1:\overline{n+1}}$ & $dx = \frac{1}{n+1} s^{-n:\overline{n+1}} ds$ & habebitur $\frac{1}{n+1} s^{-n:\overline{n+1}} ds + \frac{a}{n+1} yy\, ds = -bdy$, quæ formula cum ſimilis ſit formulæ (A) atq; ex hac originem duxerit, manifeſtum eſt, quod ſi caſus ($n = m$) reddat formulam (A) ſeparabilem, alterum caſum ($-n : \overline{n+1} = m$) ſeu ($n = -m : \overline{m+1}$) idem eſſe præſtiturum. Q. E. D.

Lemma ſecundum. Si formula (A) ſeparationem indeterminatarum admittit in caſu $(n=m)$, admittet quoque in caſu $(n=-m-4)$

Demonſtr. Poſita $u=-bx^{-1}+x^{-2}y$, & $du=bx^{-2}dx-2x^{-3}ydx+x^{-2}dy$, tranſit formula (A) in hanc aliam $ax^{n}dx+bbx^{-4}dx-2bx^{-3}ydx+x^{-4}yydx=bbx^{-2}dx-2dx^{-3}ydx+bx^{-2}dy$, ſeu $ax^{n}dx+x^{-4}yydx=bx^{-2}dy$, in qua, ſi multiplicetur quilibet terminus per xx, habetur $ax^{n+2}dx+x^{-2}yydx=bdy$; In hac poſteriori formula ponatur $x=s^{-1}$ & $dx=-s^{-2}ds$, ut habeatur $-as^{-n-4}ds-yyds=bds$, quæ formula cum rurſus ſimilis ſit formulæ (A), ſimulque hæc in illam tranſire poſſit, palam eſt, quod ſi formula (A) ſeparationem indeterminatarum admittit in caſu $(n=m)$, eandem quoque ſeparabilem fore in caſu $(-n-4=m)$ ſeu $(n=-m-4)$ Q.E.D.

Præmiſſis hiſce duobus Lemmatibus nullo negotio jam ipſa problematis ſolutio obtinetur. Conſidero hunc in finem, quod exiſtente in formula (A) $n=0$, ſeparatio indeterminatarum ſuccedat dividendo tantum formulam per $a+uu$; primus itaque ſeparabilitatis caſus eſt $(n=0)$ qui per Lemma ſecundum alium ſeparabilitatis caſum dat $(n=-4)$, cujus ope per Lemma primum obtinetur iterum novus caſus $(n=-\frac{4}{3})$, qui rurſus per Lemm. ſec. convertitur in $(n=-\frac{8}{3})$, & ſic alternando applicationem Lemmatum duorum in infinitum ſemper novi deteguntur valores pro exponente n, qui omnes continentur in formula catholica $n=\frac{-4c}{2c\pm 1}$, ubi c ſignificare poteſt quemcunque numerum integrum ſive affirmativum, ſive negativum. Q.E.I.

Apparet ex his, præſens problema Riccatianum eſſe curioſiſſimum, idemque habere præ reliquis quæſtionibus in difficillima hac materia proponi ſolitis particularem elegantiam ſimul ac utilitatem; mirari proin ſubit, nullam hucuſque in Act. Lipſ. ſolutionem hujus problematis comparuiſſe. Interim in ſolutione noſtra quædam notanda veniunt.

Infinitos ſeparabilitatis caſus continet formula (A), nec tamen generalem ſuarum indeterminatarum ſeparationem admittit, imo vix poſſibile reputo vel unum caſum in formula noſtra

catho-

catholica non contentum eruere; ſi vero talis inveniri particulari quadam methodo poſſet, ille ſolus infinitos alios ſuppeditaret; non ſecus ac primus caſus ($n=0$) infinitorum origo fuit.

Omnes ſeparabilitatis caſus a nobis determinati negativi ſunt, atque anguſtos habent cancellos 0 & -4, quos nunquam transgrediuntur; aſſumto autem numero c infinito, fit $n=-2$, adeo ut hiſce veſtigiis inſiſtendo non niſi per infinitas ſubſtitutiones in formula (A) indeterminatas ſeparare liceat, poſita in illa $n=-2$, ſed aliis methodis facillime id obtinetur. Si enim in formula $ax^{-2}\,dx + uu\,dx = b\,du$, ponatur $u=y^{-1}$ (ut in Lem. 1) fit $a\,x^{-2}\,dx + y^{-2}\,dx = -by^{-2}\,dy$, in qua conſtat indeterminatas ſeparationem admittere eo, quod in ſingulis terminis indeterminatæ eandem habent exponentium ſummam: imo caſum ($n=-2$) reddere formulam (A) non ſolum ſeparabilem, ſed & integrabilem, Mathematicorum neminem fugit: altioris vero indaginis puto, integrationis methodum in reliquis ſeparabilitatis caſibus exhibere, quod problema ſolutionem admittere vix credidiſſem, niſi prius ex Fratre meo Nicolao intellexiſſem, ſe illius ſolutionis compotem eſſe: excipiendus tamen eſt caſus ($n=0$), in quo æquationis conſtructio dependet a quadratura circuli. Solutionem meam poſterioris hujus problematis alia occaſione communicabo, ne ipſi Cl. Riccato ultimam hanc problemati ſuo perfectionem dandi anſam & deſiderium præripiam.

M. JOANNIS JARCKII SPECIMEN Hiſtoriæ Academiarum Eruditarum Italiæ. Accedit Index Academiarum Italiæ omnium.

Lipſiæ, proſtat in officina Gleditſchiana, 1725, 8.
Plag. 7.

EGregium Tibi, Lector, Specimen ſiſtimus, capita nempe duo priora majoris operis de Italorum Academiis Artium & Scientiarum, quorum primum de Academiis Eruditorum Pedemontanis & Montisferratenſibus, alterum de Mediolanenſibus conſcriptum eſt: quibus accedit Index ſubitaneus Academiarum Italiæ plusquam quingentarum, ſecundum alphabeti ordinem, addi-

additis locis annisque, quibus floruere vel reſtitutæ ſunt, diſpoſitarum. Tantum vero abeſt, ut Cl. Jarkius ſe ſolum hujus Prodromi Autorem venditet, ut multa ſe debere profiteatur ultro tum ſcholis litterariis Cl. *Michaelis Richey*, Hiſtor. & Græcæ linguæ in Gymnaſio Hamburg. Prof. Publ. tum imprimis humanitati Cl. *Jo. Gottlieb Krauſii*, Prof. Eloquentiæ in Academia noſtra extraord. qui quæ multa diligentia eam in rem collegerat, liberaliter omnia cum Noſtro communicavit; nec parum ſe profeciſſe fatetur e Bibliothecis noſtris, Senatoria maxime & Menckeniana. Capite I ab extrema Italiæ parte incipiens, Auguſtæ Taurinorum commendat *Incultorum* & *Unitorum* Academias, ſimulque *Fulminales* & *Solitarios* ſeu *Solingos* memorat, quorum tamen aliud videtur fuiſſe inſtitutum. Braydæ, quæ Pedemontii urbs eſt, non agri modo ſed & ingeniorum, maxime Poetarum, fertilitate nobilis, inde ab aliquot annis floret *Innominatorum* Academia, Arcadiæ Romanæ Colonia, quam præter alios, Jo. Bapt. Recanatus & Jo. Bapt. Bianchus, celeberrima nomina, illuſtrant. Caſalis circa A. 1566 *Illuſtrati*, a Stephano Guazzo inſtituti, florebant, quorum ſymbolum Sol oriens & Luna occidua, cum Lemmate: LUX INDEFICIENS. Plures ſuppeditat Caput II, Mediolani nempe, Academiam *Phœnicis*, *Transformatorum*, in quibus eminebat M. A. Majoragius, *Heliconiam*, *Inquietorum*, *Ariſophorum*, *Partheniam minorem*, *Intentorum*, quibus & adſcripta fœmina, Iſabella Andreina (niſi malis illam Papienſium *Intentis* cum Bælio vindicare) *Collegium Ambroſianum*, (cujus a Federico Borromæo inſtituti ratio cum Academiarum moribus per omnia convenit) Joſ. Ripamontio, Octavio Ferrario, P. P. Boſcha & longe pluribus illuſtre, *Incertorum*, a Felice Oſio, *Hermatenaicorum*, a J. P. Puricellio inſtitutorum, *Abſconditorum*, *Faticoſorum*, ſeu Laborioſorum, in quibus hodieque multi clarent, & *Caſſinianam*. Noti & illic *Arcades*, Coloniam Romanam conſtituentes, &, qui nuper coiere, *Palatini* Socii (quibus Scriptorum rerum Italicarum opus immortale deberi, jam ſæpe in his Actis monuimus) pro Symbolo habentes natricem, quæ, flumine relicto, campos petit radiisque Solaribus ſe exponit, additis verbis: INCALVERE ANIMI. Nec præ-

prætermittit Noſter recentiſſimam Academiam Philoſophiæ experimentalis, quam, ut Autoris verbis utamur, in ædibus propriis inſtituit doctiſſima fœmina *Clalia Grillo-Borromaa*, Comitis Jo. Borromæi conjux, & æmula ſororum eruditarum, *Thereſia*, Camillo Pamphilio Principi nuptæ, inter Arcades *Irenes Pamiſia* nomine celebris, quæ Etruſci carminis venuſtate eam laudem eſt conſecuta, ut etiam Commentario quædam ejus illuſtrata ſint a Juſtiniano Pagliarino; & *Genevra* Marchioni Trevici matrimonio junctæ, ejusdem quoque Philoſophiæ non minus ſtudio, quam pura dictionis Latinæ facultate clariſſimæ. Cum enim Princeps eruditiſſima, præter cognitionem linguarum, Etruſcæ, Latinæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, Anglicæ, nec non quarundam Orientalium; præter Theologiæ, moralis Philoſophiæ, Hiſtoriæ ſacræ veteris & recentioris & diſciplinarum Mathematicarum, Algebræ vero cumprimis, exquiſitiorem notitiam; Philoſophiæ maxime experimentalis ſtudio ducatur, viros quosdam eruditos incendit, ut ſociata opera ipſius auſpiciis naturæ arcana rimarentur. Horum moderator nunc eſt Celeb. *Antonius Valliſnerius*, Prof. Patav. qui leges Academiæ conſignavit, & quotannis congreſſibus Academicis ſe interfuturum & diſſertationem hiſtoriæ naturali illuſtrandæ recitaturum promiſit. Poſtremo Autor Academias & olim & nunc Mediolani florentes Architectorum, Pictorum & Muſicorum ſubjunxit, nihil omittens eorum, quæ huc facere poterant. Nos ut ſpecimina plura e libello paucarum plagularum proferre ſupervacuum putamus, id tantum monentes, quod ſubinde Academicorum ſeu Sociorum Vitæ larga manu adſpergantur, ita optamus, ut opera hæc non inelegans brevi continuetur, etſi ipſe quidem Autor omnem ejus pertexendæ ſpem in Præfatione abjecerit. p. 63. ſſ.

ELOGIUM D. MICHAELIS FOERTSCHII.

OBiit ſuperiore anno, incredibili Academiæ Jenenſis, vel univerſæ potius eccleſiæ Evangelicæ jactura, celeberrimus & ex his quoque Actis noſtris notiſſimus Theologus D. Michael Fœrtſchius, de quo nonnulla jam ad ſervandam ſummi Viri

memoriam allaturi ſumus. Editus is in lucem fuit *Werthemii* in Francis, A. C. MDCLIV, ac cura parentum, Jacobi Fœrtſchii, graviſſimi reip. oppidanæ Werthemenſis Senatoris, ac Margarethæ, ex ſplendida Elwortorum gente prognatæ, in juris nominiſque Chriſtiani tabulas ex ſacris undis relatus eſt. Qui quidem parentes optimi ſingularem dederunt operam, ut ſuo ne deeſſent officio in recte educando filio egregiæ indolis. Quare poſt rudimenta diſciplinæ privatæ deduxerunt eum in Gymnaſium Durlacenſe, in quo graviſſimis ingenii formandi magiſtris, *Joanne Fechtio*, qui poſtea Academiam Roſtochienſem ornavit, ac magnam nominis famam conſecutus eſt, atque *Arnoldo* uſus, eximiæ induſtriæ dedit exempla. Hinc A. MDCLXXII ad Academiam Argentoratenſem acceſſit, & Theologis celeberrimis *B. Bebelio* & *S. Schmidio* diligentiſſime adfuit, omnemque honeſtiſſimam ingenii cauſa operam pertulit. Neque vero tum neglexit ullo modo ceterarum artium diſciplinarumque cultum, ſed in vario optimarum litterarum genere *Obrechtum*, *Fauſtum*, & *Zentgravium* duces elegit, ac præſidio Obrechti munitus A. MDCLXXIV *de cenſu Auguſti* non ſine laude diſputavit. Tandem A. MDCLXXIIX Jenam diſceſſit, & hujus doctoribus Academiæ *Muſæo*, *Bayero*, *Bechmanno* ſe totum tradidit. Eadem contentione poſtea Helmſtadii cœptum doctrinæ augendæ curſum perſecutus eſt, *Titiumque* in primis & *Conringium* audivit. Ita magnopere confirmatus, diutius latere non potuit, ſed tulit virtutis atque eruditionis præmium, cum A. MDCLXXXI munus ſacerdotis in aula Sereniſſimi Marchionis Badenſis FRIDERICI, ſimulque Profeſſoris Theologiæ in Gymnaſio Durlacenſi provinciam impetraret. Paucos poſt annos in Academia Gieſſenſi ſummos Doctoris Theologi honores conſecutus, ſua effecit virtute, ut altius adſcenderet. Primo enim A. MDCLXXXIIX in locum Fechtii ſucceſſit, ac ſummam curam ſacrorum in aula Durlacenſi ſuſcepit, ſimul in dignitatem Abbatis Lœracenſis evectus. Anno vero MDCXCV Sereniſſimus Princeps EBERHARDUS LUDOVICUS, Dux Würtenbergicus, Tubingam Noſtrum evocavit ad docendam Theologiam. Cujus loci atque Academiæ tanta tenebatur charitate, ut nullis aliunde

oblatis

Digitized by Google

oblatis conditionibus lautiſſimis abſtrahi ſe pateretur, donec tandem A. MDCCV ceſſit voluntati Dei deſiderioque Sereniſſimorum Ducum Saxoniæ, & in Jenenſem abiit Academiam, ut principem ibi Ordinis Theologici locum ornaret. Ubi quidem omnibus graviſſimis muneribus rite adminiſtrandis nullum officii genus prætermiſit, ac tam pulchre, tamque aſſidue verſatus, ut unice aliorum ſaluti contuluerit, nec ulla fere commoda præter curas & ſollicitudines arduarum provinciarum ſibi reliquerit. Magiſtratu quoq; Academiæ quater functus eſt: Collegio ſacro cum honore tituloque Decani perſæpe præfuit, nec in his laborum partibus ullam bene merendi rationem neglexit. Propter quam munerum gravitatem licet multis variisque diſtrictus fuerit negotiis, edidit tamen varios libros, & diſquiſitiones pereruditas, quibus immortalem ſibi famam peperit. Potiorum commentationum nomina hæc ſunt: Chriſtianiſmus in Deo quietus, contra Quietiſtas, Germanice editus; Ambroſii de officiis libri III cum manuductione ad philoſophiam moralem, jurisprudentiam naturalem & Chriſtianam veterum eccleſiæ doctorum; Diſſertationum Theologicarum ſelectarum Decas, cum appendice duarum Orationum; Selectorum Theologicorum Breviarium; Controverſiarum ſacrarum recentiorum & nobiliorum nucleus & illuſtramenta; Diſſertatio epiſtolica ad Jo. Fechtium de notitia rerum divinarum & ſacrarum in irregenito; Commentatio in epicriſin epiſtolicam Joach. Langii; Deductio brevis, ſed fundamentalis hiſtorico-analytico-theologica de ſtatu controverſiæ circa notitias rerum ſacrarum in irregenitis, loco apologiæ repetitæ pro Diſſertatione epiſtolica, & Commentatione; Manuductio ad Theologiam Comparativam; Informatorium de vocatione interna, ſermone vernaculo editum; Antiquitas, & vera gloria Chriſtianiſmi; Reſponſum de unione Proteſtantium a Tubingenſibus propoſita, quæ utraque ſcripta itidem Germanice prodierunt. Tacemus Diſſertationes Academicas & numero multas, & graviſſimi eas argumenti. Sed vitam privatam domeſticamque quod attinet, habuit primo in matrimonio Sophiam Barbaram, Nobiliſſimi Leiblini, a conſiliis Sereniſſ. Principis Durlacenſis de ærario adminiſtrando,

filiam,

filiam, ex qua, præter tres filios, jam diu fato functos, unicam progenuit filiam Auguſtam Catharinam, quæ nupſit poſtea Viro Max. Rever. Jo. Philippo Storrio, qui Heilbrunnæ ſacerdotii munus recte obiit, ac Gymnaſio præfectus, in explendis curarum partibus nemini ceſſit, νῦν ἐν ἁγίοις. Alterum vero matrimonium, amiſſa priori dulciſſima conjuge, Fœrtſchius iniit cum Clara Hedwigia, Conſiliarii Illuſtriſſimorum Comitum Loevenſteinenſium & Werthemenſium MALEY vidua, gente Hilgeria, quo quidem in exoptatiſſimo conjugio nil præter fœcunditatem deſideravit. Ea vero uxore pariter morte erepta, tertias celebravit nuptias cum Maria Chriſtina, Eliæ Caſp. Judelii, Med. Doct. & Phyſici Oppidani, vidua, ex qua prolem quidem haud ſuſcepit; privignam vero Suſannam Mariam, virginem caſtiſſimam, Jo. Reinardo Ruſio, Prof. Jen. nuptum dedit. Ceterum unica optimi viri cogitatio ac cura fuit de honore Dei, & religionis diſciplina, de ſalute Academiæ, in qua docuit, atque ſtudioſæ juventutis utilitate, adeo, ut nullam temporis partem ſibi eripi paſſus fuerit, quin novam laudis & emolumenti meditaretur materiam. Clades domeſticas, funera liberorum acerba, ac jacturam uxorum non unam moderate tulit, fretus ſpe æternæ felicitatis. Poſtremo & ſenectute, & morbis aliis, maxime pedum dolore & infirmitate confectus, adeo plenus ſomno extitit, ut vitæ appropinquare finem ipſe ſentiret. Rite ergo accinctus, opera potiſſimum D. Weiſſenbornii ad mortem ſine timore ſe paravit, quæ placida ipſi & beata obtigit A. MDCCXXIV, D. IV April. ſolennique cerimonia juſta illi perſoluta ſunt D. VII Maji.

* * * * * *
* * * *

Luctuoſum fuiſſe ſuperiori anno Academiæ Salanæ obitum venerandi Senis, modo expoſuimus; at multo gravius nunc Witteberga duos luget Theologiæ Profeſſores, *Jo. Guil. Janum*, VI Cal. Sept. & *Martinum Chladenium*, III Idus Sept. utrumque intra paucos dies in vegeta ætate exſtinctum, quorum proxime Elogia cum Lectore communicabimus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCC XXV.

THESAURUS ANTIQVITATVM ET HIſtoriarum Siciliæ, digeri cœptus cura & ſtudio JO. GEORGII GRÆVII, cum Præfat. PETRI BVRMANNI &c.

Vol. XI, XII, XIII, XIV, XV.

Lugduni Bat. excudit Petrus vander Aa, 1725, f. Alph. 24, Fig. Tabb. max. & med. 73, præter paſſim textui inſertas.

Tandem quinque ultimos pretioſiſſimi hujus Theſauri Tomos exhibemus, quibus omnibus unam Præfationem pro more præmiſit Celeb. Burmannus. Tomo XI comparent primo loco *Jo. Bapt. Guarnerii*, Senatui Catan. a Secretis, Diſſertationes hiſtoricæ Catanenſes, quas, Italico idiomate Catanæ 1651, 4 editas, Latine vertit, plurimisq; Obſervationibus & Præfatione auxit Vir. S. R. *Jo. Laurentius Mosheim*, Theol. D. & Prof. Publ. in Academia Helmſtad. In his cum Autor doctus Petri Carreræ de antiquitatibus Catanenſibus librum ſupplere voluerit, eoque duplicem proferat de origine Catanæ ſententiam, ac præterea vitam & cultum S. Agathæ prolixe exponat, hinc Cl. Interpreti nata occaſio, ut in Præfatione in utramque ſententiam accurate inquirat, & de vitæ S. Agathæ ſcriptoribus ejusque actis agat pererudite. Sequuntur *Vincentii Mirabellæ & Alagonæ*, atque *Jacobi Bonanni & Columnæ, Ducis Montalbani*, libri *de antiquis Syracuſis*, quos antea rariſſimos, ſimul Italico ſermone, quo ſcripti ſunt, novoque ornatu recuſos fuiſſe novimus

 Panor-

Panormi ſub titulo: *Delle antiche Siracuſe*, 1717, fol. duobus Voluminibus, quorum primo *Bonannus*, altero *Mirabella* cum Ge. Gualtheri Tabulis & excerptis e Cluverio & Aretio (quæ cuncta aliis in locis Collectionis noſtræ integra extant) continetur. Utrumque hic Latinitate donavit, nummis & figuris aliis auxit, notisque illuſtravit Cl. *Sigeb. Havercampius*, qui cum primo loco Mirabellæ Chronographiæ Syracuſarum antiquarum ut & Numiſmatum urbis veterum explicationem ſiſtendam putaret, ſimul eam diligenter cum *Bonanno*, qui ſæpe ab illo diſceſſerat, comparat, illumque contra hunc defendit, præterea loca autorum Græcorum & Latinorum paſſim adducta reſtituit. Mirum vero, utrumque hunc Autorem plagii accuſari, quandoquidem Cl. Burmannus obſervat, Petrum Carreram, ſcriptorem Siculum, non ſolum Mirabellæ errorum centuriam, & linguæ Latinæ & Græcæ ignorantiam & ordinis equeſtris vanam oſtentationem, cum ignobili parente natus fuerit, objeciſſe, ſed & diſerte teſtatum, ejus deſcriptionem Syracuſarum antea collectam fuiſſe a *Joſepho Menniti*, Sacerdote Syrac. ſtylum illi & dictionis Italicæ elegantiam commodaſſe *Franc. Paternum*, diſſertationes Numiſmaticas deberi *Octavio Cajetano*, ipſam etiam Dedicationem ad Philippum III trium Patrum fœtum eſſe. Sub Bonanni vero nomine ipſum P. Carreram latere voluiſſe, Cl. Burmannus Mongitoris & ipſius Carreræ autoritate probat, ita ſimul de autore judicans, ut ejus eruditionem & diligentiam, imo & dexteritatem (quod Viros illuſtres multos, quos libro II integro deſcribit, Syracuſanis vulgo adſcriptos, veræ patriæ vindicet) laudet, ſed, quod in Siculo, & qui antiquas Patriæ res ab antiquitate debet & vult repetere, maxime deſiderandum, non ſatis a Græcæ linguæ intelligentia inſtructum fuiſſe fateatur.

Volumine XII exhibetur *Jo. Pauli Chiarandæ* Plutia ſive Platia Civitas Siciliæ antiqua, nova, ſacra & nobilis, Meſſanæ 1654, 4 Italice edita, & a Cl. *Mosheimio* Latine verſa, notisque illuſtrata, additis Academiæ Platienſis (*L' Academia Piazzeze*) elogiis fratrum Chiarandarum, Neapoli 1651, 4 editis, quibus ad edendum hoc opus excitati ſunt. Autor Cluverium ſæpe ſecutus ita, ut quæ vel illi, vel huic debeantur, vix pateat, conciſo quoque

que nimis dictionis genere uſus, ſententiæ parum probatæ de gigantibus adhæret, pleraque debet ſcriptoribus aliis, ſed ineditis, denique B. Virginis imaginem manu Lucæ in vexillo Rogerii depictam veram eſſe, & ex traditione, quæ prior & majoris autoritatis Noſtro eſt ipſis Sacris litteris, & aliorum teſtimoniis probat; contra Cl. Burmannus ex Octavio Cajetano & Roccho Pirro probat, rem non admodum veriſimilem. *Marii Pace* Antiquitates Caltagironis, Neapoli 1631 editæ, nunc a Cl. *Havercampio* Latine verſæ, notisque illuſtratæ, breves quidem at ſingulari eruditione conſpicuæ ſunt, & obſervationibus, quas hic vix exſpectes, refertæ. Ubi tamen ex Cœlio Rhodigino laudat *Demetrium Celerianum*, qui unum e Cyclopibus, Briareum, filios habuiſſe *Sicanum* & *Ætnam*, ſcripſerit, Cel. Burmannus, Demetrium Calatianum, quem a Strabone & Laertio laudatum memorat Cl. Fabricius Bibl. Gr. L. V p. 391, intelligendum exiſtimat. *Mariani Perelli* Antiquitas Scicli, quam olim vocarunt Casmenas, Italice vulgata Meſſanæ 1640, 4, eodem Interprete nunc Latine prodit, libellus eſt perexiguus, nec ineruditus, quamvis a P. Carrera impugnatus. Magis tamen de patria ſua meritus videtur *Vincentius Littara*, qui de rebus Netinis Libros II, originem urbis agrique & illuſtrium virorum monumenta complexos, cum Netinorum conſuetudinibus & B. Conradi Placentini Hiſtoria Panormi 1593, 8 edidit; quos multis laudatos cum conſequi fere deſperaret Nob. Editor, Apographum demum ejus, etſi a linguæ Latinæ imperito exaratum, impetravit a Viro S. R. Ludovico de Targny, S. Fac. Pariſ. Doct. Theologo, S. Landi Abbate, Bibl. Regiæ Par. Curatore. Ceterum, cum *Oct. Cajetanus* Hiſtoriam D. Conradi, cujus miracula paſſim Autor Operi inſperſit, Vitis ſuis Sanctorum Siculorum inſertam notulis illuſtraverit, eas in hac editione addere placuit. *Placidi Carrafæ* Motuca illuſtrata, Panormi 1653, 4 edita, hactenus rariſſima fuit, quam, tametſi Autor paullo nimis credulus videatur, & ob dictionis barbariem merito nauſeam excitaverit Cl. Burmanno, non omittendam, paſſimque per notulas ad puritatem reducendam putavit Editor. Claudit hoc Volumen *Auguſtini Inveges*, Sacerdotis Siculi, cujus varia, ſed extra Siciliam rariſſima ſcripta proſtant, Carthago Sicula,

Digitized by Google

quam Panormi 1651, 4 editam, pariter Latine vertit ſæpe laudatus *Havercampus*, opus tribus quidem Libris ab Autore diviſum, e quibus duos tamen priores tantum, primum nomen, ſitum & originem antiquiſſimæ civitatis Caccabes, quæ nunc Caccamo dicitur, erudite explicantem, & ſecundum, qui familias nobiles ibidem florentes illuſtrat, Autor ipſe vulgavit; tertium vero, quem diu in manibus Jo. Mariæ Amati & ſuo tempore ſub prelo fuiſſe, teſtatur Mongitores, nullo modo conſequi hactenus Editor potuit.

In Volumine XIII primum locum occupant Viri doctiſſimi & in Græcis Latinisque ſcriptoribus vetuſtis ad miraculum usque verſati, *Mariani Valguarneri* Antiquitates Panormitanæ, quæ Panormi Italico idiomate prodierunt 1614, 4, nunc a S. R. *Mosheimio* ita Latine verſæ, notisque illuſtratæ, ut adductis ubique verbis Græcis, quæ Autor Latine reddiderat, & dictione paulo ordinatius, quam ab ipſo factum, diſpoſita, nihil ad ornatum operis ſupereſſe videatur. Neque enim de ſtylo æque ſollicitus videtur fuiſſe ac de rerum pondere, quandoquidem ipſe fatetur, noctu inter varias occupationes ſibi elaboranda fuiſſe, quæ ſequenti die formis exſcribenda eſſent, unde & natæ videntur, pro diffuſa Autoris doctrina, tot excurſiones, doctæ quidem & ingenioſæ, in quibus & emendationes quasdam Græcorum Autorum invenias, acuminis Critici teſtes. Succedit, qui recentiorem potius urbis ſtatum deſcribens, Oratorem fere magis quam Hiſtoricum egit, *Franciſcus Baronius ac Manfredes* de Panormitana Majeſtate, Panormi 1630, fol. vulgatus.

Voluminis XIV magnam partem occupat Pars prima Annalium *Auguſtini Inveges*, ſeu Panormus antiqua, Italice prodita Panormi 1649, fol. & hic Latine verſa, nummis, qui in priori editione ligno inciſi fuerunt, multo nunc elegantius æri inſculptis. Quamvis vero Typographus ſequentes operis Partes duas, alteram *Palermo Sacro*, 1650, & tertiam *Palermo nobile*, 1651 editam, omiſerit, eas tamen, ubi deſiderari ab Orbe erudito intelliget, promtiſſime ſe novæ editioni paraturum promittit. Subjungitur huic opuſculum recentiſſimum, *Antonini Mongitoris* S. Domus Manſionis SS. Trinitatis Militaris Ordinis Teutonicorum urbis Panor-

Panormi & magni ejus Præceptoris Monumenta hiſtorica, quæ vel nunc primum prodeunt, vel certe A. 1721, quem annum ſubſcriptum dedicationi ad Auguſtiſſ. Imp. *Carolum VI* legimus, lucem primum adſpexere. In hoc dum omnem Domus Sacræ Manſionis Panormitanæ hiſtoriam exponit Autor, una multa ex ejus archivis protrahit diplomata, ſimulque notat in Præf. perperam ſollicitari fidem Rocchi Pirri, quaſi in Sic. S. varia diplomata afferat e Tabulario Regiæ Cancellariæ, quæ ibi fruſtra quærantur; cum numerum non modo voluminum ſed & monumentorum mutatum poſt Pirri tempora fuiſſe, pateat. Nec indigna viſa *Joſ. Vinc. Auriæ*, Siculi, ex illuſtri Doriarum Genuenſium ſtirpe oriundi, Notitia hiſtorica originis & antiquitatis Cephaledis, urbis Siculæ, ab amœno ſitu *placentis* nomen indeptæ, quam e Panormitana editione anni 1656 Latine verteret, notisque & nummis augeret Cl. *Havercampus*. Hunc excipiunt *Hieronymi Raguſæ* Elogia Siculorum, e prima editione, quæ Lugduni 1690, 8 prodiit, recuſa: quippe alteram, Romæ 1700 ſub tit. *Siciliæ Bibliotheca vetus* auctius editam ab autoris ſororis filio, *Hier. Renda-Raguſa*, conſequi tum non potuit, cum hæc prelo pararet, quamvis non dubitet, his ſupplementis facile careri, ex quo Cl. Mongitores Bibliothecam Siculam omnibus numeris abſolutam vulgavit. Hactenus ſcriptores Siculos enarravimus; ſuccedunt vicinarum Inſularum ſcriptores quidam rariſſimi, in quibus primus hic eſt *Benedictus Cochorella*, Vercellenſis, cujus, A. 1540 demortui, opus poſthumum, deſcriptionem nempe Tremitanæ olim Diomedeæ Inſulæ *Albertus Vintianus* Mediolani 1604 in lucem protraxit. Acceſſere in hoc Volumine *Palladii Fuſci* de Situ Oræ Illyrici Libri II, e rerum Dalmaticarum ſcriptoribus, quos *Jo. Lucius* libris ſuis de Regno Dalmatiæ ſubjunxit, cum *Lucii* notis deſcripti, tum & ipſius *Lucii* Capita IV priora operis modo memorati, de Illyrico conſcripta, denique ejusdem Inſcriptiones Dalmaticæ, quas, in opere illo omiſſas, ſeparatim ediderat, Venetiis 1673. Eas vero diligenter examinat in Præfatione Cl. Burmannus, multasque perperam deſcriptas, e Grutero, Reineſio, Fabretto aliisque obſervat, ad Gudium etiam provocans, cujus Inſcriptiones brevi prodituras, nuntiat.

Volumine XV ſeu ultimo exſtant *Phil. Cluverii* Sardinia & Corſica antiquæ, quæ cum ejus Sicilia proſtabant; tum *Jo. Franciſci Faræ* de rebus Sardicis Hiſtoria, Saſſari 1579 edita, qui autor etſi res ad ſua tempora perducere conſtituerit, nihil tamen reliquit eorum, quæ poſt A. C. 759 contigerunt, in vetuſtis cetera non indiligens. Rariſſimus vero hactenus, & auro carior, quamvis magis credulus, minusque quam Fara, comptus eſt *Salvator Vitalis*, cujus hic comparent Annales Sardiniæ, ad A. C. 139 producti, & Flor. 1639, fol. vulgati, quibus ut Beroſi, Fl. Lucii Dextri aliorumque fabulas, ita de Petri & Pauli in Sardiniam adventu & ſimilibus multa immiſta legas, quæ vix fidem apud omnes hodie inveniant. Succedunt, quæ ad Melitam Inſulam ſpectant, *Jo. Quintini Hædui* Inſulæ Melitæ deſcriptio ex ipſius Commentariis rerum Quotidianarum depromta, & Par. 1540, fol. accuratius quam Francofurti 1600 edita, qua occaſione de Autore eleganter commentatur Cl. Burmannus. *Cœlii Secundi Curionis* de bello Melitenſi, quod A. 1561 geſtum, Hiſtoria cum *Jo. Valetæ* Epiſtola, ejus belli ſummam complexa, ex Edit. Baſil. 1567, 8 recuſa, & denique *Jo. Franciſci Abelæ*, Commendatoris Ordinis Melitenſis, Deſcriptio Melitæ atque adjacentium Inſularum, opus pereruditum & inventu rariſſimum, in ipſa inſula Melita 1647, fol. Hetruſco ſermone editum, & nunc a *Jo. Antonio Seinero* Latine translatum; cui acceſſere Cl. *Jo. Henrici Maji* ſpecimina duo Linguæ Punicæ in hodierna Melitenſium ſuperſtitis, quorum primum ante paucos annos prodiit, alterum nunc demum, in gratiam Cl. Burmanni, qui plura vocabula Melitenſia, ex Abela decerpta, ipſi transmiſerat illuſtranda, exaratum eſt. Poſtremo huic volumini adjectus eſt Index Alphabeticus omnium operum, quæ Theſauro hujus Italiæ & Siciliæ Tomis XLV continentur.

Nos iisdem verbis, etſi paulo prolixioribus, quibus in Præfatione peroravit doctiſſimus *Burmannus*, recenſionem noſtram concludere, operæ pretium putamus. „Gratulamur ſcilicet Editori & Collectori hujus Theſauri, Viro, ſi quis ullus, induſtrio & „indefeſſo, *Petro vander Aa*, quod licuerit ipſi finem tandem „operis vere Regii videre, quod toties deſperaverat; cum alii „ſuper alios ſemper libri ſibi ex omni orbis parte, & inprimis

Italia,

„Italia, ſubmiſſi, animum ſemper inter diverſa ſuadentium con„ſilia fluctuantem ita diſtraherent, ut, ubi conſiſteret, vix ſciret, „& ſe ad metam optatam adſpiraturum ante fatalem diem, vix ſibi „perſuadere poſſet. Æquum ergo erit, ut tam laudabile, tam „utile ſimul & gratum inſtitutum, non modo communi applau„ſu Litteratorum excipiatur, ſed ut Viri Principes, & ipſi Reges „& Civitates Bibliothecas ſuas hoc Theſauro, tanquam gemma „quadam rara & pretioſa, exornent. Meretur certe omnium fa„vorem & ſtudia tanto animo ſuſceptum hoc opus, tot ſumpti„bus & curis peractum, ut exemplum credam deſiderari, ab ipſis „Typographiæ incunabulis, quo Librarius aliquis tam numeroſa „Volumina, ſua impenſa, nullis adjutoribus, in lucem produ„xiſſe probetur. Quare benigna quoque æquorum Lectorum ju„dicia exorat, neque, ſi quid hic & illic carpi, & maligno dente „arrodi poſſet, aut ſi forte libellus quiſquam huic vel illi non ſa„tis placere videatur, ideo totum inſtitutum & conſilium ſuum „infamari, & rumoribus invidioſis differri debere credit. „Quis enim, quæſo, unquam ſimilem laborem ſuſcepit, omni„bus approbantibus & uno ore laudantibus? An Romanus, an „Græcus Theſaurus, cum prodirent, obtrectatoribus caruerunt? „aut an illi tam cupide & celeriter, ut movebant Editores, per to„tum Orbem divenditi fuere? Lente ad tanta opera emenda ac„cedere ſolent homines; ſed ubi ſemel Bibliothecas iis carere non „poſſe perſuaſum eſt, & metus cœpit invaleſcere, ne pretium „incendatur, (bis enim tales Theſauri edi non ſolent) hinc pro ſe „quiſque ſtudioſe illa conquirit. Et certe, hodie divenditis The„ſaurorum illorum omnibus exemplaribus, in tabernis olim ob„viis, animoſiſſime & inſano etiam pretio in auctionibus compa„rari cernimus. Idem fatum huic Theſauro fore, animo quidem „proſpicit Editor, neque lucrum ingens & præſens ſe brevi fa„cturum ſperat, ſed gloria tanti operis ad finem perducti con„tentus, & rebus ſuis ſatis per diligentiam & induſtriam ſtabilitis, „exſpectare commode ſatis emptores poterit. Hoc tamen omni„bus, & præſertim Negotiatoribus Librariis, qui, ut veteri pro„verbio de fabris jactatur, conſortibus ſuis egregie invidere ſo„lent, pro certo affirmare, & publice etiam polliceri me juſſit,

nun-

Digitized by Google

„nunquam animum ſe inducturum, ut, ſi forte omnes, quos pro„duxit, libros vendere, &,ut inter Bibliopolas moris eſt, taber„nam totam haſtæ ſubjicere velit, hunc quoque Theſaurum ve„nalem proponat. Sed ille ſolus ſervabit horreum; nec ſibi tan„tum, ſed hæredibus etiam, ſiquid humanitus ſibi acciderit, has „leges dicet Editor, ne unquam ita projiciant, ut evileſcere & „contemtui eſſe poſſit. Deſinant ergo vana ſpe ſtudioſos rei li„brariæ lactare invidi, & minoris, quam quod nunc Editor ſta„tuit, pretium, brevi comparandum hunc Theſaurum, expoſi„tum & obvium fore, polliceri. Deceptos hi ſe, forte non ita „longo poſt tempore, deprehendent, ubi pretium, quod nunc „ponitur, augeri viderint.„

HISTORIÆ ANGLICANÆ SCRIPTORES varii, e Codicibus Manuſcriptis nunc primum editi.

Londini, typis Gul. Bowyer, 1723, f.
Alph. 5 pl. 18. Fig. tabb. 2.

POſt Clar. Virorum, *Commelini*, *Savilii*, *Cambdeni*, *Twyſdeni* & *Seldeni*, *Joannis Fell* & *Thomæ Gale* Collectiones ſcriptorum veterum rerum Anglicanarum, tum & editiones ſingulares, quas nuper curavit Cl. *Hearnius*, vix ſperandum videbatur, tantum relictum eſſe Nobil. Autori noſtro, *Joſepho Sparke*, ſpicilegium, ut integrum Tomum complere poſſet. Eninvero quos hic, e bibliotheca Cottoniana & archivis Burgenſibus maxime, vulgavit Scriptores, plerique omnes ad cœnobium Burgenſe, hodie Petriburgenſe, imprimis ſpectant, eoque eos ſub *Scriptorum Petriburgenſium* nomine, ut ſcheda, qua ſubſcribentibus illos offerebat, docet, edere conſtituerat, quem titulum tamen in ipſa operis editione haud inepte, ut patet, mutavit; quod illi continerent ſcilicet plurima ad univerſam Angliæ hiſtoriam pertinentia. Partitus eſt opus Cl. Editor duobus exiguis Voluminibus, quorum primum inſcripſit Medicorum principi, *Richardo Medo*, in quo rei Medicæ, tum Therapevticæ tum Anatomicæ, notitiam accuratam, incredibilem in ſanandis ægris felicitatem, Matheſeos & anti-

Digitized by Google

antiquitatis, tam ſacræ quam profanæ, ut & linguarum cognitionem ſingularem ac peracrem in arte critica ſagacitatem, denique comitatem, candorem, modeſtiam, in egenos liberalitatem aliaque commendat, Bibliothecam quoque ejus, regiis fere ſumptibus comparatam & tabulis, ſtatuis, ſculpturis exornatam, mire extollens; alterum *Johanni Bridgeſio* de Barton Segrave in agro Northamptonienſi Armigero, cujus ut virtutes in publicis muneribus, (quæ tandem abjecit, ut ad Muſas rediret, & otium nanciſceretur ad ea conſignanda, quæ ad Northamptonienſium antiquitates & res geſtas explicandas magno labore collegit) rite adminiſtrandis maxime conſpicuas; ita Bibliothecam imprimis & Muſeum MSptis hiſtoricis inſtructiſſimum, quo partim hoſpitium ejus Lincolnenſe, partim villa Bartonenſis ſuperbit, prolixe prædicat. Primum Volumen occupat Chronicon Angliæ inde ab A. 654 ad A. 1368 productum, cujus Autorem cum hactenus crediderint plerique *Johannem Abbatem Burgi S. Petri*, nempe Johannem de Kaleto, qui obiit A. 1262, Noſter quidem ex eo ſcrupulum movet, quod in hoc Chronico Martinus Polonus citetur, cujus paſſim hiſtoria proſtet ad A. 1276 deducta; & quamvis prima Martini editio tantum ad A. 1251 pertingat, adhuc tamen rem in dubio relinquit, & ſuſpicatur, opus a *Roberto de Boſton* interpolatum & continuatum fuiſſe: imo rectius edoctus poſtea a Cl. *Bridgeſio*, in dedicatione Voluminis II fatetur, non improbabile videri, *Joh. Abbatem Burienſem* cum *Abb. Burgenſi* confuſum, & ex uno duos factos eſſe. Succedit Volumine II *Hugonis Candidi*, ſeu *Albi*, vulgo *White*, Cœnobii Burgenſis Hiſtoria ad annum usque 1177, quo fere tempore vixit, excurrens, in qua de prima Merciorum Regum, quorum omnia diplomata diligenter conquiſivit, eccleſia tanta diligentia egit, ut ſacræ antiquitatis theſaurus dici poſſit, teſte Lelando. Brevior eſt *Roberti de Swapham*, qui circa A. 1273 mortuus, Hiſtoria ejusdem Cœnobii, ex proprio Autoris codice a Noſtro deſcripta, in qua id fere egit tantum Autor, ut Regeſtum privilegiorum &c. juſto ordine diſponeret. *Walteri de Witleſey* Hiſtoriæ Cœnobii Burgenſis, quæ inchoatur ab A. 1246 & ab Anonymo inde ab A. 1321 ad A. 1338 continuatur, Codicem ſe debere profitetur Cl. Editor

Digitized by Google

Joh. Comiti Fizwilliam, cujus hoſpitalitatem & humanitatem inſignem in ſingulari hujus operis inſcriptione ad eundem directa laudat. Ultimus Petriburg. horum ſcriptorum prodit *Anonymus* autor, ut videtur, ſatis vetuſtus, qui Hiſtoriam cœnobii Petriburgenſis verſibus Gallicis obſoletis deſcripſit. His demum etiam Cl. Editor ſubjecit Vitam S. Thomæ Cantuarienſis Archi-Epiſcopi, a *Willielmo Stephanide*, *Johanne Sarisberienſi*, Epiſcopo Carnutenſi & aliis Autoribus coætaneis, ut titulus teſtatur, deſcriptam, quam ex ſuo Codice cum Cottoniano diligenter collato prodit; at de Stephanide illo alias (forte cum alterum Tomum, cujus ſpem aliquam facit, editurus eſt) ſe acturum eſſe, ſperat. Nobis quidem, vitam illam inſpicientibus, ſolus Stephanides autor eſſe videtur, qui præter prologum, deſcriptionem Lundoniæ, quam vocat, præmiſit, patriæ quippe ſuæ, ut teſtatur Lelandus de Scriptor. Brit. C. 177, qui & eum Thomæ illi familiariſſimum, & vulgo quoque *Wilhelmum Cantuarienſem*, ſcilicet Monachum, dictum fuiſſe, probat. Equidem Vita D. Thomæ Cantuarienſis cum ejus & æqualium epiſtolis e Codice Vaticano, *Chriſtiano Lupo* autore, prodiit Bruxellis 1682, 4, eademque ipſi Baronio dicitur ab Autoribus quatuor, Hereberto, Wilhelmo Cantuarienſi, Johanne Saresberienſi & Alano Abbate conſcripta; verum, ſi opus illud, in certa capita diviſum, inſpicias, nihil aliud invenias, quam excerpta brevia ex his autoribus, atque adeo e Wilhelmo illo, (cujus æque ac ceterorum nomen ſuo loco apponitur) depromta, ſed aliis plane verbis expreſſa, quemadmodum noſtram editionem cum illa conferentibus facile patet. Ut adeo nobis certum videatur, Codici vitæ a Noſtro vulgatæ nomina illa præpoſita per errorem fuiſſe, cum & ipſa imprimis ſcribendi ratio doceat, unum tantum libro autorem fuiſſe, *Wilhelmum*, & Lelandus l. c. ſuffragetur, qui præmiſſam huic vitæ a *Wilhelmo* fuiſſe Londini deſcriptionem, diſerte teſtatur.

THE ENGLISH WORKS OF SIR HENRY SPELMAN &c.

HEN-

Digitized by Google

HENRICI SPELMANNI OPERA ANGLI-cana, tum ipſo vivente edita, tum poſthuma, cum vita Autotoris, nunc iterum a S.Rev. Epiſcopo Lincolnienſi, reviſa & aucta: acceſſere duo Scripta hactenus inedita.

Londini, apud D. Browne Sen. & Jun. & alios, 1723, f. Alph. 8.


ETſi nulla his Operibus præmiſſa ſit Præfatio, neque adeo uspiam diſerte memoretur, cujus potiſſimum curis debeatur hæc editio, ſubſcriptionis lege procurata, facile tamen conjicimus, eam autore imprimis Celeb. *Edmundo Gibſono*, hodie Epiſcopo Lincolnienſi, prodiiſſe, quem Poſthuma Spelmanniana A. 1695 cum luculenta vitæ deſcriptione, quæ hic ab eodem reviſa dicitur, vulgaſſe, in Actis anni 1698 p. 341 teſtati ſumus; quo loco cum vitæ compendium a nobis factum fuerit, facile nunc ea denuo recenſenda ſuperſedemus. Siſtitur vero hic primo loco opus Spelmanni, jam ſepties excuſum, *de non temerandis Eccleſiis*, cum ejus *Apologia*, ſuccedunt *de decimis eorumque alienatione* & de *ſepultura* tractatus, ut & *Villare Anglicanum*, ſeu Conſpectus omnium urbium & villarum Angliæ. Tum ſequuntur ſuo ordine *Poſthuma*, quæ cum l. c. accurate fuerint a nobis recenſita, non eſt, ut vel titulos hic denuo repetamus: id tantum notamus, hic quoque inter cetera recuſam eſſe *Iceniam* ſeu Norfolciæ topographicam deſcriptionem, ut & *Comites Mareſcallos Angliæ & de milite diſſertationem*, & *Hiſtoriam familiæ de Sharnburn*, quæ tria ſcripta Latino idiomate compoſita ſunt; etſi in titulo Operis Anglica tantum promittantur. Acceſſere vero tractatus duo, nunc primum e ſchedis Autoris editi, alter *de Curia Thalaſſiarchiæ ejusque officialibus* (*of the Admiral Juriſdiction, and the Officers thereof*) alter *de formulis & diplomatibus* (*of Deeds and Charters*) quem quidem Autor, ſi viveret, vix æquo animo ferret ita editum, quippe hiatibus non paucis deformatum, adeo, ut ex ultimis ſaltem capitibus vix ſenſus ullus erui poſſit. Nec opus eſt, ex his ſpecimina referre, cum ſatis jam ex aliis Autoris ſcriptis pateat, quantum in antiquitatibus Angliæ fuerit verſatus.

Digitized by Google

SARCOCELES, SEU TOTIUS MEMBRI GENITAlis tumoris vaſti rariſſimique in cadavere, Menſe Junio 1725 ſecto, exemplum; e Theatro Anatomico Lipſienſi communicavit D. AUGUSTINUS FRIDERICUS WALTHERUS, *Anatomiæ & Chirurgiæ Prof. Publ. h. t. Acad. Rector.*

RAriſſimum eſt, tumere ſcrotum, & ſimul reliquum genitale membrum craſſum & ingens fieri, ut, paribus veluti paſſibus aucta, in enormem & vitioſam ponderis molem magnitudinemque vaſtam excreſcant, ſicut in exemplo, quod mox commemorabimus, contigit. Omnium externa facies, & quæ intus comprehenduntur, nos in admirationem rapiunt. Etenim non inſolitus eſt ſcroti tumor, qui oboritur, quoties, aut inteſtina decidunt, aut teſtis alteruter, durior majorque factus, vel ejus tumidiora vaſa, illud grandius reddunt, aut caro fungoſa in ſcroto ſub naſcitur, aut ipſum aqua diſtenditur. Nonnunquam etiam flatu repletum fuiſſe, vel pinguedine intumuiſſe ſcrotum, alii animadverterunt. Quos tumores nomine pluribus communi ramices vel hernias vocamus; quarum eæ ſimplices dicuntur, ubi iſtorum ſingula, quæ protulimus, ſcrotum occupant: compoſitas vero appellare licet, ſi malo graviore, aut neglecto, aut diutius protracto, plura ac diverſa hic congeruntur. Quorum exempla ex variis auctoribus collegit retulitque noſter in concinnandis his Actis Collega a multis annis diligentiſſimus *D. Michael Erneſtus Ettmullerus*, Prof. Publ. programmate anno 1723 in Dni Steinfeldi promotione edito; cujus occaſione ſarcocelen ob vaſtam tam ſcroti quam penis magnitudinem, longeque plura, commemoratione dignum tumorem recenſuit. Homo eo tempore ægrotavit, cujus poſtea, menſe Junio hujus anni demortui cadaver, ut pars male affecta publice demonſtraretur, ad noſtrum Theatrum Anatomicum allatum fuit. Deſcriptionem ille ſequentem dedit: „Chriſtianus Kettnig, ætatis 49 annorum, „menſe Julio ſuperioris anni in Noſocomio Lipſienſi recipiebа„tur, manuum opera hactenus panem lucratus, nunc ad quempi„piam ſuſtinendum laborem ob pravam corporis diſpoſitionem, ineptus.

TAB. V ad A. 1725 M. Nov. p.



B. V.
3. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

„ineptus. Scrotum hic habet ſecundum omnes dimenſiones magnum ad genua usque propendens, coloris naturalis, ubi vero „femoribus adjacet, glabrum atque rubicundum, indolens interim atque durum. Teſticuli ad latera in ſuperiori parte latent, qui contrectati aut compreſſi doloris ſenſum excitant. „Membrum virile ex medio loco ſcroti emergit itidem elongatum, durum atque tumidum. Tota diſtantia ab inguine ad præputii extremitatem unius ulnæ eſt, cum octava parte. Inguina „naturaliter ſe habent, nullo tumore conſpicua. Femora & pedes ſunt tumida, dura & circa genua & talos in rugas & ſulcos „complicata. Ceteroquin ſanus degit omni dolore expers, optimo ciborum appetitu præditus, dum vero mingit, difficulter „lotium profluit.„ Omnium formam, quæ ab illo tempore ad usque mortem aliquantum commutata fuit, Fig. 1 ſiſtit. Namque hoc temporis intervallo amplius intumuere pedes, & tam ſcroti, quam tumidi penis involucri ſarcoma, majorem ambitum acquiſivit, ipſum ſcrotum jam quinque digitis longius factum prominuit. Integri ſcroti ambitus maximus ulnæ cum tribus quartis in cadavere, at arte deterſi, ſiccatique, duarum ulnarum, cum duobus digitis, magnitudo fuit. Ejus tumoris extremum a pubis oſſe remotum ulna diſtabat cum ſeptem digitis. Superiori parte durior deprehendebatur; qua parte verſus ſiniſtram ſuram porrigebatur, foveæ, cum digito premeretur, diu non ſubſiſtebant. Eadem inferiore parte notabatur moles hæc tribus inciſionibus, quarum una profundior, pro aliquo ſepti retracti veſtigio accipi poterat, cujus tamen nulla ſupererat nota; ceterum vero plures inæqualitates, & minores rugæ, partesque a lotio exeſæ & corruptæ hinc inde patebant. Neque vero teſticuli, tumore ſubmerſi & abſconditi, manibus contrectari poterant. Jam ingens ſpectari genitale membrum, plane dignum fuit. Namque hoc ſubjacente ſcroto haud mollius, longitudinem retulit pedis, & duorum digitorum, & quinque digitis extremis incurvum, & verſus ſcrotum reflexum, tumens erat, præputium ultra modum expanſum, rubens, ac inverſum quaſi viſum eſt. Eminuere tubercula ſulcis diſtincta, denſiſſimisque ſeriebus poſita, aſperiora, rubicundo fœdoque adſpectu

TAB. V. Fig. 1.

Digitized by Google

turgida, quo rugoſum galli Indici caput imitabatur penis pars anterior. Ad hæc reliquus ambitus ſcabritie, fere ſicut ſcroti ſuperficies, conſpurcabatur. Hoc penis involucrum ubi craſſiſſimum erat, in ambitu tredecim digitos confecit, quo ſenſim, aliqualiter tamen minore reddito, tandem in extremitate juglandis craſſitiem habebat. Sub hac extremitate retracta, & velut freno ſuffulta, revulſaque, involucro reſimo conſpiciebatur foramen Fig. 1 A, quod minimum digitum admittebat, & catheterem intromiſſum ad urethram veſicamque ducebat.

Sed amplius hæc, incidendo monſtrum, obſervata ſunt. Animadvertimus cutim triplo craſſiorem naturali factam, inerti carnis moli adnatam, quæ pro varia mollitudine, quam in externo tumore notavimus, compacta duraque apparuit, inſuper compoſita ex innumerabilibus cellulis loculisque, quibus, velut intra totidem ſacculos membranaceos, ſpiſſus & gelatinoſus continebatur humor; qualem etiam in tumore pedum, cute hinc inde inciſa, obſervavimus. Proinde hoc tenace latice totum ſcrotum, & penis involucrum repletum deprehendimus, nec alias cavitates in iſto invenimus, niſi eas, quibus teſtes, naturalibus multo majores, concluderentur, quos mole carnea a priore producta, non ordinato ſepto, diſtinctos vidimus. Vaſa, quæ ſanguinem & ſemen ad ſingulos vehunt, Fig. 2 A, & quæ muſculo Cremaſtere B, ab iſtis hic ſeparato, involvi ſolent, longitudinem naturalem parum ſuperarunt; ſaltem paulo magis tumida ea viſa fuerunt. Dexter teſticulus poſt detractam tunicam vaginalem, ove anſerino vix minor, & tribus partibus compoſitus apparuit, quarum ſuperiorem maximamque capſa C efficiebat, quam albuginea teſticuli tunica, quippe naturali craſſior & tendineæ firmitudinis, formaverat, & ipſa humore plena erat livido, intra loculos contento, quales in malo citri corrupto putridoque conſpiciuntur. Alteram hujus teſticuli partem tophus D confecit, qui ſuperius cavus, & juglandi magnitudine haud impar fuit. Idem inter primam partem tertiamque E medius habebatur, infimam vero molliorem que morboſi teſticuli partem, extrema paraſtatæ portio, & inſigniter tumens conſtituebat, & intra hanc condebatur aliqua minorque capſa, intra quam pere-

TAB. V. Fig. 2.

xigu

Digitized by Google

xiguum, quod de teſticulo ſupererat, continebatur. Quam partem, & tubulos ſpermaticos evolutos, Fig. 3 A oſtendit. Neque vero hæc exilis cavitas cum ſuperiore inſignioreque commune habuit; ſed albuginea tunica juxta ſuperficiem tophi intermedii eo deducta, teneriorque, ſe paraſtatæ inſinuaverat, & corpus hoc efformaverat. Huic ſuper incumbens veluti vaſculoſus paraſtatæ cortex B, cum arteria ſpermatica aere impleretur, protinus intumuit & vaſcula ſeminalia, cum incideretur, ſe prodiderunt. Cum ſiniſtro autem teſticulo ſaccum, fundo ejus appenſum, membranaceum, & pellucentem extraximus, quem tunica vaginalis effecerat, hic duas libras ſeri, parum tincti, intra ſinum ſuum receperat, capſæ adhærebat, ſicut in dextro teſticulo, formatæ; quæ hinc inde non nihil exeſa humorem priori ſimilem, loculoſque perpaucos, tophum denique minorem ſcutiformem, & duobus foraminibus inſtructum, comprehendit. De cetero tubulorum ſpermaticorum, ſive ſubſtantiæ teſticuli, hic nullum ſuperfuit veſtigium, & paraſtatæ extremitas, hoc loco planior facta, topho adhærebat: vaſa autem ſanguifera aerem, per tubulum immiſſum, ad cavum, quod albuginea paraverat tunica, attulerunt. Hujus lateris veſiculæ ſeminalis ſemine corrupto, fuſco, & viſcoſo replebatur, nec aerem admiſit, qui per vas deferens eo pellebatur, nec in experimento facto, prope caput gallinaginis, oſtium apparuit, per quod erumperet. At dextra ſeminalis veſicula hanc viam exitumque, cum ſimilia tentaremus, monſtravit, & tota flatu prompte intumuit. Tandem cum contemplaremur penem, naturalem ille retulit longitudinem, & glandis extremitas intra penis involucrum, tribus digitis altius recondita, ipſum involucrum reſimum fecerat. Ad hæc penem ſolito tenuiorem obſervavimus, nec corpora nerveo ſpongioſa, ea facilitate, ſicut in aliis fieri ſolet, inflari potuerunt. Ad reliqua quod attinet viſcera, partes & cavitates, quæ in cadavere explorabantur, omnia illæſa videbantur, præter renem dextrum, qui gangrænæ notas, fortaſſis acceleratæ mortis cauſas, retulit.

TAB. V. Fig. 3.

Narravit homo, cum in vivis eſſet, & ægrotaret; malum ab eryſipelate, has partes pedeſque ſæpius infeſtante, originem tra-

traxiſſe. Quæ, etſi non plane tophorum intra teſticulos genitorum & reliquorum indicet rationem modumque; & quanquam nec nobis, quibus ignota hominis conditio, ex variis Medicorum hypotheſibus, de rebus hic congeſtis, pluribus diſſerere placet; organi tamen totius, externique, ad contrahendum Sarcoma aptitudinem, ſaltem declarare, & quæ nobis, anatomen exercentibus, de præputio uſu venerunt, adjicere licebit. Ut adeo ad magnitudinem ſupra deſcriptam, pondusque librarum quadraginta, omnium tumor accederet, id tunicæ, quæ dartos audit, deberi profitemur, quæ celluloſa, laxa, flaccidaque eſt, & quaſi luxuriat, nec ſolum in ſcroto ſubſiſtit, ſed in utroque ſcroti latere veluti duplicata aſſurgit, ſeptumque, quod ſutura externa indicat, conſtituit, ſicut *Rawius* oſtendit. Hujus ſepti antica & ſuperior pars penem amplectitur, & inde aliqua ejus fit productio, quæ inter ipſum ac involucrum progreditur. Cui proinde ſtructuræ adſcribendum eſſe putamus, quod data occaſione, ſimilique, quam noſter olim narravit, plures hic congerantur, aſſerventurque humores; ex quorum angulo & in aliis partibus locisque fieri tumores, quotidie experimur. Admirationem vero maximam in noſtro cadavere promeruit præputii tumor: qui etſi admodum frequens in hydrope, phymoſi, paraphymoſi, aliisque vitiisque occurrat; tamen qui hic deſcriptus fuit, tam tetro fœdoque aſpectu formaque, quam intus contentorum indole, ni fallimur, omnes hujus generis ſuperabat, quos alii commemoraverunt. Hinc de ſanorum præputio monere integrum ducimus, ipſum ad acquirendos tumores præ ceteris locis diſponi. Etenim hoc glandis velum, tanquam cutis reflexa, interiore ſua ſuperficie lævius eſt, & ſub corona glandi adnaſcitur. Ipſum, ubi ſic duplicatum proſtat, intra ſe continet peculiarem mollemque, & inſtar compreſſæ lanuginis, elaſticam albidamque ſubſtantiam, quæ cum tunica celluloſa, quæ penem circumdat, equidem continua eſt, pluribus tamen modis ab ea differt. Hanc ita in adultorum cadaveribus demonſtrare ſolemus, cum, juxta glandis coronam, præputium ſeparamus, & poſtquam ex involucro penis extractus fuit, iſtam vaginam anteriori parte filo conſtringimus, aereque ex adverſa parte immiſſo,

miſſo, eam implemus, ac tandem ſiccamus. Quæ hic notatur ſubſtantia; pollicem lata eſt, & præ ſui copia totum replet præputium. Hinc ſicut recens intra præputium in vivis ea reperitur, ſua mollitudine egregie fovet glandem, affricatque coronam, & ut ita augeatur in congreſſu voluptas, apte locata prodeſt. Quæ proinde ſubſtantia & tegminis utilioris loco habetur, & ſicut reliqua penis celluloſa tunica pinguedinis eſt expers, cujus nec ſcroti dartos eſt immunis. Interim aere inflata, alia apparet, quam tunica celluloſa, quæ etiam cum cute eo defertur, penemque inveſtit; quam delineavit *Ruyſchius* in Reſponſ. ad Epiſt. Anat. 15. Qua occaſione monere expedit, quod hujus figura 4 Tab. XIX, pro amplitudine celluloſi contextus ab eo delineata, equidem cum præputio, minime vero cum reliquo penis ambitu conveniat. In hoc enim tunica, quam diximus, longe tenuior eſt iſta portione, quæ intra duplicatum præputium hæret, & in priore multo laxius compoſitæ cernuntur cellulæ, cum flatu intumeſcunt, ac replentur. Naſcitur talis & uberior, in ipſo præputio, & magis compacta, inſtar tomenti, e fibris elaſticis congeſti, ſe habet: cui ſimilem nec in reliquo pudendo, nec in aliis corporis partibus arte anatomica præparare licet.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Figura 1 ſcrotum, membrum virile, rugas & ſulcos circa genua & talos repræſentat.

A. Orificium Urethræ.

B. B. B. Membri Virilis involucrum reſimum.

C. C. C. C. Rugæ & ſulci circa genua & talos.

D. Scrotum.

E. E. E. E. Tuberculorum verrucoſorum ſeries.

Figura 2 Teſticulum dextrum exhibet.

A. Vaſa ſpermatica, a muſculo cremaſtere ſeparata, ad ſiniſtrum teſticulum tendentia.

B. Vaſa ſpermatica muſculo cremaſtere involuta ad dextrum teſticulum decurrentia.

C. C. Capſula ſuperior teſticuli dextri humore livido plena.

D. Tophus.

E. Capſa inferior in Paraſtata.

Figura 3 infimam teſticuli dextri portionem ſiſtit.
A. Vaſa ſpermatica evoluta.
B. Extrema paraſtatæ portio.

Vernünfftige Gedancken von dem Gebrauche der Theile ꝛc.
hoc eſt,
MEDITATIONES PHYSICÆ DE USU PARtium Corporis humani, animalium atque plantarum, Autore CHRISTIANO WOLFFIO, Conſiliario aulico Haſſiaco, Mathem. & Philoſ. Prof. primario Marburgenſi, Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodali.

Francofurti & Lipſiæ, ſumtibus Rengerianis, 1724, 8. Alph. 2 plag. $3\frac{1}{2}$.

TErtiam hanc Phyſicæ dogmaticæ Partem ſeu Operum Philoſophicorum Germanicorum poſtremam Sereniſſimo Principi ac Domino *Carolo*, Haſſiæ Landgravio, quem ipſum exquiſita rerum mathematicarum & phyſicarum ſcientia pollere conſtat, inſcripſit Cel. Autor, gratias publice acturus Mæcenati ſummo, quod Hala dimiſſum honorifice receperit, ut hoc Protectore non modo opus alibi cœptum atque indefeſſo ſtudio continuatum tandem abſolvere licuerit, verum etiam, quæ adhuc ſe daturum promiſit, ea digerere ac perficere queat. Gratus quoque prædicat Ruſſorum Monarchæ rebus nuper humanis exemti clementiam, qui ſplendidis & amplis conditionibus præſidium ipſi in Academia ſcientiarum Petropoli fundata obtulit, etſi per varias rationes non ſteterit, ut ſtationem Marburgenſem cum altera meliori commutaret, quas adeo probaſſe conſtat auguſtiſſimam Conjugem, quæ nunc rerum ſumma potitur, ut etiam abſenti locum honorarium cum honorario annuo contulerit. Dividit autem Noſter tractatum, quem recenſere conſtituimus, in duas partes. Altera de uſu partium corporis humani & animalium; altera de uſu partium plantarum agit.

Part. I. c. I. Uſum partium corporis humani & animalis demonſtraturus fundamenti loco præſternit fines a Deo eidem ſtatutos, nempe 1 vitæ

vitæ conſervationem, 2 motum localem, 3 ſenſationem, 4 ſpeciei conſervationem, 5 appetituum animique ſenſorum voce elata ſignificationem. Horum finium mutuum nexum &, quomodo ſibi mutuo ſubordinentur, ac primarius, conſervatio ſpeciei, fini ultimo totius univerſi, gloriæ divinæ, reſpondeat, luculenter docet, addita ratione, cur corpus humanum & animale juxta evrythmiæ & ſymmetriæ regulas fuerit fabrefactum. Antequam vero ſingulas corporis partes organicas contemplatur, eas in genere partes conſiderat, ex quibus iſtæ componuntur. In numero ſolidarum comparent fibræ atque fibrillæ tum carneæ, tum tendineæ, tum nervoſæ; oſſa cum medulla & perioſtio, nervi cum ſenſorii, tum motorii; muſculi cum tendinibus; vaſa cum ſanguifera, tum lymphatica, atque glandulæ: in numero fluidorum vero ſanguis, chylus, ſerum, lympha, ſaliva, liquor gaſtricus, ſuccus pancreaticus, bilis, ſynovia, ſemen, ſuccus nervoſus & ſpiritus animales, urina atque ſudor. Ita autem in harum partium uſu demonſtrando verſatur Autor, ut non in proximo acquieſcat, ſed ad remotum etiam progrediatur & rationes a priori reddat. E. gr. Nervis duo munia vindicat, ut 1 ſenſationes, 2 motus muſculorum determinent. Eorum ideo beneficio conſervari communicationem inter organa ſenſoria & muſculos motores, immo commercium inter mentem atque corpus. Nervorum ſtructura obtineri, ut ſenſationes fiant diſtinctæ, & eorundem miniſterio motum organo impreſſum ad cerebrum continuari, ut motus determinentur in organis a ſenſu ſive immediate, ſive mediate pendentes &c. In ſpeciali pertractatione primo loco comparent organa nutritioni dicata, quorum alia cibo aſſumendo, alia maſticando, alia deglutiendo, alia digerendo, alia chylo e cibo digeſto ſeparando, & in ſanguinem devehendo, alia excrementis reſiduis ejiciendis inſerviunt. Explicantur adeo hic oris & labiorum, dentium, linguæ, gulæ, ventriculi, inteſtinorum, vaſorum lacteorum, meſenterii, ciſternæ, ductus thoracici, omenti & arteriarum uſus. Succedunt organa vitæ conſervationi deſtinata, quorum alia ſanguinis circulationi, alia reſpirationi, alia ſecretioni & tranſpirationi inſenſibili inſerviunt. Quamobrem hic cordis atque totius ſyſtematis arteriarum & venarum,

c. 2. c. 3. c. 4.

 pul-

Digitized by Google

pulmonum, diaphragmatis, thoracis, mediaſtini, thymi, hepatis cum veſicula fellis, pancreatis, renum, lienis, ureterum, veſicæ urinariæ, urethræ, renum ſuccenturiatorum, & cutis atque glandularum ſubcutanearum uſus declarantur. Sequuntur organa ſenſoria & operationibus animæ inſervientia, ubi uſus oculorum, aurium, naſi, linguæ, cutis atque papillarum nervearum, cerebri denique totiusque ſyſtematis nervoſi, medullæ ſpinalis, vocisque organorum determinantur. Illa porro excipiunt partes genitales maris pariter atque fœminæ, quarum illæ vel ſemini præparando, vel deferendo, vel aſſervando, vel diluendo, vel ejaculando; hæ autem fœtui vel concipiendo, vel fovendo ac nutriendo, vel denique in lucem edendo deſtinantur. Unde hic teſticulorum, paraſtatarum, vaſorum deferentium, veſicularum ſeminalium, capitis galli gallinacei, proſtatarum, penis, uteri, vaginæ, ligamentorum uteri, tubarum *Fallopianarum*, ovariorum atque vulvæ uſus monſtrantur. Agmen claudunt organa motui locali & ſitui corporis determinando conducentia, ut adeo hic pedum, ſpinæ dorſi, manuum, brachiorum, colli, capitis &c. uſus innoteſcat. Docetur nempe, quot modis ſingula moveri poſſint, & quibus muſculis motus ſinguli perficiantur. Leguntur quoque nonnulla de piſcium natatu, aviumque volatu. In his autem uſibus omnibus explicandis ita verſatur Autor, ut ſtructuræ & ſitus ſingulorum organorum, ſingularumque, ex quibus ea conſtant, partium uſus ex officio, quo funguntur, rationem reddat.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

Part. II. c. 1. Uſum partium, quibus plantæ integrantur, expoſiturus Autor denuo præſternit fundamenti loco fines a Deo iisdem ſtatutos, 1 vis vegetativæ conſervationem, 2 perſeverantiam in eodem loco, 3 ſpeciei conſervationem, quorum mutuum nexum & ſubordinationem mutuam commonſtrat. Antequam vero diverſas partes, ex quibus plantæ conſtant, contemplatur, primo loco eas in genere partes minores conſiderat, ex quibus iſtæ componuntur. In harum numero ſunt fibræ atque fibrillæ, eum ſucciferæ, tum tracheæ, utriculi atque cuticulæ. Fibrarum cavitatem optime obſervavit Noſter in caule cucurbitorum atque cucumerum, qui per integram hiemem tempeſtatum injuriis expoſitus verno tempore aridus atque exſuccus in horto deprehendeba-

c. 2.

deba-

Digitized by Google

debatur, præſertim ſi microſcopio uteretur. Per microſcopia parum amplificantia objectum tracheas in moro notavit, prout eas delineat *Malpighius*, ſed quæ ſub microſcopiis exquiſitioribus minus elegantem præ ſe tulerunt ſpeciem. Contra per microſcopia nonniſi exquiſita tracheæ in ceraſo, pruno aliisque lignis viſæ, quales per minus exquiſita in moro cernuntur. Obſervavit eas Noſter vernō tempore, cum ligna ſucco turgerent, ut ſectiones transverſæ madore imbuerentur. In ſpeciali tractatione primo loco comparet radix, quæ plantæ nutrimentum advehit, immo idem præparat, atque in uſus futuros in ſeminis præſertim gignendi gratiam aſſervat. Monſtratur radicis cum ramis ſimilitudo atque inde plantationis inverſæ redditur ratio, in qua rami in radices, radices in ramos degenerant, ſtirpe manente eadem. Radicum quoque vegetatio ex partium uſu a priori deducitur, & rationibus a poſteriori petitis confirmatur. Secundo loco ſiſtitur caulis ſive ſtirps, cujus ſingulæ partes ſigillatim conſiderantur. De plantis obſervat, quod, quando ſemen daturæ ſunt, ſuccus ex radice vel foliis in caulem penetret, atque inde cum radices, tum folia exſucca ſiant. In arboribus corticem inprimis inſervire recipiendo, digerendo & cuſtodiendo ſucco nutritio per fiſtulas adjacentes potiſſimum aſcendenti. Hinc arbores quoque frugiferas vegetari & fructus optimæ notæ edere, etſi lignum putredine fuerit maximam partem abſumtum, modo cortex fuerit illæſa: cujus ſingulare exemplum in nuce profert. Probatur autem, ſuccum nutritium ubique præparari & perfici in ſubſtantia utriculoſa. Aſcendere nutrimentum per fibras ligneas juniores: quæ ratio ſit, cur ſingulis annis novæ excreſcant, & cur tracheæ in ligno juniore præſertim conſpicuæ ſint. Uſum medullæ in eo ſeſe exerere, quod gemmæ inde erumpant. Folia potiſſimum gemmis nutriendis & maturandis inſervire, cum rationibus, tum obſervationibus evincitur: quomodo ſuccus nutritius, ibi præparatus, cum in gemmas, tum in caulem deferri queat, ex ipſa ſtructura foliorum docetur, tum etiam, quomodo nutrimentum ex radice ad ipſa folia deferatur. In plantis nonnullis folia vicem radicum ſubire & ſuccum nutritium præparare, ac in uſum ſeminis gignendi aſſervare. Gemmas eſſe ſurculorum compendia, vel compendia florum at-

c. 3. c. 4. c. 5. c. 6.

Digitized by Google

que ſeminis. Illarum ex medulla eruptio clariſſimis obſervationibus docetur. Commendat autem Autor ſurculorum non minus in plantis, quam arboribus ſectionem horizontalem dextre factam, quam præfert verticali, confuſionem daturæ. Sufficit ſubinde his obſervationibus oculus nudus; plerumque tamen armato opus eſt. Gemmarum ex medulla eruptionem radicularum ſimilis eruptio confirmat; ſed dubiam reddere videbatur ſurculorum ex ligno annoſo protruſio, quos non ex meditullio arboris provenire certum erat. Imo ſimile quid circa radices quasdam obſervaverat curioſiſſimus Autor in radicularum protruſione. Rem igitur accuratiori examini ſubjiciens, tandem deprehendit, medullam eſſe ſubſtantiam utriculoſam, qualis in foliis, æque ac cortice aliisque partibus vegetabilium comparet, ſucco turgidam, quam diu uſui eſt; ſed exſuccam, quamprimum officio ſuo defuncta, inanium veſicularum congeriem referens. In arboribus accedere ſingulis annis non modo novam fiſtularum ſeriem, verum etiam novam medullam fiſtulis binorum annorum interjectam, quæ illas a ſe invicem in ipſo ligno adulto diſcernibiles reddat. Ultimo tandem loco ad flores

c. 7. & ſemina animum & oculos convertit Autor, ubi in uſu partium floris ex defectu obſervationum & experimentorum conjecturis ſubinde aliquid tribuit, quibus ad eadem via ſternatur. In ſemine ſingularem exponit cuticulæ uſum, quæ a pulpa in vegetatione ſeparatur & cuti interius applicatur. Oſtendit, eam convenire cum pellicula teſtis ovorum interius adhærente, quæ placentæ uterinæ in viviparis reſpondeat. Atque hinc rationem reddit, quod cuticula lobos pulpæ exterius ambiens vaſis ſit inſtructa ſucco in vegetatione (quemadmodum obſervavit oculo armato) turgidis; altera vero, quæ eosdem interius veſtit, vaſis prorſus deſtituta. Ceterum monemus, prodiiſſe quoque nuper Halæ editionem Logicæ quartam & Metaphyſicæ tertiam: quemadmodum etiam Elementa Matheſeos Germanica hoc anno tertia, meditationes Politicæ altera vice prodierunt. Prelum autem modo evaſit nova Tractatus de augmentatione frumenti editio, appendice aucta, in qua inventi ſucceſſus in agricultura experimentis majoribus & praxi ſæpius repetita docetur. Et propediem eodem liberabitur Phyſica, quæ denuo recuditur.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI EBERH. WEISMANNI, S. S. Theol. D. & P. P. Schediaſmata Academica.

Tubingæ, ſumtibus Cottarum, 1725, 4.

Alph. 5 pl. 2 in 4

SUmme Rev. Autor, cujus *Hiſtoriam Eccleſiaſticam A. 1720 p. 413* recenſuimus, hoc Volumine diſſertationes aliquot Academicas exhibet, cum ob argumenti præſtantiam, tum ob elaborationis diligentiam lectu digniſſimas. Ac *prima* quidem inſcripta eſt *de præjudicio, quod accreſcit veritatibus primariis per imprudentem & vitioſum eorum nexum cum doctrinis acceſſoriis minus neceſſariis, incertis, ſæpe etiam falſis.* Per *primarias veritates* intelligit eas doctrinas, quæ multis aliis in omni ſcientiarum genere principii & fundamenti loco ſubſternuntur, atque, quod ſpeciatim attinet ad veritates Theologicas, præ ceteris neceſſitate, claritate, utilitate, & virtute ſeſe conſcientiis puris inſinuandi pollent, & in Sacris litteris propoſitæ ſunt perſpicue, graviter, ſæpe, & fortiter. Cum autem primariæ illæ veritates dividantur in dogmaticas, exegeticas, morales, & hiſtoricas, Celeb. Autor omnis generis exempla profert & illuſtrat. Primo quidem loco producit dogma de Trinitate divina, oſtenditque, ei in dubium vocando occaſionem præbuiſſe duas potiſſimum doctrinas acceſſorias; cum ſcilicet alii docerent, dogma illud etiam a Platone fuiſſe traditum, alii τῷ ὅτι non contenti juſto curioſius τὸ πῶς inveſtigare aggreſſi ſint, atque hoc pacto hypotheſes invexerint lubricas ac ſpinoſas. Hinc dogmati de æterna Filii Dei generatione fraudi fuiſſe docet, quod (1) ipſi orthodoxi Theologi non conſenſerint de ſenſu locorum *Pſal. II, 7, Rom. I, 4, Actor. XIII, 32;* (2) quod quidam commenti ſint generationem Filii per intellectum, & Spiritus S. proceſſionem per voluntatem; (3) quod diſputatum fuerit, an Chriſtus dici poſſit αὐτόθεος, idque incautius a nonnullis affirmatum; (4) quod Roellius novam ſuam opinionem de generatione Filii Dei per ſolam coexiſtentiam & communionem, ad dogma principale de divinitate Filii Dei tuendum tam neceſſariam eſſe dixerit, ut ſine ea nec Arianis nec Socinianis ſolide poſſit reſponderi. Procedit Cl. Autor ad doctri-

ctrinam de peccato originis, quam firmiores putat acturam fuiſſe in omnium animis radices, nec tot habituram oppugnatores, ſi (1) non ſtatuerent multi, ſiluiſſe de eo dogmate Patres Auguſtino vetuſtiores; (2) non docerent quidam, pari neceſſitate credi oportere peccatum originis & imputationem peccati Adamici: cum tamen poſterior doctrina non ſit articulis fidei fundamentalibus adſcribenda, ſed habenda pro problematica; (3) non derivaſſet Petrus Muſæus imputationem peccati Adamici ex voluntate omnium hominum interpretativa & virtuali, ſtatuens, omnes homines id peccatum fuiſſe peccaturos, ſi in loco Adami fuiſſent; (4) non Malebranchius, non Leibnitius, non alii protuliſſent miras opiniunculas de modo propagandi peccatum originis. Pari modo doctrinæ de gratia Dei univerſali nocuiſſe contendit (1) Cameronis & Amyraldi de illa gratia hypotheſes falſas maleque cohærentes; itemque Sam. Huberi hypotheſin de eadem; (2) quorundam contentionem, ab Apoſtolis evangelium fuiſſe traditum univerſo orbi, quantus quantus eſt, ne America quidem excepta; (3) Leibnitii novas doctrinæ de gratia univerſali explicationes; (4) doctrinam quorundam de gratia Dei etiam damnatis exſpectanda. Progreſſus hinc Celeb. Autor ad Exegeticam Theologicam, duobus exemplis ad confirmandam errorum originem utitur. Scilicet duæ ſunt regulæ inter exegeticas, quarum altera jubemur a ſenſu literali oculos convertere ad ejus interiores ſpiritualesque receſſus fœcundiſſimos. Oſtendit iam Noſter, prioris regulæ obtentu multos complura S. Scripturæ loca interpretatos eſſe ſenſu nimis tenui & macilento, Grotium, Clericum, alios, maxime Socinianos, quos *rabulas* vocat *exegeticos*. Exempli loco producit verba Moſis de imagine Dei, & de comminatione Adamo facta in paradiſo; verba Chriſti de paupertate ſpirituali, de regeneratione, & alia, quæ docet minutiſſimo ſenſu fuiſſe accepta a compluribus. Ad poſteriorem regulam hermenevticam quod attinet, oſtendit, ejus prætextu majorem in modum nugatum fuiſſe Origenem aliosque interpretes allegoricos, quibus & Coccejum aggregat cum ſuis aſſeclis, longius etiam duce ſuo progreſſis. Notat quoque hac occaſione Celeb. Hardtium, cujus opinionem de hiſtoria Jo-

næ

Digitized by Google

næ vocat *paradoxum exegeticum vere ſtupendum.* Venit hinc ad exempla e Theologia morali depromta, atque initio, dogma de notitia Dei inſita negari a Lockio, Clerico, ac pluribus noſtræ ætatis Philoſophis, majorem in modum dolet, putans, errori illi occaſionem præbuiſſe doctrinas acceſſorias, quas pepererit ſtudium explicandi naturam notitiæ illius inſitæ. Sed, ſi dicendum, quod res eſt, S. R. Autor hic in λογομαχίαν incidit. Modo enim memorati Philoſophi ab ipſo haudquaquam diſſentiunt, ſtatuentes quippe, in omnium hominum ratione utentium animis ineſſe notitiam Dei divinæque voluntatis. Tantum originem & initia iſtius notitiæ exponentes diſcedunt pauliſper a ſententia priorum. Ac facile iidem ferent, acceſſorias doctrinas Carteſii, Malebranchii, & aliorum ab Autore notari atro carbone. Sed redimus ad Noſtrum, qui & illius veritatis, qua, in materia religionis & conſcientiæ vim externam locum habere, negatur, doctrinas acceſſorias producit earumque autores, Hobbeſium, Bælium, Collinum, & id genus alios. Ultimo loco Hiſtoriam eccleſiaſticam contemplatur Noſter, docens, & hic accidere ſæpenumero, ut propter circumſtantias falſas vel dubias res ipſa ſæpius negetur, vel ſaltim in dubium vocetur. Verum non licet nobis hic morari, ſed potius libet accedere ad *Diſſertationem ſecundam*, quæ eſt *de providentia Dei circa malum.* Conſtat inter omnes, noviſſimis temporibus acriter diſputatum fuiſſe de origine mali, deque ratione exiſtentiam malorum conciliandi cum Dei providentia. Autor noſter initio Biblica exponit conſilia reprimendi murmurationes carnis noſtræ Rationisque contra Providentiam, pia mente omnino ponderanda. Deinde in medium profert miras Philoſophorum recentium rationes, quibus Providentiam Dei conantur ab injuſtitia abſolvere. Alii enim cauſantur, a Deo conditum eſſe mundum omnium optimum: jam vero mundi illius ideam includere malum, atque adeo non potuiſſe Deum non permittere malum. Alii dicunt, Deum agere per vias ſimpliciſſimas, generales & uniformes, quas neceſſario ſequantur mala quædam & incommoda. Sunt, qui cenſent, non poſſe omnia impediri peccata, niſi per perpetua miracula: jam vero ſapientiæ Dei & ordini totius mundi repu-

p. 81.

p. 120 - 258.

gnare miraculorum crebritatem. Rurſus alii docent, homines conſtituere exilem partem hujus univerſi, & nihili punctive loco eſſe reſpectu multitudinis aliarum creaturam felicium, in reliquis mundi partibus exiſtentium. Nec deſunt, qui, in rebus & perſonis noſtri orbis plura fingi mala, contendunt, quam revera exiſtant, cum phyſica, tum moralia. Quidam contendunt, Deum permittendo peccata voluiſſe gloriam ſuæ & miſericordiæ & juſtitiæ illuſtrare. Nonnullis placet, peccatum & malum quodvis non niſi privationem eſſe, adeoque non efficientem, ſed deficientem tantummodo cauſam habere. Tradunt alii, eo conſilio permitti a Deo peccata, ut juxta ſe poſita magis luceant contraria. Alii reſpondent, non teneri Deum plura gratiæ ſubſidia ad impediendum peccatum ſuppeditare, quam re ipſa largiatur, etſi poſſit, ſi velit. Denique ſunt, qui Deo usque adeo nihil eſſe negotii cum peccato judicant, ut ante illius exiſtentiam ne ideam quidem ejus habuerit. Singulas has argutias erudito oculo contemplatur S. R. Autor, demonſtratque, quantum imbecillitatis falſitatisve ſit in iſtis hypotheſibus. Non licet nobis perſequi ſingula, ſed ſufficit, monſtraſſe ſapientiæ ſtudioſis fontem, unde haurire queant. Illud enim nolumus lectores noſtros celare, videri nobis Autorem noſtrum in pertractandis his argumentis uſum eſſe ἀκριβείᾳ ſumma, adeoque digniſſimum eſſe, qui audiatur ab iis, quos juvat de mali origine diſputare copioſius. Ceterum cum huc etiam pertineat diſputatio de lapſu protoplaſtorum, totam illam hiſtoriam ita exponit, ut acceſſoria diſcernantur a principalibus, utque empæctarum cavillationibus eatur obviam. Ultimo quoque loco erudite expendit diverſas de liber-
p. 259-434. tate humanæ voluntatis ſententias. Sequitur *tertia Diſſertatio*, qua rationes contra Syſtema Leibnitianum de providentia Dei circa peccatum ulterius illuſtrantur atque confirmantur, & quidem occaſione recens natarum ſuper Syſtemate Leibnitiano con-
p. 435-565. troverſiarum. Pari inſtituto *Diſſertatio quarta* deſtinata eſt primæ Diſſertationi novis exemplis & obſervationibus illuſtrandæ. Afferemus ex ea vel unum exemplum. Inter theologicas veritates primarias hæc eſt: *Sacer codex eſt θεόπνευςος.* Hanc ſartam tectam ſervari jubet S. R. Autor, ſed ſimul monet, ut ab ea ſecer-
namus

namus doctrinas acceſſorias, quæ vel creditu minus neceſſariæ, vel etiam incertæ ſunt ac dubiæ. Has in utramque partem diſputari poſſe ait ſalva orthodoxia. Unde ferendum cenſet, ſi quis ultimum Caput epiſtolæ ad Romanos, quod ſalutationibus amicorum conſtat, itemq; mandatum Pauli de afferenda penula, non credat ortum ex θεοπνευςίᾳ; vel ſi quis neget, puncta Hebraica litteris ſuis eſſe coæva. *Diſſert. quinta* examinatur novum & antea inauditum axioma, nuper editæ *Vita Fenelonii Archiep.* inſertum: *Aut Deiſta, aut Cathol.* Hac occaſione non ſolum natura Deiſmi deſcribitur diligenter, ſed etiam oſtenditur copioſe, quibus de cauſis, occaſionibus & prætextibus Deiſmus a compluribus arripiatur ac defendatur, quos item fructus effectusque in diverſi generis hominibus proferat, denique quibus argumentis poſſit profligari ac debeat. Hinc ſuam Cl. Autor exponit ſententiam de rationibus a Fenelonio Deiſtæ objectis, ac ſimul disquirit, quo jure quave injuria religioni Proteſtantium tribuatur origo Deiſmi. p. 566-635.
Sexta Diſputatio eſt *de abuſu nominis divini poriſmatico, ſive de illegitima falſarum ſententiarum per poriſmata in ſpeciem Deo glorioſa palliatione.* Hic oſtendit S. R. Autor, multos errores eo pingi colore commendarique, quod egregia ſuppeditent argumenta probandi exiſtentiam Dei; Prædeſtinatianos hoc uti prætextu, quod ipſorum doctrina optime reſpondeat ideæ entis perfecti; Antitrinitarios omnes videri ſtudere vindices unitatis Dei; impugnatores peccati originalis, patronos immaculatæ conceptionis S. Mariæ, propugnatores transſubſtantiationis, & alios, gloriam Dei ſuis erroribus prætexere. p. 636-736.
Septima Diſſertatione præcipuos circa doctrinam de Eccleſia errores contemplatur, & ita quidem, ut hac occaſione noxiæ falſæque doctrinæ in Eccleſia proximis temporibus auditæ, ſive a Pontificiis, ſive ab aliis prolatæ jactatæque, expendantur ac refutentur. Multa hic bonæ frugis occurrunt de definitione Eccleſiæ, de diſtinctione ejus in viſibilem & inviſibilem, de infallibilitate & indefectibilitate Eccleſiæ, de eccleſiaſtica diſciplina, de ſanctitate Eccleſiæ, de unitate ejus, deque ejusdem libertate. Simul duce Hiſtoria eccleſiaſtica oſtendit Celeb. Autor, quomodo p. 737-824.

exortæ ſint doctrinæ de ſalute æterna extra certam Eccleſiam non ſperanda, de objicienda hæreticis ſola auctoritate Eccleſiæ, de unione Eccleſiæ in externa communione poſita, de irrefragabilitate & infallibilitate Eccleſiæ ejusque præſidis, de Eccleſia non ſubiicienda majeſtati civili, aliæque hujus generis. Verum non licet perſequi pluribus argumenta hujus Operis. Quare nec annexam *Orationem de graviſſimis docentis hodie in Eccleſia Theologi tentationibus, mediisque ad eas ſuperandas idoneis* perluſtrabimus, etſi ſuperiora cuivis facile perſuadebunt, lectu eam eſſe digniſſimam.

Anleitung zur Hiſtorie der Gelahrheit.

hoc eſt,

INTRODUCTIO IN HISTORIAM LITERARIAM, Autore GOTTLIEB STOLLIO, Philoſ. Civil. P. O. in Acad. Jenenſi.

Jenæ, apud viduam Jo. Meyeri, 1724, 4. Alph. 5.

QUem librum A. 1718 p. 558 ſqq. recenſuimus, eum nunc altero tanto auctiorem exhibemus noſtris lectoribus. Cum ſcilicet proximo ſtatim anno bibliopola Cl. Autorem hortaretur, novæ ut editioni ſe accingeret, is magnis acceſſionibus, maxime annotationum, opus ſuum locupletavit, nec majus ſolum, ſed etiam melius procedere iterum juſſit in publicum. Ut unum afferamus emendationis exemplum, P. I cap. 3 §. XI ex libris Hebraicas antiquitates illuſtrantibus merito ejicit, quam prior editio exhibebat, *Buxtorfii Synagogam Judaicam*. Ut & additamentorum nonnihil memoremus, eodem Cap. §. 14 & 16 adjectæ Notæ Vitas continent Laurentii Begeri, Jani Gruteri, ac Raph. Fabretti. Ultimo quoque loco in additamentis ſeparatim p. 759 ſqq. ſubnexis legas Vitas Jo. Georgii Walchii, Chriſtiani Stockii, Jo. Bernh. Wideburgii, Jo. Frid. Wuchereri, & Andr. Rudigeri, qui adhuc inter vivos verſantur magnaque & ingenii & doctrinæ laude florent, ac poſtremus quidem hic apud nos Lipſiæ, ceteri in Academia Jenenſi. Plura ex opere Stolliano tranſcribi non attinet, cum amœnitates hæ hiſtoricæ facile ad ſui lectionem invitent

vitent

Digitized by Google

vitent plurimos, & jam priori hujus Operis editioni Celeb. Bierlingius lib. *de Pyrrhoniſmo hiſtorico* p. 198 hanc ſuſpenderit hederam: *Hoc libro nemo eruditionis elegantioris cupidus carere poteſt.* Nos voto concludimus, ut doctiſſimus Autor promiſſam in Præfatione *Hiſtoriam literariam Medicinæ, Jurisprudentiæ, ac Theologiæ* pari felicitate qaamprimum producat in publicam.

CHRISTOPHORI MATTHÆI PFAFFII, S. Theol. D. & Prof. prim. Eccl. Tubing. Præpoſiti & Univ. Cancellarii, Introductio in Hiſtoriam Theologiæ Literariam, notis ampliſſimis illuſtrata.

Pars II.

Tubingæ, ſumtibus Io. Georgii & Chriſt. God. Cottæ, 1725, 4. Alph. 2 pl. 17.

En alterum Tomum laborioſiſſimi Operis, quod ſuperiori Anno *p. 525* recenſere cœpimus. Exhibentur hic maximo numero ſcriptores Theologiæ polemicæ, & quidem hoc ordine, ut primo loco refutatores veterum hæreſium commemorentur: quanquam brevis hic eſt S. R. Autor, lectores ſuos ablegans ad Lipenium, Sagittarium, ac Schmidium, quos ſtrenue jam decurriſſe huncce campum conſtat; deinde apologetæ Chriſtianæ religionis, adjunctis Catalogo eorum Fabriciano haud paucis: tum ſcriptores adverſus Atheos, Naturaliſtas, Indifferentiſtas, Judæos, Ethnicos, Muhamedanos, Eccleſiam Græcam, Pontificios, Reformatos, Arminianos, Socinianos, Anabaptiſtas, Mennonitas, Quakeros, Chiliaſtas, & Fanaticos. Poſtea de ſcriptoribus polemicis univerſalibus agitur, atque ultimo loco de inteſtinis Eccleſiæ Lutheranæ bellis inde a tempore Reformationis. Iterum Celeb. Autor in Præfatione monet, ſe de induſtria omiſiſſe de ſingulis libris ſuum judicium. Quanquam fieri non potuit, quin ſubinde moneret, quid ſibi videatur de præſtantioribus nonnullis ſcriptoribus. Afferamus aliquot exempla. *P. 3* judicat, nihil, niſi quod plane egregium ſit, ex calamo Jacobi Baſnagii, hiſtoriam Eccleſiaſticam quod concernit, effluere poſ-

Digitized by Google

ſe. *P.9* R. S. Buddei librum *de Atheiſmo* vocat præſtantiſſimum, nec quenquam, qui ſapiat, eo carere ait. *P. 12* Dominici de Colonia librum *de veritate religionis Chriſtianæ* commendat præ ceteris ejus argumenti ſcriptoribus. *P. 24* Wolfii *Bibliothecam Hebræam* ſcribit omne ferre punctum, miraque confectam eſſe diligentia. Obſervat tamen, omiſſos ibi eſſe ſcriptores de Judæorum ſectis ac hæreſibus. *P. 27* Theologiæ cultoribus eximie commendatas vult *Miſſionariorum Danicorum Relationes ex India orientali*, Halæ editas, cum iis contineantur colloquia ab iis habita cum paganis ſapientiſſima, Philoſophorum acutiſſimorum ratiocinia longiſſime ſæpius ſuperantia, atque egregie monſtrantia methodum refutandi convertendique paganos. *P.154* præſtantiſſima eſſe ait & maximi pretii ſcripta Dallæi. Nec aliis digreſſionibus, lectori haud ingratis, caret hoc opus. Ut prætermittamus, quæ narrat *p. 89* de Boſſueti, Epiſcopi Meldenſis clariſſimi, clandeſtino conjugio; in Capite de ſcriptoribus antipontificiis, quod longiſſimum eſt, *p. 42 ſqq.* exhibet bullas Leonis X. contra Lutherum A. 1520 & 1521 emiſſas; *p. 63. ſqq.* inſerit e Fabricii *Bibliotheca Græca* notitiam literariam Concilii Tridentini; *p. 90 ſqq.* exhibet catalogum librorum ab Antonio Arnaldo ſcriptorum, ſubjungens titulos librorum contra eum publicatorum; *p. 93 ſqq.* recenſet Gallos Scriptores Pontificios, Theologiam oppugnantes Lutheranam; *p. 134 ſqq.* commemorat libros occaſione pacis religioſæ & Weſtphalicæ ab utraque parte editos; *p. 145 ſq.* Hobhanii, hodie Superintendentis Knitlingenſis, libros antipontificios ψευδωνύμως editos exhibet, eosque ſcribit haud vulgari refertos eruditione multoque ſale conditos eſſe. In eo Capite, quo libros Reformatis oppoſitos recenſet, *p. 182 ſqq.* ſcripta Duræi producit ſingula, ſubjunctis iis libris, quos in eum effudit cohors adverſantium. Hic etiam ſcriptores Irenicos, eorumque antagoniſtas commemorat. Nec hanc dimittit occaſionem, ſcripta præcipuorum Reformatæ Eccleſiæ Theologorum per modum Catalogi exhibendi, Unius Sam. Mareſii Catalogus librorum duodecim implet paginas, *p. 215-227. P. 234 ſqq.* Tilemanni Heshuſii librorum index repræſentatur. *P. 255 ſqq.* legitur Catalogus librorum ab Anglis Epiſcopalibus contra Presbyterianos, & vice verſa

ab

ab his adverſus illos emiſſorum. *P. 257 ſq.* Celeb. Autor hiſtoriam Antinomorum, nuper in Anglia exortorum, exponit, & libros iſta occaſione ab utraque parte editos commemorat. *P. 269 ſqq.* recenſet ſcripta de animæ immortalitate in Anglia edita occaſione ſententiarum Cowardi & Dodwelli. *P. 274 ſqq.* exhibet Catalogum librorum a Whiſtono & ejus antagoniſtis publice ſcriptorum. Pari modo Lockii, Tolandi, aliorumque fœtus ingeniorum producit in medium. Scripta quoque a Petro Bælio compoſita recenſet *p. 297 ſqq.* In Capite de Arminianis *p. 307 ſq.* catalogus librorum Joannis Clerici theologicorum profertur, & *p. 316 ſqq.* catalogus librorum de jure magiſtratus circa ſacra, potiſſimum in Belgio, editorum. In Capite de Socinianis multam promit notitiam de recentioribus Anglis Sociniſmi labe infectis. Ac *p. 340* videre licet nomina Antitrinitariorum ſecundum nationes diſpoſita. *P. 352 ſq.* exhibentur ii ſcriptores, a quibus expoſita fuit Anabaptiſmi hiſtoria; *p. 358 ſqq.* libri de pædobaptiſmo ſcripti; *p. 385 ſqq.* bibliotheca ſcriptorum de Inſpiratis. Poſtremo in Capite occurrunt non ſolum libri in controverſiis, Flaciana, Huberiana, & ſimilibus antiquioribus editi, ſed etiam ſcripta antagoniſtica Academiarum Helmſtadienſis & Wittebergenſis, ſcripta Pietiſtica, Terminiſtica, Anti-Speneriana, & quæ ſunt hujus generis. Præ ceteris copioſe agitur *p. 412 ſqq.* de controverſia ſuperioris ævi Ubiquiſtica. Sufficiant hæc de præſenti Opere, in cujus *p. 249* cum *Hartnaccii Cenſuram & Hiſtoriam Synodi Dordracenæ* memorari cernebamus, videbatur nobis Celeb. Autor non uſus eſſe ſuis oculis. At poſtquam rectius nominari *p. 312* iſtum librum vidimus, facile credidimus, librum illum deinceps Celeb. Autoris in conſpectum veniſſe. Tertium eundemque ultimum hujus Operis Tomum quamprimum eſſe ſuperiores conſecuturum, dubitare non patitur Summe Rev. Autoris φιλοπονία & de literatura ſacra præclare merendi ſtudium.

IO. HENR. A SEELEN, GYMN. LUBEC. Rect. Memoria Stadeniana, ſive de vita, ſcriptis ac meritis Diederici a Stade Commentarius.

Hambur-

Digitized by Google

Hamburgi apud Theod. Chriſt. Felginer, 1725, 4.
Alph. 1, pl. 3.

CL. Seelenius, cujus *Athenas Lubecenſes* partitim ſuperioribus annis recenſuimus, non ſimplicem hic exhibet vitæ Stadenianæ deſcriptionem, ſed hac occaſione partim e commentariis Stadenii nondum editis, partim aliunde affert præclara ad illuſtrandam Germanicæ linguæ etymologiam. Imo in ipſa Præfatione ordine commemorat Germanos de patria lingua bene meritos, e quibus adhuc in vivis ſunt Lœſcherus, Muhlius, Eccardus, Menckenius, Raupachius, Friſchius, Egenolfus, Wackius. Ipſius libri *Caput primum* Vitam Stadenii continet. Natus is fuerat Stadæ A. 1637. In Academia Julia initio Theologiam ſuſcepit excolendam: poſtea civili Juri ſe dedit, ac præter JCtos etiam Conringium audivit. Hinc in Sueciam delatus, Senatoris regni Bannerii filium optimis literis erudivit: cum quo juvene etiam Athenas Suecicas, Upſaliam, adiit, & in doctiſſimorum Profeſſorum familiaritatem pervenit. A. 1668 conſtitutus eſt Secretarius Conſiſtorii Regii Ducatuum Bremenſis & Verdenſis, adjecto A. 1711 Archivarii munere. Variis agitatus fuit fatis, quæ materiam præbuerunt patientiæ & ceteris Chriſtianis virtutibus, quibus eluxit, nunc beatiſſimam vivens vitam inde ab A. 1718, d. 19 Maji. His uberius expoſitis Cl. Autor *Cap. II* libros memorat illos, quorum lectione opus eſt ei, qui profectus facere cupit in ſtudio etymologico Germanico, quibusque uſus eſt feliciter Stadenius. Hic igitur exhibetur Bibliotheca Teutonico-philologica, non ſolos librorum titulos repræſentans, ſed varia adjungens cognitu jucunda. *Cap. III* de Stadenii libris, qui exſtant, agitur. Cumque Stadenius iis ſit annumerandus, qui uni ſtudio ſe totos dediderunt, nullus hic liber occurrit, qui non tradat linguam Teutonicam. Ceterum cum is *Specimini Lectionum Francicarum* a ſe edito ſua manu adſcripſerit plures animadverſiones, harum præcipuas Cl. Autor exhibet p. 118-129. *Caput IV* dicatum eſt ſcriptis Stadenii nondum editis. Scilicet reliquit is multa illuſtrationi linguæ patriæ inſervientia: quæ omnia nunc aſſervantur ære redemta in auguſta bibliotheca Hannoverana. Nos quidem vellemus, tamdiu vixiſſet Stadenius, donec edidiſſet, quæ elucubravit

vit

Digitized by Google

vit in Otfridum, quæque ardenter expectata ſunt ab harum literarum cultoribus. Superſunt vero & hiſtorici aliquot libri, vel affecti a Stadenio vel confecti, qui editorem deſiderant. *Capite V* laudantur primo viri doctiſſimi, quibuſcum Stadenius habuit commercium; deinde exhibentur plures Stadenii & amicorum ejus epiſtolæ, vel ſaltim ex iis excerpta: quæ quidem ſingula verſantur circa antiquitates & origines linguæ Germanicæ. *Sexto Capite* continentur multæ animadverſiones ejusdem argumenti, decerptæ e libris & ſchedulis Stadenii nondum editis. Denique *ſeptimum Caput* judicia exhibet honorifica, quæ de Stadenio & literatis ejus laboribus tulerunt viri doctiſſimi. Ac fatendum nobis eſt, præclare Cl. Selenium parentaſſe Manibus Stadenii, nec ſolum filiis ejus gratum feciſſe, quorum nomina præſcripſit huic opuſculo, ſed univerſis amœnitatum harum philologicarum cultoribus.

Religions-Prüffung ꝛc.

i. e.

CHRISTIANI AUGUSTI HAUSENII SCRUtinium Religionum.

Dresdæ, ap. Zimmermann & Gerlach, 1724, 4. Alph. 6 pl. 8.

MAx. Rev. Autor, Paſtor ad ædem B. V. Dresd. meritiſſimus, præclaram navavit operam, cum hoc edendum curaret ſcrutinium Religionum. Etſi enim non deſunt hujus generis libri varii, etiam Germanice conſcripti, paucos tamen reperias, in quibus tam copioſe, tam ſolide, tamque graviter, & modeſte hoc pertractatum ſit argumentum, quam quidem in præſenti Opere. Ac prima quidem fere occaſio inſtituti ea fuit, quod videret Autor, ſæculum noſtrum nimis rerum ad religionem ſpectantium incurioſum eſſe, multosque veras æque ac falſas Dei colendi rationes uno eodemque loco habere. Quare etſi de ſcribenda Theologia aliqua polemica nunquam cogitavit, ſed pro muneris ſui eccleſiaſtici conditione & fidem præcepit auditoribus, & ſanctam vitam; tamen adduci ſe tandem paſſus eſt, ut aliquando e cathedra eccleſiaſtica una cum lacte catechetico etiam controverſiarum ſacrarum cibum firmiorem exhiberet. Segregatis de-

Digitized by Google

inde iis, quæ magis ad ſuggeſtum & homilias pertinent, concinnavit præſens opus, quod & doctis, & indoctis uſui eſſet, & magno emolumento. Conſtat autem illud XII omnino libris, vel ſectionibus; *I* agitur de Religione naturali, ubi Cel. ***Abbadium*** potiſſimum ſequitur, additque poſterioribus IV capitibus doctrinam de Revelatione divina, ejuſque neceſſitate, autore, & characteribus, itemque de veteri, eaque vera religione Judaica. *II* continetur, quicquid de religione Chriſtiana, ejuſque divina origine, veritate, præſtantia, utilitate, & prærogativis dici poterat. *Lib.* autem *III* incipit Autor de iis diſſerere, quæ vel ab omni, vel a vera certe religione avocant homines & abducunt, qualia ſunt peſtes illæ atheiſmi, naturaliſmi, indifferentiſmi, Epicureiſmi, & ſuperſtitionis: qua quidem occaſione varias & movet, & ſolvit quæſtiones, e.g. de pœnis, quibus coercendi ſint athei, &c. *Lib. IV* progreditur Autor ad Religiones profanas, ſigillatimque ad Ethniciſmum, ubi & idololatriam, & πολυθεότητα vivis depingit coloribus, ac nefanda gentilium flagitia impiosque mores enarrat. Lectu ſimul perquam dignum eſt, quod de officio Chriſtianorum circa Gentilium converſionem monet. *Lib. V* complectitur argumentum de Religione Judaica hodierna. Hic præter alia diligenter diſquiſitum videas de cauſis cæcitatis & pervicaciæ Judæorum, odioque in Chriſtianos, & qua lege tolerandi ſint in rep. Chriſtiana. Nec minus legi merentur, quæ de converſione Judæorum dedita opera exponuntur. Hinc tranſit Autor *Lib. VI* ad tractationem de religione Mohamedica, cujus & hiſtoriam pandit, & conditionem, ubi ſigillatim docet, quomodo verſandum ſit in converſione Turcarum, additque nonnulla de bellis Chriſtianorum contra illos. *Lib. VII* agit de Papatu & eccleſia Romano-Catholica. Reperias hic pariter hiſtoriam Papatus ſuccinctam, una cum interiore illius notitia, (quorſum refertur etiam Jeſuitarum male ſana doctrina,) itemque a Papiſtis contra Proteſtantes adhibitis mediis cum violentiæ, tum fraudulentiæ. Tacemus, quæ de Roma irreconciliabili, & de Concilio Tridentino hic etiam aſſeruntur. Optandum profecto, ut viri politici, & ſi qui juſto lenius de Papatu ſentiant, hæc diligenter legant, & expendant. Nec eſt certe,

quod

Digitized by Google

quod vel pertinaciſſimus Papiſta de nimio & exorbitante zelo Autoris noſtri juſta de cauſa conqueratur. Sed perluſtremus breviter reliqua. *Lib. VIII* accedit M.R. Autor ad conſiderationem Eccleſiæ Evangelico - Lutheranæ, cujus faciem tanquam vir integerrimus exhibet, nec nævos adeo illius reticet, ſed ſine omni contumelia, qualem ab hoſtibus, ſyncretiſtis, pſeudo - politicis, hypocritis, & perſecutoribus experta eſt. *Lib. IX* videas accurato ſtudio deſignatam Religionem Reformatorum, quos vocant. Incipit Autor de hiſtoria ſchiſmatis inter Lutheranos & Reformatos diſſerere, hinc doctrinas eorum exponit, &, quam minime periculo careant, oſtendit, & tandem de Unione ſæpius tentata ſobrie disquirit, oſtenſis præcipuis rei tam exoptatæ impedimentis. *Lib. X* ſequitur ſcrutinium religionis novorum Arianorum, & Socinianorum, idque hiſtorico-dogmaticum. Subjunxit Autor nonnulla de Socinianorum fautoribus, & aſſeclis variis. *Lib. XI* exponitur docte & accurate de Enthuſiaſmo, ita, ut recentiores etiam in eccleſia Romano - Catholica, Reformatorum, & Lutheranorum excitati motus enarrentur. Denique *Lib. XII* agitur de Religione, eccleſiaque Græcorum, ſigillatim de diverſis eorum doctrinis, & fatis. Monemus quoque, doctiſſimum Autorem ſub finem ſingulorum capitum plurimos allegare libros, & fontes, unde vel confirmari poſſint, quæ dixit, vel uberius illuſtrari.

Auserleſene Theologiſche Bibliotheck ꝛc.

i. e.

BIBLIOTHECA THEOLOGICA SELECTA, ſive ſolidæ Relationes, Judiciaque de recentiſſimis, optimisque libris, & Commentationibus argumenti Theologici.

Tomus I, ſive partes XII priores.

Lipſiæ, ap. hæredes J. F. Braunii, 1724 & 1725, 8. Alph. 3 pl. 8.

NOn prætereundum plane duximus Diarium hoc Theologicum, cum & ſingulari ſtudio elaboratum, & haud exiguo

plauſu recte ſentientium exceptum videamus. Conſtitutum autem eſt Max. Rev. Autori, quem *Jo. Chriſtophorum Colerum*, nuper ex Gymnaſio Illuſtri ad Paſtoratum, quem vocant, ædis S. Jacobi Vinar. vocatum, eſſe cognovimus, non promiſcue omnes libros Theologicos, ſed ſelectiores tantummodo & melioris notæ tam copioſe, tamque integra ubique fide recenſere, ut ſperet, ipſos forte librorum Autores nihil amplius deſideraturos eſſe: id quod in Relationibus Theologicis, *Unſchuldige Nachrichten* dictis, non ſemper præſtitum putarint viri docti. Hinc vero Noſter id quoque dedit operam, ut ſingulis recenſionibus ἐπίκρισιν ſubjiceret quandam, eamque acerrimam quidem, & prorſus exactam, ſed modeſtam ſimul, & ita comparatam, ut famæ & exiſtimationi Autorum nihil unquam detrahatur. Ubi vero de ſingularibus quorundam opinionibus monendum quid occurrat, ſemper ipſa adjecit verba ſcriptorum, bona fide exhibita. Hac ratione priore Tomo hoc plurima enarrata deprehendimus præclara Opera Theologica. Ne tamen ullo modo omitterentur libri Theologici, qui alicujus ſaltem ſint pretii, cœpit Autor inde a Parte IV ſub finem cujuslibet ſectionis Notitiam novorum librorum addere, una cum ſuccinctis obſervationibus, in quibus varia monet, non contemnenda. Veruntamen ne hic quidem ceſſat opera illius, ſed rogatus aliquando a viris prudentioribus, decrevit, inde a Parte VII ſubinde Nova quædam Theologica inſerere, ſed hac omnino lege, ut nihil afferret, quod vel non ſatis compertum idoneaque fide ſuffultum eſſet, vel ulla ratione quemquam offendere poſſet. Sic videas p. 624 ſq. inſertum integrum Edictum Ludovici XV, Gall. Regis, contra Proteſtantes; p. 905 extat Bulla Pontificis Rom. Benedicti XIII, qua indictum fuit nuperum Concilium Lateranenſe; p. 917 ſq. reperitur Elogium Pontificis hujus ex Jacobo Echardo; p. 960 ſq. Declaratio Vrlſpergeri occurrit; p. 103 ſq. Notitia Concilii jam dicti Lateranenſis ex Litteris Hiſtoricis (*Lettres Hiſtoriques*) & Mercurio Hiſtorico (*Mercure Hiſtorique*) una cum obſervationibus quibusdam exhibetur; p. 1113 ſq. XII illi Articuli, quibus, uti fama tulit aliquandiu, comprehenſa fuit Benedicti XIII P. R. Explicatio Conſtitutionis Unigenitus, ex Originali, quod vocant,

vocant, afferuntur, &, quam parum fidei illis tribuendum ſit, docetur. Tacemus reliqua, & illud tantum monemus, ſubinde ab Autore nonnulla ex MSS. evulgari, qualia ſunt e. g. Epiſtolæ II Mauritii Helingi ad Paulum Crellium, p, 700 ſq. &c. Nos minime dubitamus, ſi hac pergat via Autor, multum commodi ex hocce inſtituto redundare poſſe.

JO. CHRISTOPH. COLERI ANTHOLOGIA, ſive Epiſtolæ varii argumenti, ad illuſtrandam potiſſimum Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Literariam comparatæ.

Tom. I Faſc. I.

Lipſiæ, proſtat in officina Brauniana, 1725, 8.

Pl. $5\frac{1}{2}$

IDem, quem jam laudavimus, Max. Rev. Autor novum hic ſuſcepit opus per certos Tomos & Faſciculos edendum. In Dedicatione ad Perilluſtris Mareſchalli, Supremi Palatii Magiſtri, & Cancellarii Vinarienſis, ſummi Mæcenatis, filium, in Academia Jenenſi degentem, itemque in præfatione profitetur Autor, ſe horis ſubſecivis, & ubi vacavit ab aliis negotiis, collegiſſe varias obſervationes, idque occaſione fere Diarii illius, quod modo commemoravimus. Has & Obſervationes, & Lectiones varias deinde in hunc, quem videmus, ordinem redegit, modumque. Ac ne tædium pareret lectio, elegit genus epiſtolarum, idque exemplo aliorum doctiſſimorum virorum, quamvis ſedulo evitarit, quicquid vanum videri poterat & glorioſum. Anthologiam autem vocavit librum, quod florum inſtar ex vario doctrinæ genere decerpſit argumenta hic expoſita, ita tamen, ut ad hiſtoriam potiſſimum eccleſiaſticam & literariam reſpexerit, idque in poſterum facturus eſt amplius. Jam videamus breviter, quid I hocce contineatur Faſciculo. Principe loco Maximiliani II decretum contra G. Ederum ob illatam Proteſtantibus injuriam, quod pridem P. Bælius dignum cenſuit, cujus ſingula verba diligentiſſime expendantur, & cujus partem Horn-

 beckius

beckius evulgavit, hic integrum extat, una cum animadverſionibus quibusdam æque lectu dignis, quorſum imprimis pertinet exemplum juſtitiæ Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri *Caroli VI* in confiſcando opuſculo Gabr. Erdœdy Proteſtantibus iniquiſſimo. Secundo extat diſquiſitio de libro: *Jongelini* Notitia Abbatiarum Ciſtercienſium. Cl. Leucfeldus opus vocavit rariſſimum. Quid eo contineatur, & quale pretium eidem ſtatuendum ſit, candide aperit Autor noſter, imprimiſque, quid de plagio Jongelini habendum, edocet. III occurrit obſervatio de ſchedis Halenſibus: ***vernunfftige Tadlerinnen***, quibuſcum Autor hic modeſtia, ingenio, cultuque dictionis certare videtur, adeo, ut nihil in ipſo reprehendendum vel culpandum facile reperiri queat. IV agitur de Cardinale Mutinenſi, ex nova editione Diarii Jo. Burchardi, quam poſt Leibnitii curam cum orbe literato in Corp. Hiſt. medii ævi communicavit Cel. Eccardus, de quo ipſo varia hic afferuntur, maxime quantum ad mutationem religionis ab ipſo factam attinet, & quidem potiſſimum ex diario Gallico: *Bibliotheque Germanique*. Noſter rem ipſam quidem enarrat, ſed judicium ſuum ſententiamque non interponit. V differitur de rariſſimo libro Abbatis de S. Grano: *Queſtion Royale* &c. Fatetur Bælius, eum ſibi viſum non eſſe: ac profecto in ipſis Galliarum bibliothecis publicis privatiſque rariſſimus eſt. Quare operæ pretium fecit Autor, qui copioſam de illo notitiam ex commentariis illis: *Memoires Chronologiques & dogmatiques* &c. (de quibus ſupra in his Actis p. 138 ſq. expoſuimus) hic exhibet: nec omittit poſtremo judicium ſuum de eodem libro. VI de Trithemii Apologia contra accuſationem magiæ agitur, idque ex Nepiacho illius ab *Eccardo* edito. Monet hic Noſter, apologiam Trithemii neglectam eſſe a G. Naudæo, optatque, ut vir quidam doctus ſuſcipiat aliquando continuationem commentarii Naudæani. Subinde etiam illuſtrat quædam in jam dicto Nepiacho & Apologia Trithemiana. VII curioſe diſſeritur de *Laterano*, ejuſque derivatione ridicula, conquiſitis diligentiſſime cunctis, quæ huc facere poterant. Addit Autor, quam inique Reineſius invectus ſit in Theologos Lutheranos, qui aut tribuant aliis, aut receperint ipſi inſignia Doctoratus, uti vocant. Affert in hanc

rem

rem ipſa Reineſii verba cum caſtigatione Bertrami, Cancellarii quondam Altenburgenſis. Denique VIII exhibet Autor Sententiarum Sixti II editionem Hilleſſemianam, Cel. Sibero nuper non viſam, una cum eruditis nonnullis obſervationibus. Hæc promulſidis inſtar ſufficiant ad cognoſcendam præſentis opuſculi & inſtituti univerſi conditionem. Facile ſperamus, illud probatum iri doctioribus & rei literariæ amantibus. Quare optamus, ut perſequatur inſtitutum ſuum Cl. Autor, maxime cum videamus, Bibliothecam Principalem Vinarienſem, theſaurum illum incomparabilem, ipſi patere, id quod ipſe perquam honorifice commemorat laudatque.

BENEVENTANA PINACOTHECA, AUCTORE JOANNE DE NICASTRO, Patricio Beneventano, V.I.D. ac Metropolitanæ Eccleſiæ Archi-Diacono.

Beneventi, ex Archiepiſcopali typographia, 1720, 4.
Alph. 1 pl. 18.

ILluſtrium Beneventanæ urbis civium memoriam plures jam conati ſunt propagare ad poſteros, Bartholomæus Chioccarellus in libro *de illuſtribus regni Neapolitani ſcriptoribus*, Joan. Vincentius Ciarlanti in *Hiſtoricis Samnii Monumentis*, Marius de Vipera in *Chronologia Beneventanorum Antiſtitum*, idemque in *Elencho ſanctorum civium Beneventanorum*, Ferd. Ughellus in *Italia Sacra*, & Nic. Toppius in *Bibliotheca Neapolitana*, quos Autor noſter in Præfatione commemorat. Sed ipſe uberius exequi hoc argumentum ſtatuit, multis jam cum Latino, tum Italico ſermone editis libris nobilis, quorum catalogum Præfationi ſubjectum videmus. Tribus autem libris complexus eſt patriæ urbis gloriam, *primo* deſcribens Beneventanæ urbis, quam Roma 432 annis antiquiorem eſſe docet, varia fata, Longobardos dominos, nobiles familias, Epiſcopos, antiquum pariter ac præſentem ſtatum, cum civilem, tum Eccleſiaſticum. *Secundo libro* exhibet non ſolum Sanctos hic natos, inter quos primum tenet locum S. Januarius, quem Beneventi natum eſſe, cum ſint,

qui

qui negent, ipſe alios etiam adducit, qui Beneventanæ urbis civibus eum eſſe adſcribendum ſummis viribus contendant; verum etiam Pontifices maximos, Cardinales, Archiepiſcopos & Epiſcopos, quos urbs illa procreavit. *Tertius liber* duo habet capita, quorum priore recenſentur Beneventani doctrinæ laudibus illuſtres, poſteriore viri ejusdem civitatis bellica conſpicui gloria. E priori ordine fama nominis ceteros præcellunt Orbilius, vetus Grammaticus, L. Valerius Pudens, Poeta eximius, Papinianus, JCtus, Bartholomæus Camerarius, Theologus idem & JCtus, qui & Luthero Calvinoque ſe antagoniſtam præbuit, ac denique Nicolaus Francus, Orator & Poeta præſtantiſſimus, ob editas in Papam Pium IV ſatyras miſera morte functus & in numerum relatus litteratorum infelicium. Præter hos centum alios ac novem commemorat Autor litterarum ſtudiis inclytos Beneventanos, quos quidem domi, quam foris, clariores jure noſtro prætermittimus.

Eröffnete Muthmaſſungen und merckwürdige Gedancken ꝛc.
h. e.
CHRISTIANI DEMOCRITI CONJECTURæ & Animadverſiones in JAC. A MELLE, Sen. Miniſt. Lubec. Commentatiunculam de ſimulacris aureis, quæ in Boringholmia maris Balthici inſula, agris eruuntur. Accedit reſponſoria ad Amicum Bornholmienſem de cornu aureo in Jutlandia olim reperto.

Hamburgi, apud Joh. Georg. Piſcatorem, 1725, 4.
Pl. 5.

QUamvis Editor hujus ſchediaſmatis omnium aſſenſu, imo admiratione digna credat, quæ famoſus *Jo. Conradus Dippelius*, rogatu amicorum Rœnnenſium, de icunculis iſtis aureis Bornholmienſibus conjecturavit, maxime, quia in carcere, omni penitus libraria ſupellectile deſtitutus, eruditam adeo ſententiam protulerit; aliis tamen plagulæ iſtæ vix tanti videbuntur, ut vel a multis legi, vel hic recenſeri mereantur. Nos de ipſis ſimulacris, cujuscunque antiquitatis non prorſus contemnendis

nuendis particulis dicturi, ea fini hoc ſchedion producimus, ut diverſas duorum, Cl. *Mellii* & *Democriti* ſeu *Dippelii*, longe inter ſe diſtantes conjecturas inſimul lectori noſtro judicandas exhibeamus. In Boringholmia inſula, non procul a Rœnna oppido, agri portio haud exigua, plana, nec niſi paucis vepribus interſtincta, olim neglecta, quindecim abhinc annis iterum vomere proſcindi conſerique cœpta eſt. Inter arandum ſingulis annis nonnullæ bracteolæ aureæ, variis figuris humanis ſignatæ, a ruſticis inventæ ſunt, quæ bono fato in doctiſſimi Mellii manus pervenere. Extantiores is æri inciſas commentatiunculæ ſuæ adjecit, ex quibus nos aliquas ſelegimus, quas Tabula V Fig. 4-16 ob oculos ponit. Ut vero melius de inventionis hiſtoria conſtet, notamus, omnes bracteolas uno eodemque in agro, ſed ſparſim, ac e ſulcis prorſus disjectis erutas eſſe, nec altius quidem, quam vomer penetrat, ceterum eas aratoribus fortuito ſeſe obtuliſſe, ab aliis multa opera plane fruſtra quæſitas. Nullam præterea rem, quæ vetuſtatem referret, aut obſervatione digna foret, in iſthoc agro effoſſam eſſe, niſi duos ærugine obductos gladios, quos paucos ante annos itidem aratrum forte extraxit. Materia, ut diximus, aurum eſt, cujus antiquis temporibus in Boringia copiam fuiſſe, licet nulla ejus inſulæ vena aurum gignat, ex *Herodoti* & *Adami Bremenſis* teſtimoniis confirmat Mellius, &, quam exercuerunt Boringi longe lateque, piratica iſtam auri copiam acquiſitam fuiſſe conjectat. Ad formam bracteolarum quod attinet, ipſæ partim nummis bracteatis ſimillimæ, atque eorum plane in morem ab una parte introrſum ſignatæ, ut fig. 4, 5, 6, 8 & 9, partim vero craſſiuſculæ & planæ ſunt, quibus figuræ radio inciſæ, ut fig. 10, 7, 13, 14, aliquæ etiam ad ſpeciem corporis humani circumciſæ, ut fig. 11, 12, 15, apparent. Quemadmodum vero exigua earum moles, ut maxima pollicem vix æquet, qualis fig. 12, ita & nulla pondere viginti granula excedit, aliquæ ſex granulis ſunt leviores. Audiamus jam, quid Mellio noſtro de ipſis icunculis bracteolarum videatur. Scilicet pro Laribus & Penatibus vetuſtorum Boringorum, majoris cultus ac honoris cauſa in auro effigiatis, eas habet: utroque ſexu autem iſta numina olim apud plures populos credita cultaque fuiſſe; caninum caput, quod

TAB. V. Fig. 4-16.

Digitized by Google

in fig. 4 & 5, noſcitur, ad iſtum referri debere gentilium morem, quo Penatibus Præſtitibus caninum quidquam attribuere, ac ſæpe canem comitem dare conſueverint, ad indicandam domus ac rei familiaris cuſtodiam tutelamque. Sub fig. 7, quæ reti obvoluta eſſe videtur, autumat latere *Diſam*, quæ & olim Scandis *Iſa, Freia, Deia, Gio, Gratſagra-God, Vena & Vana-God, Vena-Diſa, Aſtar-God, Syre, Sif, Harſagra-God, Skade, Onclur Diſa* dicta ſit. Hanc enim ſaverrimam apud Cymbros Sibyllam rete induiſſe, cum alias inter duriores conditiones a Rege *Sigtrudo* prohibita eſſet vel nuda, vel veſtita coram ipſo comparere: unde eam tunica retis formam habente cinctam pingi, ſculpive ac in nummis exprimi conſueviſſe, docet. Jam ſi quæras, quomodo ſimulacra iſta Penatium, olim ſacra, terra obrui agrisque occultari contigerit? putat, id ſingulari veterum Boringorum, Chriſtianæ religionis ſacris initiatorum, zelo adſcribendum eſſe, qui *Egione*, Dalbojenſi in Scandia Epiſcopo, ſuaſore idololatria ſe abdicarint, utque omnis Deaſtrorum memoria aboleretur, etiam aureos hos Penates defoderint, quam in rem *Adami Bremenſis* ex *hiſtoria Eccleſiaſtica* locum adducit. Verum, quid ad hæc ſingula *Democritus?* Is non ſolum negligentiæ Mellium incuſat, plures ſcribentem in Bornholmia ſubinde reperiri bracteolas, cum tamen nullæ, præterquam, quas Mellius poſſideat, nec niſi in uno agello erutæ ſint: ſed etiam interpretationem figurarum aggreſſus alia omnia ſentit, quippe ſacra Ægyptiaca & Hermetis Triſmegiſti myſteria in his icunculis ſolus cernit, noctes dieſque Alchymiſtarum ſecreta ſomnians. Credit igitur, omnes bracteolas ſingulari loco agri defoſſas latuiſſe uno vaſculo, vel injuria longioris ævi, vel etiam aratri violentia perfracto, poſtea, dum ſæpius glebæ diſjicerentur, bracteolas quoque eſſe hinc inde diſperſas, quæ fortaſſe eo ipſo primum loco, quo gladii detecti, conditæ fuerint. Neutrum vero credibile, ait, ſive, quod ſimulacra iſta ſint Penatium, utpote nimis levia & exilia, ſive quod a Boringis Chriſtianis defoſſa fuerint: quem enim ſanæ mentis hominem obruturum fore terra aureum idolum, quod conflare, eoque in uſus innoxios & ad augendum patrimonium convertere poſſet? Ecce! fig. 4, 5 & 6 figuræ ſunt Ægyptiorum ſacerdotum, Oſiridi

ſacra

ſacra parantium, cujus inſtar ambo priores capite canino inſignes conſpiciuntur: primus vaſculum corona exornatum præfert, hianti ore fortaſſis præcentorem indicans; alter ſacerdotum Princeps, tunica & parmula pectori annexa cum gemmis atque unionibus ceteris præfulget, libum quadrangularem apportans: tertius Diaconum deſignat, ſub pallio ſacra vaſa & panes geſtans, qui nec dignus viſus capite Oſiridis exornari, ut vilioris conditionis homo. Et quis dubitet, Ægyptios ſacerdotes eſſe, manifeſto & cucullo, & pallio, & raſo capite conſpicuos? Muliebres figuræ, ad quas nunc accedimus, referunt ſacerdotiſſas Iſidis, quas oportebat feſtis diebus hujus Deæ ſeminudas ſaltare, ut fig. 8, qua ceremonia puellæ impuberes, his ſacris deſtinatæ, toto corpore nudæ perfungebantur, fig. 9, 11, 12, decrepitæ vero ſacerdotes, qualis fig. 10, a ſaltatione immunes dirigendis cerimoniis præerant. Dippelius tam accurate poſituram geſtusque fœmellarum hic diſcernit, ut ſaltationem Gallicam in fig. 8 agnoſcat, (*weil ſie ſchon ziemlich bey Jahren, wie an ihren verlumpten Brüſten zu ſehen, ſcheint ſie was ſacht einher zu treten, und eine Frantzöſiſche* Menuet *zu tantzen*,) in fig. 11 & 12, ſaltum Hungaricum obſervet, (*machen auf Hungriſch einen krummen Katzen-Sprung.*) Figuræ denique tres viriles, 13, 14 & 15, Hermetem Triſmegiſtum repræſentant, ut ſacerdotem, ſine tonſura tamen & cucullo, quæ Regia dignitas non admiſit, fig. 13; ut Philoſophum brevi thorace indutum, in Muſeo vel laboratorio verſantem, fig. 14; ut Regem diademate inſignem, fig. 15 & 16. Quo autem dictis fidem conciliet, provocat non ſolum ad Antiquarios recentiores, ſed & inprimis ad *Jamblichum* de *Myſteriis Aegyptiorum:* ceterum nullus dubitat, ipſius Oſiridis, aliorumque Deorum ſimulacra eodem loco occultata fuiſſe, quæ vel mutilata jam ſint, ut agnoſci nequeant, vel nondum eruta, propediem forſitan in apricum proferenda. Nunc de occaſione, qua ſimulacra iſthæc confecta, quaque via ex Ægypto eadem in Boringholmiam delata ſint, hæc certiſſima potes accipere. Poſtquam Chriſtiana religio publice de ſuperſtitione gentili triumphaverat, ne omnis ſacrorum ſuorum memoria penitus aboleretur, gentiles ſub imperio Chriſtianorum agentes idolorum ſuo-

rum ſimulacra bracteolis impreſſere, quo tanto facilius occultari poſſent, iisque uſi ſunt ad erudiendos liberos ſuos, eorumque memoriæ firmius inſigendam paternam avitamque religionem: quæ dum ſcribit Democritus, maligne abutitur fidei ſalvificæ & Catechiſmi appellatione, eam ad ſuperſtitionem gentilem applicans, cujus temeritatis excuſationem fruſtra tentat editor. Porro in Septentrionem venere ſigilla Ægyptiaca per Normannos veteres, qui non ſolum ex Normannia Gallica, ſed & ex Dania, Suecia & maris Balthici inſulis a *Rogerio* Apuliæ & Calabriæ Duce, poſt Siciliæ Rege, Seculo X, ad profligandos e Sicilia Saracenos excitati fuerunt. Nam hi ejectos ex inſula barbaros in Africam perſecuti ſunt, ingentique eorum præda potiti, etiam bracteolas Ægyptiacas occuparunt domumque reverſi attulerunt. Haud parum iſtam opinionem confirmant nummi Saracenici prope Hamershuſam in Boringholmia paucos ante annos reperti. Sed quid Saracenis cum ſimulacris Ægyptiorum? Eos, ſcito, tanquam hoſtes πολυθεότητος acerrimos, auri vero longe cupidiſſimos, usquequaque ſigilla Deorum aurea conquirendo cetera inter & Ægyptiaca iſta occupaſſe. Datur & alia probabilis conjectura. Nimirum ſequentibus forte temporibus Equites Boringi in expeditionibus cruciatis aureas noſtras icunculas ex Ægypto abſtulerunt, quod præſertim Memphi a fratribus Belgicis & Cimbricis expugnata fieri potuit. Reſtat, quomodo, quaque cauſa bracteolæ defoſſæ atque humo occultatæ ſint. Procul dubio eas vetuſtæ Equitum Boringorum familiæ una cum duobus iſtis gladiis, quorum ſupra mentio facta eſt, ad conſervandam gloriæ majorum & fortitudinis memoriam ſancte cuſtodierunt, ingruentibusque belli periculis, velut irreparabiles divitias terræ latebris demandarunt, in quibus eæ, dominis poſtea, aliis hoſtium manu, aliis morborum peſtilentia exſtinctis, usque dum forte fortuna aratro extraherentur, delituerunt. Haud diſſimilem de cornu aureo in Jutlandia quondam reperto, quod in technophylacio Hafnienſi Potentiſſimi Daniæ Regis hodie viſitur, hiſtoriam tradit adjuncta ad Bornholmienſem amicum epiſtola. In hac enim omnem, quam *Olaus Wormius* de cornu iſtius uſu, & ſi-

& figuris, ac ornamentis dedit, explicationem confutat *Dippelius*, monens, aureum cornu vel propter ſolam materiam ineptum prorſus ad inflandum canendumque fuiſſe, potius vero ſacrificando vino apud Ægyptios inſerviiſſe, taleque cornu in bracteola fig. 4 a ſacerdote geſtari. Aurum ſibi perſuadet chymicum eſſe, quo cornu Jutlandicum conſtat, indeque ejus colori omne aurum naturale longe concedere: Ægyptios vero & Arabes, maxime Reges eorum, Alchymiam exercuiſſe longe feliciſſimo ſucceſſu, eaque arte non ſolum multos vitam ultra ſeptem ſecula prorogaſſe, ſed & tantas auri gazas progenuiſſe: hinc apud veteres ſcriptores auri Arabici eminentiam celebrari, cum tamen hodie aurum noſtro minime nobilius apud Arabes effodi ſoleat: hinc olim Cleopatræ claſſem inauratam extitiſſe: hinc Ægyptiorum continuas contra Imperium Romanum rebelliones ortas, aurum miniſtrante arte chymica, cujus abolendæ cauſa Imperatores iterum iterumque conquiſitos Ægyptiorum libros comburendos mandaverint. Pariter vero figuras in cornu aureo agnoſcit Hieroglyphica Ægyptiaca, quibus omnia lapidis Philoſophorum myſteria a capite ad calcem depingantur, ea quidem accuratione, ut omnes ac ſingulæ cautelæ, in proceſſu chymico obſervandæ, expreſſæ ſint. Quæ adſcriptæ viſuntur litteræ, quasque Olaus Wormius Runicas exiſtimavit, citra omnem dubitationem quoque ad ſacra Chymica ſpectant: nam Dippelius fidem ſuam interponit, ſe facile Oedipum ſolvendo omni ænigmati daturum, ipſe vero commentationem de eo pleniorem Latine conſcribendam ſub conditione promittit, ubi e re fore eam operam viderit. Ceterum cornu illud fortaſſe apud ſacerdotis alicujus Ægyptii poſteros diu ſervatum, putat, ab equite quodam Normanno ablatum ac poſtea, ex more veterum Germanorum, compotationibus adhibitum & aliquando demum a poſſeſſore ſuo, dum bene potus domum remearet, amiſſum, in via forte lutoſa pondere ſuo depreſſum, atque hoc pacto hominum oculis ſubductum fuiſſe.

Hæc noſter antiquarius; quæ ingenio ejus quidem Chymicis ſpeculationibus occupato, & malæ manſioni, librorum evo-

Digitized by Google

lutionem ipſi adimenti, libenter condonamus: ceterum ne commentatiunculis, quas minatur, alias antiquitatum Cymbricarum reliquias illuſtrare laboret, iisque forte, præſertim in explicandis cornu Danici figuris, Chymica ſacra incautus enunciet, publico nomine deprecamur. Non certe æque præſtantia ex ipſius carcere, ac olim ex Hieronymi Magii, polliceri ſibi poſſunt antiquitatum æſtimatores. Ne autem nos ἀσύμβολοι hinc diſcedamus, nobis bracteolas has vetuſtum monetæ genus videri, nummis bracteatis Germanorum ſimillimum, quo Boringi partim Regum, partim Epiſcoporum ſuorum, partim alias hominum informes, quales & in bracteatis Germanicis conſpicamur, formas expreſſerint, non diffitemur. Ægyptiis vere familiaria hieroglyphica & ſimulacra qui noverint, facile, qualis eorum cum iſtis bracteolis ſimilitudo fuerit, judicabunt, ut formandi artificium prorſus ab Ægyptiorum more & arte abludere, optime vero cum Germanicis medii ævi nummis convenire, taceamus. Talesque nummi, ut in noſtris terris ſubinde agris effodiuntur, ita in Boringholmia citra miraculum erui potuere. Verum ſuum cuilibet pulcrum atque integrum eſto de conjecturis hiſce judicium.

ELOGIUM JOANNIS GUILIELMI JANI.

Longiori utique vita dignus erat B. *Janus*, qui Rabenii, in vico circuli Saxonici Electoralis, A. 1681 die 9 Nov. in lucem editus, patrem habuit *Johannem Janum*, Rabenenſem primum, inde Awenſem & Lauterenſem in Miſnia Paſtorem, avumque *Johannem Janum*, Concordantiarum Biblicarum, quas *Schrifft-und Stern-Himmel* inſcripſit, autorem, & matrem *Salomen* natu *Neumanniam*. A patre primum privatim eruditus, poſtea in Gymnaſio Schneebergenſi, ductu Cl. Virorum, *Hieronymi Freytagii*, *Jo. Bonizii*, *Urb. Gothofredi Siberi*, Antiqu. Eccleſ. hodie apud nos Profeſſoris florentiſſimi, mirum in modum profecit. Dimiſſus hinc in Academiam, Vitebergam ſe contulit A. 1699, & in Hiſtoria imprimis *Conr. Sam. Schurzfleiſchio*, qui & inſtructiſſimam bibliothecam ſuam ipſi liberaliter aperuit, in ceteris Philoſophiæ partibus *Schrœero*, *Vatero*, *Heuchero*, *Rœſchelio*, *Strauchio*, *Rœrenſeo*, *Wichmanshauſio* aliisque, in Theologia porro *Deutſchmanno*, *Hanckenio*, *Læſchero*, *Wernsdorfio*, imprimis vero *Neumanno*, matertero ſuo, cui plurimum ſe debere nunquam non profeſſus eſt, adhæſit. A. 1701 inter Magiſtros, A. 1706 inter Ad-

Adjunctos Fac. Phil. & A. 1708 inter Candidatos Theologiæ receptus, ſcholis Hiſtoricis imprimis, Hebraicis, Philoſophicis ac Theologicis juvenum commoda indies magis promovit, adeo ut Potentiſſimo Regi noſtro ab Academia commendatus, Profeſſoris Philoſophiæ Moralis & Politicæ extra ordinem munus haud difficulter obtinuerit. Evocatus tamen mox ab Uratislavienſibus, Profeſſionem ordinariam Eloquentiæ & Philoſophiæ Moralis in Gymnaſio Eliſabethano ſuſcepit, qua quidem vix ultra annum defunctus, ac denuo accitus Vitebergam, paruit divinæ voluntati, & Profeſſionem Hiſtoriarum, quæ *Schurzfleiſchii* junioris diſceſſu tunc vacabat, ſibi demandatam alacriter ſuſcepit, eaque ſe oppido dignum editis doctiſſimis elucubrationibus præſtitit. Jam vero & laudabili exteros viſendi ardore excitatus, accepta poteſtate, iter per Germaniæ partem, Friſiamque & Belgium in Angliam Galliamque ingreſſus eſt A. 1715, ſummorumque in omni doctrina Virorum amorem ubique ſibi conciliavit, ac Bibliothecas non obiter, ut ſolent plerique, luſtravit, ſed ita pleraſque excuſſit, ut multa inſignia eruditionis cimelia, quæ inter ſchedas ejus adhuc exſtant, inde Vitebergam reportaverit anno ſequente. Ita cum non modo Hiſtoriam, Eccleſiaſticam maxime, & Chronologiam ore & calamo ornaret egregie, ſed etiam Theologiæ ſtudioſis operam in eo ſtudio aſſiduam commodaret, factum eſt A. 1719, ut & Profeſſionem Theologicam & ſummos in Theologia honores omnium plauſu conſequeretur. Vitæ deinde ſociam circumſpiciens, A. 1721 d. 15 Junii in matrimonium duxit *Magdalenam Eliſabetham*, Viri celeberrimi, *Jo. Chriſtoph. Wichmanshauſen*, LL. OO. Prof. & Bibliothecæ in Acad. Viteb. Directoris, filiam, e qua filium, triſti quidem fato paulo ante Patris obitum extinctum (nam cum in aquas medicatas calidiſſimas ab imprudente ancilla detruſus eſſet, ambuſtus toto corpore ac cute miſerabiliter nudatus, paucis poſt ſeptimanis deceſſit) & filiam unicam ſuſcepit. Vir pius, eruditus & literis ita deditus, ut lucubrationibus diurnis nocturniſque mortem maturaſſe pleriſque viſus ſit, non inelegantia ingenii monumenta reliquit, in quibus, ut diſſertationes alias e cathedra defenſas taceamus, eminent *Hiſt. Æræ Chr.* cum Sched. *de veritate hiſtorica*, & Or. *de vero Hiſtoriæ uſu*, Vit. 1715, 4, *Dionyſii Exigui liber de ratione feſti Paſchalis*, cum Noſtri *Comment.* & *hiſtoria Cycli Dionyſ.* ib. 1718, 4, & *Judicia eruditorum de Origine Electorum*, ib. 1711, 4, quibus mox accedent ejusdem *Opuſcula hiſtorica* & *philoſophica* alia, & *Commentatio hiſtorica de IV Monarchiis*, ſingulari ſtudio conſcripta, ſed non niſi ad Monarchiam Rom. atque adeo nondum plane ad umbilicum perducta. Cum vero corpore eſſet admodum gracili ac macilento, accidit facile, ut ab aliquo tempore e tot laboribus, lectionibus imprimis frequentibus, pulmones paulatim conſumentibus, tuſſim ſiccam cum hectica contraheret, & nupero die 25 Auguſti in gravem incideret paroxyſmum, linguæ etiam uſu aliquandiu deſtitutus, auctaque paulatim imbecillitate, cum morti ſe pie paraſſet, rationis & linguæ licet uſu integro reſtituto, die 27 Auguſti, hora poſt quartam media matutina, placida morte exſpiraret.

ELO.

Digitized by Google

ELOGIUM MARTINI CHLADENII.

B. *Chladenius*, Cremnicii in Ungaria natus A. 1669 d. 25 Oct. patre *Georgio Chladenio*, Paſtore primum Cremnicenſi &, poſt ſeptem annorum exilium, Hauswaldenſi in Luſatia inferiori, & matre *Catharina*, Jonæ *Clementis*, Senatoris Neoſolienſis, filia, cujus majores e Tyrolenſibus & Salisburgenſibus finibus ob religionem profugi, Cremnicium migraverant. Cum puer admodum, erepto illic templo S. Joh. & Benedictinis tradito, ſolum vertere cum patre cogeretur, Gorlitium delatus, A 1674 in ſchola publica *Chriſtiani Funccii*, aliorumque, & inde Grimmæ 1686 receptus in provincialem ſcholam, *Chriſtiani Andreæ Siberi* maxime, & *Tobiæ Petermanni* inſtitutione uſus eſt. Biennio poſt ſtudia Academica aggreſſus, Vitebergæ *G. C. Kirchmayerum*, *Strauchium*, *Röhrenſeum*, *Donatum*, *Daſſovium*, *Knorrium*, *Schurzfleiſchium*, in ſcholis Philoſophicis & Hiſtoricis, in Theologicis vero *Waltherum*, *Deutſchmannum* & *Læſcherum* audivit aſſidue. Nec diu latuit ejus diligentia, quippe habita de pœnis ſub *Belovii* Præſidio diſputatione, A. 1691 Magiſterii primos honores adeptus, de characteriſmo morali, de exemplo Principis, de Hiſtoria Phyſica, de Eccleſia Græca hodierna, & de diptychis veterum, inter Philoſophos, & ſub præſidio *Deutſchmanni* de Chriſto Legislatore in cathedra Theol. diſputavit. Inde primo A. 1695 ad Paſtoratum in oppido Ubigau & poſt ſeptennium ad Lauſicenſes vocatus, mox inde Paſtoris & Superintendentis in Præfectura Jeſſenſi prope Vitebergam munus conſecutus eſt. Hinc demum Profeſſoris Theologiæ in Academia Vitebergenſi provinciam obire juſſus, & ad Doctoris in Theologia honores evectus, ſubinde & Præpoſitura templi omnium Sanctorum ornatus, & in Conſilium ſacrum receptus, nihil intermiſit, quo ſpartam ſuam exornaret; proſtantque ejus rei teſtes cum opuſcula, ut Inſtitutiones homileticæ, exegeticæ &c. tum diſſertationes non paucæ, quas hic enumerare non licet. Ex uxore *Charitate*, *Juſti Siberi*, Paſtoris Schandavienſis, filia, liberos ſuſcepit undecim, & in his ſex ſuperſtites reliquit. Sed cum & alias, & imprimis ante annum, graviter laboraſſet affectibus cachecticis & hypochondriacis, demum nupero die 23 Aug. nocte concubia viribus ſimul omnibus dejectus, in tertianam continuam incidit, quæ paulatim in febrem ardentem degenerans, tandem Virum optimum d. 12 Sept. hora 11 matutina rebus mortalibus eripuit.

Errata.

MENS. JUL p. 303 l. 7 *Sed non dum* p. 304 ſub fin. *ἐνίχυσεν*. p. 305 l. 13 ὃ *θέλει*. ſub fin. *hanc*. p. 307 l. 21 *legas*. p. 308 l. 3 *αὕτη*.

TOM. IX. SUPPLEM. Sect. I. p. 7 l. 19 *eſſe*: p. 9 l. 2 *diſtinguit*: p. 13 l. 9 *gentilibus*. p. 15 l. 16 *τῷ*. p. 16 l. 2 71 75. l. 25 *experiri*. p. 18 l. 10 *convivantur*. ſub fin. *Cleo*. p 19 l. 3 *abuſive*. l. 14 *volo vos*. l. 17 *Hebr*. ſub fin. *credo*; p. 20 l. 17 *Quumque*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCC XXV.

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLEſiaſticorum & Hiſtoricorum, ſeu HENRICI CANISII Lectiones Antiquæ, ad ſæculorum ordinem digeſtæ, variiſque opuſculis auctæ, quibus Præfationes Hiſtoricas &c. adjecit JACOBUS BASNAGE.

Vol. I.

Antwerpiæ, apud Rudolph. & Gerhard. Wetſtenios, 1725, fol. Alph. 9 plag. 17.

QUi edendis Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis, ne temporis diuturnitate ea pereant, ſed ab interitu vindicentur, ſuum laborem impendunt, tantum abeſt, ut inanem, ut utilem potius & Eccleſiæ proficuam maxime operam ſuſcepiſſe, dicendi ſint. At vero in lucem proferre, quæ craſſis occultata circumfuſaque tenebris jacent, antiquos deinde emendare errores, ſingula æquo pondere penſitare, unicuique opera ſua vindicare, tum quoque ſpuria a genuinis diſcernere, quanti laboris & judicii, quantorum interdum etiam ſumtuum ſit, æqui omnes hujusque rei intelligentes æſtimatores conjectura facile aſſequuntur. Atque hoc quidem nomine præclare de univerſa Antiquitate Eccleſiaſtica, dum vivebat, meritus eſt *Henricus Caniſius*, qui, cum indefeſſo conatu optimas quasque Bibliothecas luſtraret, manuſcriptosque codices pervolveret, veterum opuſcula vulgare, in animum ſibi induxerat, quæ etiam paulo poſt ſub nomine Antiquarum Lectio-

 num

num ab erudito Autore edita ſunt, ſeptem comprehenſa Voluminibus. Quamvis autem magnam hoc Opere nominis ſui laudem vel apud poſteritatem ille retulerit, tamen cum illa Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta, prout ſeſe legenti caſu offerebant, aut ab amicis ſubjiciebantur, nullo plane vel ſeculorum, vel ſcriptorum, ſive veterum, ſive recentiorum, ordine & diſcrimine ſervato, in lucem protraheret, ſuis utique nævis carere non potuit, ſed rudis quaſi & indigeſta moles viſa fuit eruditis hæc Caniſiana Lectionum Antiquarum Collectio. Non defuerunt proinde, qui de nova illarum Editione cogitarunt, Doctores, in his imprimis *Philippus Labbeus*, Societatis Jeſu ſeculo ſuperiori Theologus; qui tamen aliis curis implicitus, qua tenebatur fide, eam non liberavit. Rariores hinc indies factæ ſunt, in Bibliothecis etiam locupletiſſimis jam diu deſideratæ, nec niſi magnis, ſi quando venales proſtarent, comparandæ ſumtibus. Tanto igitur ne diutius carendum eſſet orbi erudito antiquitatis theſauro, Reipublicæ literariæ utilitati probe, dum vivebat, invigilans votisque eruditorum obſequens, hunc denuo edendarum Antiquarum Caniſii Lectionum laborem ſuſcepit illasque ſub Theſauri Monumentorum Eccleſiaſticorum & Hiſtoricorum titulo IV Vol. recudendas curavit *Jacobus Basnagius*, celebre nomen, ſæpiusque memoratum in noſtris Annalibus. Egregia ſunt & præclara in hanc novam Caniſii editionem Viri doctiſſimi merita; quæ antequam paulo curatius exponantur, dicendum nobis primum eſt, quibus præcipue ſcriptis veterumque operibus, quæ e tenebris ſua ætate produxit *Caniſius*, abundet ille Monumentorum Eccleſiaſticorum Theſaurus. Non omnia commemorabimus, ſed præcipua. Quæ ſeculo poſt Chriſti nativitatem III edita ſunt a Chriſtianæ Eccleſiæ Doctoribus opuſcula, primum ea in primo hujus Operis Volumine locum occupant, quorum duo potiſſimum exhibentur: alterum illorum illud-
pag. 13. que antiquiſſimum *Excerpta* ſunt *ex Libro S. Hippolyti*, Martyris & Portuenſis Epiſcopi, *de Theologia & Incarnatione* contra Beronem & Helicem, hæreticos, Græce & Latine, *Franciſco Tur-*
16. *riano* interprete; alterum *S. Gregorii* cognomento *Thaumaturgi*, Epiſcopi Neocæſareæ, *duodecim Anathematiſmi* totidemque

que *de Fide* capita, quæ ab *Antonio Poſſevino* Venetiis ſibi miſſa e Græco in Latinum ſermonem transferri notulisque illuſtrari, curavit *Caniſius*. Quartum Chriſtianæ Eccleſiæ Seculum illuſtrarunt inſignes pietate & eruditione Doctores, e quorum ſcriptis atque operibus, quibus chriſtianæ religionis ſanctitatem adverſus hæreticos aſſertum iverunt, in hoc Monumentorum Theſauro habentur, Beati *Serapionis*, Epiſcopi Thmueos *adverſus Manichæos* Liber, *Titi*, Boſtrenſis Epiſcopi, Libri Tres, pag. 43.
una cum argumento libri quarti *adverſus Manichæos;* Sancti *O-* 59.
reſii, Abbatis, *de ſex cogitationibus ſanctorum* Libellus, S. *Baſilii* 168.
Magni Rationes Syllogiſticæ contra Arianos & Eunomium; tum 169.
ipſius *Eunomii*, hæretici, *Confeſſio Fidei*, Henrico *Valeſio*, ejus 178.
Apologia, H. *Whartono*, & *Scholion* ſeu diſputatio Orthodoxi contra 181.
Eunonium, Franciſco *Turriano*, interpretibus; ſcripta ſane ra- 185.
riſſima, ut omnium illius ævi hæreticorum, pleraque enim Amanuenſium incuria & Doctorum vigilantia perierunt. Poſt ſanctorum Patrum *Baſilii M.* & *Gregorii*, Theologi, *de ſancta & Orthodoxa fide* Expoſitio. *Gregorii Nyſſeni* contra Apollinarium ad Theophilum, Alexandrinum Archiepiſcopum, *de Incarnatio-* 191.
ne Epiſtola; *Didymi* Alexandrini *contra Manichæos* Liber; *Jo-* 204.
hannis Chryſoſtomi brevis *in S. Evangelium ſecundum Johannem* 218.
Interpretatio, una cum ejus ad Cæſarium, Monachum, *Epiſtola*, 233.
antiquitatis parte, quæ diu tenebris involuta jacuit, pretioſiſſima. Exhibet porro ille Monumentorum Theſaurus, quæ pro confirmanda Chriſtianæ Religionis veritate laborarunt ſeculo V Eccleſiæ Doctores. Siſtitur hic *Baſilii*, Epiſcopi Seleuciæ, adver- 240.
ſus Judæos *de Adventu Chriſti* demonſtratio. *Tironis Proſperi, A-* 264.
quitani, *Chronicon* integrum ab Adamo ad Romam captam a Genſerico, Wandalorum Rege, diſtributum in duas partes, ex variis quidem editionibus, una cum iis, qui Chronicon illud continuarunt, *Victore* nimirum, Epiſcopo *Tununenſi*, & *Johanne*, 321.
Abbate *Biclarienſi*, usque ad annum 590, Mauritii, Imperatoris, 337.
octavum. *Fauſti*, Rhegienſis Epiſcopi, *Epiſtolæ* ex Membranis 350.
Monaſterii S. Galli, cum *Ruricii*, Lemoviceni Epiſcopi, Epi- 373.
ſtolarum libris duobus, ex Membranis MS. ejusdem Monaſterii editis. Ex ſcriptis eorum, qui inclaruerunt Seculo VI, inſerta

Digitized by Google

leguntur huic volumini, quæ ante Caniſium publicam lucem
pag. 411. nondum aſpexerunt: *Eugippii*, Presbyteri, ad Paſchaſium
de ſancto Severino, Monacho, *Epiſtola*; *S. Brigidæ*, virginis
416. Scotæ, *vita* a *Cogitoſo* quodam deſcripta; *Zachariæ*, Mityle-
428. nenſis Epiſcopi, *adverſus Manichæos* Syntagma: *Anaſtaſii*, Pa-
436. triarchæ Antiocheni, *Orationes quinque*, 1 de S. Trinitate, 2 de
Incircumſcripto, 3 de Incarnatione Chriſti, 4 de Paſſione &
465. Impaſſibilitate Chriſti, 5 de Reſurrectione Chriſti. *Anaſtaſii*
480. *Sinaitæ Orationes duæ*, de ſacra Synaxi, & in ſextum Pſalmum
oratio. Tandem nonnullorum ſeculi VII Doctorum opera
535. præſenti volumini accedunt, e quibus *Leontii*, Byzantini Monachi,
600. Libri tres *contra Eutychianos & Neſtorianos*; ejusdemque *ad-*
613. *verſus fraudes Apollinariſtarum* Liber; *Solutiones* Argumenta-
tionum Severi, & *Dubitationes* Hypotheticæ, eodem Autore
625. *Leontio*. *Epiſtola Deſiderii*, Epiſcopi Cadurceni, una cum iis,
636. quæ ad Deſiderium datæ ſunt: ut reliquorum ſcripta taceamus,
644. quæ eodem continentur Volumine. Acceſſerunt Appendices duæ,
764. quarum prima exhibentur Dn. *Capperonnier* in Anaſtaſii Verſio-
nem Latinam fragmentorum Hippolyti, & in Fabricii, Holſati,
767. Verſionem Latinam Apologetici Eunomii *Animadverſiones*: ſe-
775. cunda Tractatus tres, Carmen Monoſtichon; Beati *Columbani*,
Abbatis S. Galli, Confeſſoris, *Sermo* dictus Conſtantiæ in con-
788. ſecratione Joannis, Conſtantienſis Epiſcopi, & *Leontii*, Epiſcopi
795. Cyprii, contra Hebræos fragmentum, quibus primum Volumen hujus Theſauri abſolvitur. Debemus hoc judicio & indefeſſo labori Cl. *Baſnagii*, quod, quæ recenſuimus, veterum opuſcula hoc diſpoſita ordine, temporis ſeculorumque ſervata ſerie, in hac nova Editione compareant. Singulos enim ſcriptores, quoad ejus fieri licuit, ætati quemque ſuæ aſſignavit, tum ex conjecturis, tum ex ipſis librorum argumentis, ut adeo, quæ cujusque ſeculi doctrina fuerit, qui fuerint mores, ritus, controverſiæ, hac ratione appareat. In eo tamen non omnis verſatur labor, quem novæ huic editioni impendit Vir doctus. Non genuina ſunt omnia, quæ ſub Patrum ſanctorum nomine circumferuntur, opera; ſunt interdum, quæ præclari cujusdam Eccleſiæ Antiſtitis nomen præ ſe ferunt, quod tamen mentitus fuit, qui orbi

orbi illuſit, impoſtor. In tanta igitur Monumentorum eccleſiaſticorum, quæ hoc Theſauro continentur, mole genuina a ſpuriis, diſtingui, permagni Lectoris intererat. Probe hoc animadverſum Autori Cl. qui, ne γνήσια confunderentur cum nothis, obſervationes Criticas unicuique ſcriptorum adjecit. In illis ubicunque licuit, auctoritate nititur Criticorum, qui a Caniſii tempore vixerunt, quosque duces ſequutus eſt. Si quando diſcedere ab iis neceſſe fuit, non temere id egit, ſed argumenta protulit, relinquenda tamen Lectoris judicio. Præter hæc quoque lacunas frequentiores ſupplevit, & quæ deerant, ex editionibus, quibus fides habenda, reſtituit, mendisque ſublatis, variantes ſimul lectiones, ut de Autoris mente eo clarius conſtaret Lectori, addidit. Tandem notas & animadverſiones, ubicunque opus fuit, adjecit, quibus obſcuriora explicantur, errores indicantur & refelluntur, certiora in medium proferuntur & ab aliorum objectionibus vindicantur. Satis prolixæ interdum ſunt illæ animadverſiones; eæ imprimis, quibus *Proſperi Aquitani Chronicon* illuſtrandum ſuſcepit, multa eruditione variaque doctrina refertæ ſunt, ex quibus multum utilitatis ſperare poterunt, qui ſacræ antiquitatis ſtudio & amore tenentur. Nec aliter dicendum de doctis illis, quas unicuique ſcriptorum præmiſit, obſervationibus criticis, in quibus de vita, fatis, ſcriptis aliisque, quæ digna eſſe exiſtimavit, quæ de Autore notentur, nec tamen ubivis obvia ſunt, fuſe diſſeruit, antiquosque errores emendare aggreſſus eſt. Ceterum cum in ampliſſimo hoc Commentario plures diverſique Tractatus ſe ſemper excipiant, atque adeo lectoris animus in varias partes diſtractus facile negligere poſſit, quæ noſſe juvat; conſultum ideo duxit Cl. Autor, Breviarium quoddam rerum præcipuarum præmittere, in quo de variis hæreſibus, Eccleſiæ traditionibus, veteribus ritibus, variaque Regiminis forma diſſeruit. Septem præcipue ſunt capita, quibus abſolvitur hæc generalis Præfatio. Continentur *Capite I* Obſervationes ad pag. 3.
Hæreſin Manichæorum ex Serapione, Didymo, Tito Boſtrenſi & Zacharia hic editis. *Cap. II* Obſervationes Criticæ circa Hiſto- 11.
riam & dogmata Neſtorianorum, ad Leontium Byzantinum, Nicephorum, Damaſcenum &c. *Cap. III* Variæ Eutychiano- 23.

 rum

rum Sectæ earumque ſententiæ elucidatæ, ad illuſtrandum Leontium Byzontinum, Damaſcenum &c. qui contra Severia-
pag. 36. nos Acephaloſque ſcripſerunt. *Cap. IV* varia circa Regimen
44. Eccleſiæ, Titulos Epiſcoporum, Patriarcharum &c. Agitur *Cap.*
59. *V* de eccleſiæ ritibus & quidem de Baptiſmo; *Cap. VI* de Pœni-
tentia variiſque ejus ritibus, octavum nonumque ſeculum ſpe-
73. ctantibus; *Cap. VII* de Euchariſtia, variiſque eam celebrandi ri-
tibus. Hæc Antiquitatis Eccleſiaſticæ Capita excuſſit in Præfatione Baſnagius, plura excuſſurus, niſi mors inopinata, ultima linea rerum, præclaros ejus interrupiſſet conatus. De reliquis proxime dicemus. In recenſendo vero ultimo hujus Operis Volumine quando occupati erimus, expectet a nobis Benevolus Lector breve Viri Cl. cui tantum debemus, Elogium.

EXCERPTA E LITERIS V. CL. JACOBI ELSNERI ad Anonymi Annotata in Obſervationes ad Matthæum, inſerta Supplem. Tom. VIII Sect. XII pag. 520 ſeqv.

VEhementer miratus ſum, cum e longo itinere redux in Novis Litterariis Lipſienſibus de 26 Julii his diebus legerem, Anonymum quendam multa in meis Obſervationibus vituperaſſe. Cum enim contraria omnia de meo libro judicaſſent, cum in publicum prodiiſſet, eadem Nova Litteraria & Acta Erud. 1721 menſe Martio, fieri non poterat, quin rei inſolentiam admirarer, cum poſt quadriennium in iisdem Actis Anonymi ſtricturas viderem. Criminationes autem ad hæc capita redigi poſſe video: quod Godfr. Olearii in quibusdam locis mentionem nullam faciam, & quod plura profanorum loca, minus bene applicata, ſacris immiſcuerim. Quod ad Olearii *Obſervationes in Matthæum* attinet, affirmo, ejus me obſervationibus, cum in Matthæum commentarer, caruiſſe, & poſt Matthæum demum typis exſcriptum eas accepiſſe. Feci etiam illius in Philoſtratum toties cum laude mentionem, & ſæpius, modeſte tamen, ab ejus ſententia nominatim diſceſſi. Refutavi etiam eiusdem obſervationem in Matthæum, poſtquam accepiſſem, ad Luc. IX, 31, mentione ipſi-

us honorifica injecta, probante id in nuperrimis *Animadv. Philolog.* Cl. Wolfio; quodque Raphelio etiam, aliisque licuit. Gatakero nil præter ejus mentem adſcripſi, ut ex ſola inſpectione patet: quem Anonymus p. 520, iterum *forte* dubitans, defendit. Qualis etiam eſt illa cenſura p. 530, cum βλεπόμενος vertiſſem *præſtantior, qui omnium oculos in ſe convertit*, addit, *βλεπόμενος tamen forte eſt is, qui cavendus improbis.* Alterum criminum genus eſt: me putare, verborum apud profanos convenientiam ſtatim pertinere ad divinas res noſtras, etiam ſaltem illuſtrandas, p. 521. Sed videamus exempla. Ita ille p. 522: *λύειν ἐντολὴν ſeu νόμον & καταλύειν idem eſſe, recte ait Noſter. Hanc autem ſignificationem, quam Chriſtus adhibuit de lege divina, a ſe adimplenda, frequentem eſſe apud Græcos etiam profanos, nemo credet.* At ubi quæſo hoc dixi. Dico, eam phraſin frequentiſſimam eſſe *ea* ſignificatione, ſcil. abrogationis legum. Idem etiam plane mecum Olearius dixit in Matthæum p. 457: *καταλύσαι νόμον ſignificat legis neglectum vel abolitionem, ex genuino Græcæ linguæ uſu.* Ejus generis eſt nota p. 525, quia enim ſimile quid e Plutarcho attuli ei, quod dicitur *Num. XII, 6, 7, 8,* objicit Cenſor: *atqui Plutarcho nunquam in mentem venit, ad indagandam illam ſpeciem Jehovæ cogitando adſcendere,* Quaſi ego talia ſcripſiſſem. Similia ſunt, quæ p. 526 contra Hieroclis & Lyſidis loca diſputat. Ibidem ſtomachatur, quod dixerim, *etiam Lucianum tribuere Chriſtianis γραμματέας,* Quare autem? *quia ſupra captum Luciani fuit, diſcipulos Chriſti docuiſſe Evangelium.* Et ſuperat hoc etiam meum captum. Mox fingit, me credidiſſe, *Joſephi γραμματέας de portentis conſultos fuiſſe Chriſtianos;* cum nihil præterea dixerim, quam Joſephum *eos, qui in N. T. γραμματεῖς* vocantur, (tales autem ſunt in plurimis locis Judaici,) ἱερογραμματεῖς vocare, quales conſulti eſſent de portentis. Talia etiam ſunt, quæ *de genio Socratis* inſpergit, & temere negat, *vocem quandam* fuiſſe, contra clariſſima loca, a me allegata. Contra hiſtoriam Eccleſiaſticam pugnat, dum ſimpliciter falſo ſuperſtitionem circa ſepulchra martyrum Chriſtianis nonnullis exprobraſſe Julianum putat, p. 523. Talia plura ſunt, quæ refutaſſe tædet. Præmiſi primæ meæ illuſtrationi hæc verba: *ſalva, quam mirando huic*

myſterio

Digitized by Google

myſterio debeo, reverentia, & annoto e Plutarcho &c. Quid ad hæc Cenſor? p. 520: *Vix alibi redit hæc proteſtatio, quæ oppido eſt neceſſaria, ne confundamus ſacra cum profanis, vera cum fabuloſis & turpibus.* Debebat autem contrarium potius colligere, cum primæ illuſtrationi eam præfationem præmitterem, eandem me ceteris omnibus præmiſſam voluiſſe. Olearius autem ſine tali proteſtatione in Obſervat. in Matthæum p. 161 dixit, *Paulum reſpicere ad gentilium myſteria.* Item p. 480 comparare audet *transfigurationem Chriſti* cum *Jamblichi ſplendore*, ab Eunapio ei tributo; immo p. 481 dicit, *ſimile quid de Proclo narrare Marinum, &c.* Talia tamen & minora Cenſor damnat in me p. 528. Quid ſi ego ſcripſiſſem cum Oleario p. 250, *etiam Angelos fuiſſe nominatos λόγους, quod Sociniani volunt?* aut cum eodem p. 72, *ſcripta plurima divina periiſſe*, & ſimilia? Oſtenſum igitur eſſe exiſtimo, afferri omnino poſſe illuſtrationis cauſa etiam talia, quæ gentiles eodem plane ſenſu & vi non intellexerunt, quo in divinis occurrunt.

ANONYMI RESPONSIO.

OMittendum non erat, in Actis Menſ. Mart. 1721 p. 112, 113 in fine annecti XIV novas V. Cl. expoſitiones quorundam locorum Matthæi, quæ ut majori mentis contentione excuterentur, dignæ omnino videbantur. Ad hæc loca cum poſt quadriennium nihil plane acciperemus, Anonymo nunc ſubnata eſt occaſio, ex ejusdem V. Cl. libro proponendi adhuc alia quædam dubia. Videamus potiora. I Negat V. Cl. ſe, cum in Matthæum ſcriberet, D. Olearii noſtri Obſervationes in eundem habuiſſe. Remittit tamen lectorem p. 7, 10, 17 ad illum. II. Notat, nos de Gatakero loqui dubitanter *p. 520.* Atqui is ſimiliter f. 75 dubitaverat. Sed hoc leve eſt. III. Negat, ſe putare, verborum apud profanos qualemcunque convenientiam pertinere ad exhauriendas res noſtras divinas. Atqui *p. 10* diſerte affirmat, luſtrationem gentilium per ignem & Moloch pertinere ad verba Johannis III, 11 de Chriſto, *ipſe vos baptizabit Spiritu & igne.* Iſta autem luſtratio per ignem & Moloch ne in verbis quidem apta eſt ad illuſtrandum textum ſacrum.

Digitized by Google

ſacrum. IV. Negat, ſe dixiſſe *p. 24, λύειν καὶ καταλύειν ἐντολήν*, in verbis Chriſti *c. V, 17, 19*, ea ſignificatione frequentiſſime occurrere apud profanos. Ecce verba, *qua ſignificatione:* quæ ſcil. eſt in iſto comm. 17 & 19. *Non veni, ut deſtruam aut ſolvam legem, ſed ut impleam.* Exulat itaque hic diverſa plane ſignificatio, qua magiſtratus leges latas in Republica iterum abrogat. Inſtat, D. Olearium etiam idem dicere, *p. 457*. At non omnino idem dixit, ſed hoc potius, *καταλῦσαι νόμον*, *ſolvere legem Moſaicam*, h. l. non ſignificare permiſſionem prohibiti, ſed in genere legis illius abolitionem, genuino linguæ Græcæ uſu. V. Concedit, ſe ad verba Chriſti, *c. XIII, 11, vobis datum eſt, illis non datum*, annotare *p. 65*, etiam profanos exiſtimaſſe, religionis capita ſublimiora non niſi diſcipulis proponenda. *Et plane huc pertinere præclarum Plutarchi locum. - Confer hæc cum eo, quod ſimillimum habetur* Num. XII, 6, 7, 8: *Moſi ore ad os loquor, & ſpeciem Jehovæ conſpicit.* Hic rationes noſtræ, cur hæc omnino ſint diſſimillima, etiam in verbis, cuivis patent. VI. Verbo tangit locum Hieroclis *p. 68*, quem ex Matth. XIII, 15 deſumptum putabat. VII. Eodem modo tangit locum Lyſidis Pythagoræi apud Jamblichum, in quo eandem ſimilitudinem in re non diſſimili occurrere putabat, facta comparatione cordis non pure initiati gentiliſmo, cum verbo audito, quod in ſpinas cecidit: quæ eſt ſimilitudo Chriſti, *c. XIII, 22.* IIX. Non negat, ſe ad verba Chriſti c. XIII, 52, *omnis γραμματεὺς*, ſcribere p. 69, *Lucianum etiam Chriſtianis γραμματέας tribuere & Ægyptiis &c.* Urgebamus autem manifeſtum diſcrimen inter eos, de quibus Chriſtus loquitur, & reliquos profanorum. Non enim iidem ſunt, qui libros Mercurii interpretantur, cum legis perito Chriſti, qui, evangelium docendo, ex theſauro Verbi nova & vetera ad regnum cœlorum depromit. Neque ex ſimili ratione Joſephus eosdem, qui a Chriſto hic ceu *γραμματεῖς* mittuntur, conſultos fuiſſe ait de oſtentis. Nam illi Judaici non erant ſimiles miſſis in N. T. Non videri præterea intelligi hic *τὰ σκεύη patris familias*, jam monitum erat in *Actis 1721 p. 113*. IX. Genium Socratis fuiſſe vocem, quam ſubinde audiret, *p. 14, 15* dixerat, & adhuc credit, per clariſſima loca ſe id adſtruxiſſe. Sed primus & ſolus Plato ſcripſit, Socratem ad judices dicere, ὅτι μοι θεῖον τι

καὶ δαιμόνιον γίγνεται φωνή. *Apolog. ſ. 31.* Mox, φωνή τις γιγνομένη, *vox quædam exiſtit.* Idem *ſ. 40,* τὸ τοῦ θεοῦ σημεῖον. Add. *Theag. ſ. 128, 129.* Jam autem Xenophon, auditor Socratis & Platonis æmulus, paulo aliter facit Socratem ad judices loqui. *Non ideo nova numina introduco, dum dico,* θεοῦ μοι φωνὴ φαίνεται, σημαίνουσα ὅτι χρὴ ποιεῖν. *Nam & qui utuntur* φθέγγεις οἰωνῶν, *ſonis avium, vocibus ceu ſignis utuntur. Ego vero* τοῦτο δαιμόνιον καλῶ, *& puto, me ita veriora & magis pia dicere, quam ii, qui avibus attribuunt* τὴν τῶν θεῶν δύναμιν. *Irati ad hæc judices, & invidia perciti, quod majora a Diis conſequeretur, quam ipſi.* Apolog. *ſ. 703.* Lapſis aliquot ſeculis Plutarchus propius acceſſit ad mentem Socratis, δαιμόνιον ejus eſſe φωνῆς τινος αἴσθησιν, ἢ λόγου νόησιν. οὐ φθόγγον, ἀλλὰ λόγον δαίμονος ἄνευ φωνῆς. Nam αἱ τῶν δαιμόνων νοήσεις, φέγγος ἔχουσαι, οὐ δεόμεναι ῥημάτων, οὐδὲ ὀνομάτων. *De genio Socr. ſ. 588 ſeq.* Apulejus, Plutarcho ſuppar, adhuc clarius: *Dicebat Socrates, non vocem, ſed vocem* quampiam *ſibi oblatam; non ergo vocem uſitatam nec bumanam. Quæ ſi foret, fruſtra* quæpiam *diceretur. Frequentius etiam non vocem, ſed ſignum ſibi oblatum. Poteſtque ipſius dæmonis ſpecies fuiſſe, quam is ſolus cerneret.* De deo Socr. *p. 52, 53.* Tandem Maximus Tyrius *Diſſ. 26* pronunciat, *Socratem* τῷ νῷ ταῖς τῶν θεῶν φωναῖς συγγινόμενον *fuiſſe,* quod non expreſſit interpres. Habes hic conſenſum veterum. X. Statuit, ex hiſtoria eccleſiaſtica conſtare, Julianum Chriſtianis non nullis Antiochenſibus ſuperſtitionem circa martyrum ſepulchra, ſimpliciter falſo non exprobraſſe, ſed veri aliquid ſubfuiſſe. Ita vero repetit, quod *p. 47* dixerat, videri nonnullos ex iſtis Chriſtianis omnino ſuperſtitione hac ſe contaminaſſe. *Miſopog. ſ. 344.* Si ergo veritas hujus aſſerti oſtendi ex hiſtoria eccleſiaſtica potuit, quare dixit, rem totam pendere ex fide Juliani, *an vera ſint,* quæ is iisdem exprobret? In libris ejusdem adverſus religionem noſtram poſtea ſcriptis tota probationis vis hæc eſt, *Chriſtianis nunquam dictum eſſe advolvi ſepulchris, eaque colere; ipſos tamen ſepulchris impleſſe omnia, ſuperque iis Deum invocare.* Reſpondit pridem Cyrillus *ſ. 203, 336, 340,* ceu teſtis iſtius hiſtoriæ optimus. Quæro, an ex verbis *Miſop.* colligi poſſe videatur, *vetulas illas in monumentis ad martyres*

tyres

tyres vota feciſſe? ac prorſus vera omnia eſſe, quæcunque ſcripſit Julianus? XI. Recte ait Noſter, ſe primam illam proteſtationem ſuam, *ſalva, quam mirando huic myſterio* (conceptionis Meſſiæ) *deben, reverentia*, ceteris omnibus illuſtrationibus præmiſſam voluiſſe. Utique enim hæreret alias lector, legens *p. 48*, Lucianum forte reſpicere ad verba Chriſti, c. IX, 6, & ad ſententiam ejusdem c. XIII, 15 adeo pertinere verba Hieroclis, ut ea hinc ſumpta eſſe crederes. Sic *p. 85* Julianus atrocitatem facinoris tali locutione, quali Chriſtus c. XIIX, 6 dicitur exprimere, & p. 88 Julianum exponere myſticum eundem eunuchiſmum, (de quo Chriſtus c. XIX, 12) ubi matri Deum gratias agit. Porro, eandem ſententiam cum verbis Chriſti c. XXIV, 13, *perſeverans ad finem ſalvabitur*, habere Luciani Hermotimum, initio ſc. dialogi. Atqui ſententia hæc per totum deinde dialogum fœde impugnatur atque proſcinditur. Hic perit omnis proteſtatio, facto contraria. Incongruum enim eſt, initium dialogi allegare, non nervum totius. XII. Sane D. Olearius ſine tali proteſtatione *p. 161* ſcripſit, Paulum *Philipp. IV, 12* verbo μεμύημαι reſpicere ad gentilium myſteria. Nam iſtud vocabulum a ſacris, tum vero Græcorum ſumptum, dudum Eraſmus & Coccejus nemine contradicente agnoverunt. Et purgatur id ſtatim comm. 13, *omnia poſſum in Chriſto*. Fabulam de Jamblicho & Proclo, ceu fabulam, citra omnem violationem reverentiæ recitare idem potuit. Et loca de Angelis λόγοις ab eodem *p. 250* ſtatim etiam vindicantur, utpote a ſenſu Matthæi alieniſſima. Periiſſe multa, quæ a viris divinis geſta & dicta complecterentur, adeo perſpicue proponitur *p. 72* & comprobatur exemplis, ut lis de hiſce ſupereſſe nulla queat. Itaque qui illuſtrationis qualiscunque cauſa ad libros ſacros afferunt varia loca gentilium, iis cavendum eſt, ne ſtatim dicant, eadem aut plane ſimillima deprehendi apud profanos, vel profanos verba ex ipſa Scriptura deſumpſiſſe. Excutienda prius ſunt ſingula, & annotandum deinceps, in quantum voces & ſyllabæ quidem videantur aliquando congruere, ſenſus autem toto cœlo ſit alius. Ita enim tota die inſtituitur illuſtratio, etiam per oppoſita: quod genus eſt innocentiſſimum.

Des Heil. Röm. Reichs vollſtändige Staats-Rechts-Lehre, vierdter Theil ꝛc.

hoc eſt

JACOBI CAROLI SPENERI PLENIOR Doctrina Juris Publici Imperii Romano-Germanici.

Tomus IV.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Georgii Marci Knochii, 1725, 4. Alph. 3 pl. 4.

COmplectitur hic Tomus librum tertium & libri quarti duo ſolum capita priora. Veretur hinc Autor Conſultiſſimus, ne juſto uberior diffuſiorque forſitan videatur multis, qui alios Juris Publici ſcriptores in argumentis præſenti volumine pertractatis, puta de Imperio Romano Germanico in genere atque ejus juribus, & de Imperatoris Rom. Germ. electione, haud perinde longos & abundantes eſſe noverint. His in præfatione ſeſe excuſat, monens, dum in Juris Publici doctrina pleniore ſiſtenda deſudet, ea vero inexhauſti fontis inſtar habeat, parcum brevemque eſſe ſibi non licere: imo vero diutius immorandum fuiſſe iſtis capitibus, quæ levi nimis brachio plerisque antehac evoluta fuerint. Libri III, qui *de Imperio noſtro in genere* agit, ejusque *jura* explicat, *capite I* contemplatur *territorium Imperii Rom. Germ. principale & ejusdem fines.* Inſtituta ibi peculiari ſtatuum Imperii, qui ſunt originarii, qui acceſſorii, conſideratione, illos in tabula repræſentat p.21 ſſ. quæ ab ea, quam *Ill. Ludewigius* ad *A. B. T. VII p. 652* dedit, haud parum diſcrepat, dum Noſter Bavariam, Sueviam, Franciam Orientalem, Lotharingiam, Thuringiam, Saxoniam & Slavoniam provincias ac ſtatus originarios facit, omittens Brandenburgum, adjiciens Lotharingiam. Hanc vero Ludewigius, ad ſeptenarium numerum obtinendum, prætererat, Brandenburgo citra veteris hiſtoriæ autoritatem addito. *Cap. II* occupatur circa *territorium Imperii ſecundarium & acceſſorium*, quod a prætenſionibus Imperii probe diſcernit, ac ejus a territorio principali differentiam, potiſſimum diverſis juribus ſeſe

ſeſe exerentem, ob oculos ponit. *Cap. III* ſiſtit *præcipuas Imperii diviſiones*, inprimis vero hodiernas. Etenim quæ olim, tum aliis rationibus politicis, tum jurisdictionis commodius exercendæ cauſa, obtinuit Imperii diviſio in provincias, gobiis rurſum & pagis, itemque Centenis diſtinctas, pridem ab uſu receſſit. Ejus loco noſtra ætate arbitraria Imperii in Electoratus, Principatus, Ducatus ceterosque ſtatus diviſio obſervatur, quam præter aliæ tamen, puta in territoria Eccleſiaſtica & Secularia, Allodialia & Feudalia, in ſtatus Evangelicos, Romano-Catholicos & Reformatos, diviſiones agnoſcendæ ſunt. His Noſter ſubjungit partium Imperii potentioris & infirmioris conſiderationem, verasque ejus diſparitatis origines eruit: ceterum partitionem in terras mediatas & immediatas, item in duos Palatinatus ſupremos, in terras Juris Franconici & Saxonici, in Quaterniones, partim erroneas, partim Germaniæ hodiernæ minime accommodatas, denique nec circulorum Imperii diviſionem univerſalem eſſe, demonſtrat. *Cap. IV* expendit *vires atque opulentiam imperii*, quæ tractatio licet ad cognitionem ſtatus publici proprie pertineat, utilitatem tamen in forma politica rectius deſcribenda, in collectis Imperii diſtribuendis, potentia bellica examinanda, in diverſo ſuperioritatis territorialis exercitio conſiderando, inque ſimilibus Juris Publici argumentis præſtat. Succedit *Cap. V* diſpectio *de forma, ſeu conſtitutione politica & regimine Imperii præſenti, deque conſervatione ſtatus hodierni*, ubi præcipue intereſſe politicum erga ſingulos vicinos ac ratio ſtatus præſentis diligenter excutiuntur. *Cap. VI Tituli, prærogativæ atque jura præcipua Imperii* demonſtrantur & vindicantur, inprimis præcedentia, titulique ab Imperio Rom. originem ducentes. *Cap. VII* Noſter *Prætenſiones Imperii*, qua in hoc potiſſimum argumento opus, moderatione atque circumſpectione inveſtigat, certas ab incertis ac prorſus fruſtraneis, quibusve Imperium ſe pridem abdicavit, ſolide ſecernit, jusque ac modum vel perſequendi vi bellica & vindicandi jura in Status exteros, vel iisdem renunciandi, declarat. *Cap. VIII* exhibet *prætenſiones in Imperium*, quas tum extranei ſtatus, ſpeciatim Papa, Rexque Galliæ, item Dania, Polonia, Hungaria, tum ſtatus quidam Imperii contra ſtatuum quorun-

dam immedietatem fovent, pariterque, quibus juribus adverſus ejusmodi prætenſiones opponendis Imperium uti poſſit, exequitur. Hactenus jura Imperii univerſi, quatenus illud conſtituunt Imperator & Status. Jam ſequitur *Liber IV*, qui totus *Capiti Imperii, eoque pertinenti ſupremo regimini* dicatus, initium facit *Cap. I* ab *Imperatoris ſumma dignitate, titulis & inſignibus*, quæ ſingula ex hiſtoriarum monumentis legibusque & obſervantia Imperii ea cum cura illuſtrantur, qua de Majeſtate ac honore Auguſti diſſerere convenit; *Capite II* vero Noſter *de Electione Imperatoris*, & quidem tam de juribus circa illam, quam de ſolemnitatibus obſervandis tam ſolicite agit, hiſtoriam electionum, & noviſſimæ, & ſuperiorum, ubique ſubjiciens, ut vel hoc apparatu plerosque Juris Publici ſcriptores vincat. Enimvero majorem copiam inſtitutum & methodus, quam tenet, requirunt. Ceterum cum *Tomo VI* hujus operis jus Publicum particulare ſit executurus, recentiora vero atque indubia monumenta ad peculiaria jura præſentemque Statuum ſingulorum conſtitutionem facientia haudquaquam promta facileque impetranda ſint, publica obteſtatione ejus generis ſubſidia expetit, gratam Patronorum fautorumque prædicationem ſpondens, qui humaniſſima particularium iſtiusmodi monumentorum communicatione juvare ipſum dignati fuerint.

Schauplatz der Waſſer-Künſte.

hoc eſt,

THEATRI MACHINARUM HYDRAULICArum Tomus II, Autore JACOBO LEUPOLDO, Mathematico & Mechanico, Regi Boruſſiæ a Conſiliis Commerciorum, diverſarum Societatum Scientiarum Sodali.

Lipſiæ, ſumtibus Autoris, 1725, fol. Alph. 2 pl. 1 Tabb. æn. 54.

COntinuat Cl. Autor in altero Theatri machinarum hydraulicarum Tomo deſcriptionem machinarum ad aquas elevandas

das vel cum ſucceſſu adhibitarum, vel fruſtra ab hominibus non ingenio equidem, at praxi tamen deſtitutis eum ad uſum commendatarum, ut aurum a ſcoriis dignoſcant lectores. Diximus in Actis hujus anni p. 228, Cl. Autorem in Tomo priore varias deſcribere rotarum ſpecies, quibus aquæ ad diverſas altitudines elevantur. Omiſit autem omnem fulcrorum apparatum, atque adeo conſultum duxit in Tomo poſteriore ſiſtere iſtiusmodi rotam cum omni fulcrorum apparatu. Habet autem præterea machina id ſingulare, ut rota, cui ab aqua in flumine labente motus imprimitur, diverſa ſit ab altera, quæ aquam elevat. Eidem jungit Noſter cochleam *Archimedeam* triplicatam ex *Ramello*, qua aquæ inſignis quantitas ad exiguam altitudinem elevatur, una cum aliis ejusdem cochleæ multiplicationibus. Sequuntur variæ machinæ ſitularum ope aquas elevandi, quæ vel vi equorum, vel aquæ irruentis impetu, vel denique ab hominibus calcando moventur. Inter eas una occurrit, quæ Autoris ingenio debetur. Plures deſcribuntur modi antlias agitandi, varia vectis atque tollenonum applicatione, ubi *Sturmius* notatur, qui in hoc genere errores commiſit aliorum defectus emendaturus. Deſcribuntur vero & varia antliarum genera, inter quæ eminent antlia admodum ſimplex ad horizontem inclinata, & alia pyramidis truncatæ figuram referens, ex Transactionibus Anglicanis A. 1677 Num. 496 deſumta. Docetur quoque tollenonum applicatio horizontalis, ubi & machina deſcribitur, quam in Diario eruditorum Gallico A. 1678 cum publico communicavit architectus quidam militaris, a militibus agitanda, etſi pedum manuumque miniſterio deſtituantur, & perpetuum mobile refellitur, quod a *Solskio* excogitatum repræſentat *Schottus* in Technica curioſa. Agitur præterea de axibus incurvatis eorumque in antliis uſu: ubi defectus in communi eorundem applicatione obvii notantur, de medela diſpicitur, & affrictus imprimis minuendi ratio habetur. Invenies hic deſcriptionem accuratam hydrauli Lipſienſis & Auguſtani, tum etiam machinæ hydraulicæ prorſus ſtupendæ, cujus ope in Gallia aqua ex Sequana in uſus hydraulicos deducitur, & cujus accuratiſſimam delineationem orbi litterario promiſit Cl. *Villius*, Leodienſis. Multa denique adjiciuntur de uſu axium incurva-

c. 1. 2. 3. 4. 5.

curvatorum in antliis vi venti agitandis, ſive in rotas verticales, ſive in horizontales irruat. Comparet hic machina ſtructuræ
c. 6. ſimpliciſſimæ, procellarum furori minime expoſitæ. Succedunt rotæ ad horizontem inclinatæ, ubi ſimul varius plani inclinati
7. uſus in agitandis antliis exponitur, & monſtrata cochleæ perpetuæ varia ad antlias applicatione, deſcribuntur rotæ, quarum
8. tantum ſemiperipheria dentibus inſtruitur, una cum machina *Perraltiana* aquam ſine affrictu absque rotarum dentatarum uſu, ſola funium & cylindri ope ad quamlibet altitudinem elevandi.
9. Varia exhibentur machinarum genera, aquam vi ignis elevandi, ubi præ ceteris notatu digna eſt machina, quam *Potterus* in me-
10. talli fodinis Hungariæ multo cum ſucceſſu adhibuit. Ultimo tandem loco maximo apparatu Cl. Autor deſcribit emendationes emboli in antliis, cum a ſe, tum ab aliis tentatas, & appendicis loco ſubjungit machinam ad vires hominum & equorum æſtimandas facientem. Coronidis loco comparet diſcurſus de re machinaria in genere, & hydrotechnia in ſpecie, ad retundendum faſtum & vanos auſus hominum nec in theoria, nec in praxi mechanica ſatis verſatorum.

HENRICI RIDLEY, COLLEG. MED. LOND. Soc. Anatomia Cerebri, complectens ejus Mechaniſmum & Phyſiologiam, ex Anglico in Latinum fideliter translata.

Lugduni Batavorum, apud Joh. Arn. Langerok, 1725, 8. Plag. 14½ & fig. ænear. Tab. 7.

TRiginta præterlapſi ſunt anni, cum Clariſſimus *Ridley* ſuam Anatomiam Cerebri vernaculo idiomate publici juris eſſe voluerit. Qui liber non immerito ſummo cum applauſu ab ordine Medicorum fuit exceptus, non ſolum quod exactam cerebri Anatomen ſiſtat, & nova inventa exhibeat, ſed & quod functiones animales & motum muſcularem accurate examinet, & veteres pariter ac modernos Autores modeſte emendet. Quæ libri præſtantia movit Cel. Collegam noſtrum, *Mich. Ern. Ettmullerum*, P. P. Acad. Leopoldino-Carolinæ jam Adjunctum, ut tum in gratiam

tiam eorum, qui linguæ Anglicæ minus ſunt periti, quam, cum in illuſtri hoc Collegio reciperetur, ſpecimen induſtriæ ſuæ exhibiturus, Anno 1705 Tractatum hunc Latinitate donaverit, & Miſcellaneorum Naturæ Curioſorum Decadis III Anno IX & X inſerendum curaverit, uti in Actis his A. 1706 Menſe Octob. pag. 456 monuimus. Cum igitur hæc verſio haud infeliciter ceſſerit, laudataque Miſcellanea omnium Medicorum manibus terantur, ſuperſedere potuiſſet verſionis novæ Autor hoc labore. Et quoniam Clariſſimi Ridley Tractatum in Actis his Anno 1696 menſe Majo pag. 201 prolixius recenſuimus, nihil amplius adjiciendum nunc eſſe judicamus.

Errata.

Pag. 21 lin. 1 l. Horatii, *p. 58 l. 33 l.* Pariſienſia; *p. 64 l. 12 l.* alatos; *p. 136 l. 4 l.* probare; *p. 144 l. 14 dele* qui; *p. 154 l. 8 l.* antiquis; *p. 156 l. 8 l.* eviluerunt; *p. 226 l. 25 l.* Talibus; *l. 26 l.* exemplo; *p. 255 l. 13 lege* Alne-; *p. 261 l. 11 l. militari; p. 356 l. 33 dele* quod; p. 537 lin. 32 l. *σκεύη*; p. 538 l. 6 l. *φθόγγοις*; l. 14 ὃ; p. 544 l. ult. pro *tum* l. *tam.*

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

I *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

ALardi (*Nic.*) *Bibliotheca Harmonica Biblica.* 351
Alberti (*Jo.*) *Obſervationes Philologicæ in libros N. T.* 302
R. Alſchech (*Moſis*) *Comm. in Pſalmos, Proverbia & Jobum.* 430. 431
Amort (*Euſebii*) *Informatio de Autore libelli de imitatione Chriſti.* 414
Anaſtaſii *de Vitis Pontificum Tomus II.* 153
Anonymi *Reſponſio ad An. Annotata in Obſerv. ad Matth.* 534
Commentarii Chronol. & dogmatici ad inſerviendum Hiſtoriæ Eccl. ab A. 1600 ad 1716. 138

Anonymi *Doctrina Pontificios inter ac Proteſtantes controverſa.* 159
Auliſii (*Dominici*) *Scholarum Sacrarum Libri duo.* 341
Baldeſchii (*Alex.*) *Status Eccleſiæ Papalis Lateranenſis A. 1723.* 129
Basnagii (*Jac.*) *Theſaurus Monum. Eccleſ. & Hiſt. Tomus I.* 529
Buddei (*Jo. Franc.*) *Meditationes Sacræ ex ed. Jo. Dav. Leonhardi.* 457
Caniſii (*Henr.*) *Lectiones Antiquæ. Tomus I.* 529
Coleri (*Joh. Chriſtoph.*) *Bibliotheca Theologica ſelecta.* 515
Creſcimbeni (*Jo. Mariæ*) *Status Eccleſiæ Papalis Lateranenſis A. 1723.* 129
La Croze (*M. V.*) *Hiſtoria Chriſtianiſmi Jndorum.* 122
Ex Elsneri (*Jac.*) *Literis ad Anon. Annotata in Obſerv. ad Matth. excerpta.* 534
Friſii (*Mart.*) *Fundamenta Theologiæ Theticæ.* 461
Hauſenii (*Chr. Aug.*) *Scrutinium Religionum.* 513
Houtteville *Religio Chriſtiana, probata ex factis.* 251
Kohlreiffii (*Gottfridi*) *Chronologia Sacra.* 163
Lampii (*Frid. Adolph.*) *Comment. Evangelii ſecundum Johannem. Tomus I.* 460
Lenfantii (*Jac.*) *Hiſtoria Concilii Piſani.* 10
Millii (*Dav.*) *Diſſert. ſelectæ varia S. Literarum & Antiquitatis Orient. Capita illuſtrantes.* 103
Murray (*Andr.*) *Demonſtratio Dei ex voce animalium.* 462
Petitdidier (*Matth.*) *de auctoritate & infallibilitate Paparum liber.* 308
Pfaffii (*Chriſtoph. Matth.*) *Introductio ad Hiſtoriam Theologiæ Literariam. Pars II.* 509
Reineccii (*Chriſtiani*) *Biblia Hebraica.* 381
Novum Teſtamentum Græcum. 381
S. Sixti II *Pontif. R. Enchiridion, ex ed. Urb. Godofredi* Siberi. 353
Theophanis *Diſquiſitio hiſtorica bigæ quæſtionum &c.* 409
Weismanni (*Chriſtiani*) *Schediaſmata Academica.* 505
Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *Anecdota ſacra & profana. Tomus IV.* 218
Curæ Philol. & Criticæ in IV SS. Evangelia & Actus Apoſtolorum. 347

II Libri Juridici.

BOehmeri (*Juſti Henningi*) *Doctrina de Actionibus.* 372
B Cronii (*Jo. Adolphi*) *Tract. de Jure Aſſecurationum.* 78
Noodt (*Gerardi*) *Opera omnia.* 1

Spene-

Digitized by Google

Speneri (*Jac. Car.*) *plenior Doctrina Juris Publ. Imperii Rom. Germanici.* *Tomus II & III.* 81
Tomus IV. 540
Vinholdi (*Ge. Andr.*) *Nucleus Juris Naturæ.* 424
Weſtphal (*Ern. Joach.*) *de fatis atque uſu ſtudii Juris Feudalis in Germania Medit. pragm.* 417

III Libri Medici & Phyſici.

Academiæ Regiæ ſcientiarum Hiſtoria Anni 1721. 107
Anni 1722. 267
Albini (*Chr. Bernh.*) *Specimen Anatomicum &c.* 404
Anonymi Sylloge ſcriptorum de Motu aquarum. 20
de ſublingualibus Salivæ ductibus Epiſtola ad Actorum Erud. Autores. 325
Reſponſio ad Epiſtolam præcedentem. 328
Godfrey (*Ambroſii*) *nova Methodus exſtinguendi incendia.* 181
Harris (*Gualtheri*) *Diſſert. Medicæ & Chirurgicæ.* 328
Hiemeri (*Eberh. Frid.*) *caput Meduſæ, diluvii univerſalis monumentum.* 376
Jurini (*Jac.*) *Diſſ. de motu aquarum fluentium, contra P. A. Michelottum Defenſio.* 315
Keill (*Jo.*) *Introductio ad veram Phyſicam.* 406
de Legibus attractionis. 406
Maudray (*Jo.*) *Valetudinarium mulierum.* 177
Michelotti (*Petr. Ant.*) *ad Bernh. Fontenellium Epiſtola, in qua aer pulmones influens, cogatne an ſolvat ſanguinem, eorum canales permeantem, inquiritur.* 261
Epiſtola ad Ant. de Comitibus, in qua ſententiam ſuam de motu aquarum fluentium contra Jac. Jurinum defendit. 315
Quincy (*Jo.*) *Prælectiones Pharmaceuticæ.* 69
Richteri (*Ge. Frid.*) *de natalibus Fulminum Tract. phyſ.* 235
Ridley (*Henr.*) *Anatomia cerebri &c.* 544
Ruyſchii (*Fred.*) *Curæ poſteriores, ſeu Theſaurus Anatomicus maximus.* 22
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) Ουρεσιφοίτης *Helveticus, ſeu Itinera Alpina.* 312
Sendelii (*Nathan.*) *Electrologiæ Miſſus primus.* 374
Tabor (*Job.*) *Exercitationes Medicæ.* 449
Waltheri (*Auguſtini Frid.*) *Sarcoceles Exemplum rariſſimum.* 492
Welſted (*Roberti*) *de ætate vergente liber.* 23
de adulta ætate Liber. 447

Digitized by Google

Wolffii (*Chriſtiani*) *Meditationes Phyſicæ de uſu partium corporis humani, animalium atque plantarum.* 398

IV Libri Mathematici.

ACademiæ Regiæ Scientiarum Hiſtoria Anni 1721. 107
Angeli (*Mich.*) *opera Architectonica, e verſ. L. Chriſt. Sturmii.* 278
Anonymi Sylloge Scriptorum de motu aquarum. 20
Bernoullii (*Dan.*) *Exercitationes quædam Mathematicæ.* 113
Explanatio Notationum ſuarum &c. 470
(*Joh.*) *Demonſtratio Conſtructionis pro deſcribenda trajectoria reciproca, quæ inter omnes Algebraicas poſſibiles ſit ſimpliciſſima.* 318
Buteonis (*Jo.*) *de fluentis aquæ menſura libellus.* 377
Carbonis (*Jo. Bapt.*) & *Dominici* Capaſſi *Obſervatio Lunaris Eclipſis habita Ulyſſipone d. 1 Nov. 1724.* 74
Solutio Problematis Riccatiani. 673
De Folard *Meditationes de re militari.* 184
Hodgſon (*Jac.*) *Syſtema Matheſeos.* 14
Leupoldi (*Jac.*) *Theatrum Machinarum Hydraulicarum. Tom. I.* 227
Tomus II. 542
Poleni (*Jo.*) *Epiſtola de Solis defectu A. 1724.* 377
De Vignola (*Barozzii*) *Inſtitutiones totius Architecturæ Civilis ex Gallico A. C. Davibrii vertit L. Chriſt. Sturmius.* 278
Wagner (*Jo. Wilh.*) *Obſervatio magnæ Solis Eclipſeos A. 1724 d. 22 Maji.* 379
Weidleri (*Jo. Frid.*) *Inſtitutiones Mathematicæ.* 469

V Libri Hiſtorici, Geographici &c.

ALbini (*Petri*) *Vita Georgii Sabini.* 29
Anonymi Memorabilia Saxonica. 150
Elogium Martini Chladenii. 477
Michaelis Fertſchii. 526
Jo. Guil. Jani. 528
Belhommii (*Humberti*) *Hiſtoria Mediani in monte Voſago Monaſterii.* 67
Bruckeri (*Jac.*) *vita Eliæ Ebingeri.* 30
Burmanni (*Petri*) *Theſaurus Antiqu. & Hiſt. Italiæ. Tomi IX Pars VI, VII & VIII.* 202

Burman-

Digitized by Google

Burmanni (*Petr.*) *Theſaurus Antiqu. & Hiſt. Siciliæ, Sardiniæ, Corſicæ &c. Tom. VI, VII, VIII, IX, X.* 289
Tomus XI, XII, XIII, XIV, XV. 481
Burneti (*Gilb.*) *Hiſtoria ſui temporis.* 49
C. A. H. vid. Heumannus.
Caræi (*Richardi*) *Conſpectus Cornwalliæ.* 120
Epiſtola de præſtantia linguæ Anglicæ. 120
Cruſii (*Magni*) *Singularia Pleſſiaca, ſeu vita Philippi Mornai.* 26
(*Theodori*) *Comment. in P. Albini vitam G. Sabini.* 29
Q. Curtii *Rufi de rebus geſtis Alexandri M. libri, ex ed. Henr. Snackenburg.* 97
Danielis (*Gabr.*) *Hiſtoria rei militaris Francicæ. Tomi II.* 394
Democritus (*Chriſtian.*) *vid.* Dippelius.
Dippelii (*Jo. Conr.*) *Conjecturæ in Jac. a Melle Comm. de ſimulacris aureis, quæ in Boringholmia inſula eruuntur.* 520
Reſponſoria ad Amicum de Cornu aureo in Iutlandia reperto. 520
Duellii (*Raymundi*) *Excerpta Genealogico-Hiſtorica.* 115
Fiſcheri (*Erdmann Rud.*) *Vita Jo. Gerhardi.* 32
Fontanini (*Juſti*) *de Antiquitatibus Hortæ Libri III.* 62
Georgii (*Dominici*) *de antiquis Italiæ Metropolibus Exerc. hiſt.* 293
Notæ in Poggium de varietate Fortunæ. 220
Marcb. Ghiſlerii (*Ant.*) *Ephemerides motuum cæleſtium ab A. 1721 ad 1740.* 407
Gimma (*Hyacinthi*) *Idea Hiſtoriæ Literariæ Italiæ.* 56
Glafey (*Adami Frid.*) *de vera quondam Miniſterialium indole Commentatio hiſtorica.* 258
Hahnii (*Sim. Frid.*) *Collectio Monum. vet. & rec. Tomus I.* 214
Heumanni (*Chr. Aug.*) *Emendationes Libri I. Hiſtoriæ Poggianæ de varietate fortunæ.* 223
Jarckii (*Jo.*) *Specimen Hiſtoriæ Academiar. Erud. Italiæ.* 475
Johannis (*Ge. Chr.*) *Tabularum literarumque veterum Spicilegium. Tom. I.* 210
Kehr (*Ge. Jac.*) *Monarchiæ Aſiatico-Saracenicæ ſtatus nummis illuſtratus.* 452
Mogolis Magni, Aurenk-Szeb Nummus illuſtratus. 459
Keill (*Jo.*) *Introd. ad veram Aſtronomiam.* 406
Trigometria. 406
de viribus centralibus. 406
Martene (*Emundi*) & *Urſini* Durandi *alterum Itinerarium Literarium.* 54

Zzz 3 *Mar-*

Martene (*Emundi*) *Veterum Scriptor. & Monum. ampliſſima Collectio. Tom. I, II, III.* 145
Meichelbeck (*Car.*) *Hiſtoria Friſingenſis Tomus I.* 390
De la Motraye (*Aubrii*) *Itinera per Europam, Aſiam & partem Africæ. Tomi. II.* 241
Muratorii (*Lud. Ant.*) *rerum Italicarum Scriptores. Tomus V.* 433
- - - - *Tomi I Pars II.* 437
De Nicaſtro (*Jo.*) *Deſcriptio Arcus triumphalis M. Ulpio Trajano Beneventi poſitus.* 125
Beneventana Pinacotheca. 519
Pez (*Hier.*) *Scriptores rerum Auſtriacarum. Tomus II.* 385
Pfaffii (*Chriſtoph. Matth.*) *Introductio in Hiſtoriam Theologiæ liter. Pars II.* 509
Poggii Flor. *Hiſtoria de varietate Fortunæ, cum notis Domin.* Georgii, *ex ed. Jo.* Olivæ. 220
De la Roque *Iter in Syriam & ad montem Libanum.* 172
Schannat (*Jo. Frid.*) *Vindemiæ Literariæ. Collectio II.* 207
Traditiones Fuldenſes. 296
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) Ουρεσιφοίτης *Helveticus, ſeu Itinera Alpina.* 312
A Seelen (*Jo. Henr.*) *Memoria Stadeniana, ſeu de vita, ſcriptis ac meritis Diederici a Stade Comm.* 51
Skynneri (*Th.*) *vita Monkii cum Præf. Guil.* Webſteri. 400
Sparke (*Joſeph.*) *Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptores.* 488
Spelmanni (*Henr.*) *Opera Anglicana.* 491
Stollii (*Gottlieb*) *Introductio ad Hiſtoriam Literariam.* 508
De Stoſch (*Phil.*) *Gemmæ antiquæ cælatæ, ſculptorum nominibus inſignitæ.* 337
Theophani *Diſquiſitio hiſtorica bigæ quæſtionum &c.* 409
Weiſſii (*Chriſtiani Henr.*) *de Saxonum Origine conjectura.* 86

VI *Libri Miſcellanei.*

AMort (*Euſebii*) *Informatio de ſtatu controverſiæ de Autore libelli de Imitatione Chriſti.* 414
Carpentarii (*Franc.*) *Obſervationes hiſtoricæ morales & Critica.* 89
M. T. Ciceronis *Opera ex ed. Jſ.* Verburgii. 193
Clerici (*Jo.*) *de Poeſi Meditationes, Germanice verſa.* 382
Coleri (*Jo. Chriſtoph.*) *Anthologia. Tom. I. Faſc. I.* 517
Conradi (*Franc. Car.*) *de Monumento Propertii Poetæ Obſervatio Critica.* 363

Cunæi

Cunæi (*Petri*) *Epiſtolæ ex ed. P.* Burmanni. 464
Oratio in obitum Bonav. Vulcanii. 464
Facciolati (*Jac.*) *de optimis ſtudiis Orationes X.* 279
Comment. de Latina Lingua &c. 279
De Folard *Meditationes de re militari Diſſertatione in Polybium expoſitæ.* 184
Gentzkenii (*Frid.*) *Syſtema Philoſophiæ.* 168
Gottſched (*Jo. Chriſt.*) *Poemata quædam Germanica.* 382
Hahnii (*Sim. Frid.*) *Collectio Monumentorum veterum & recentium. Tom. I.* 214
Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Pœcile. Tomi I Liber IV.* 225
Hilligeri (*Jo. Zach.*) *Inſtitutiones Logicæ eclecticæ.* 136
Johannis (*Georg. Chriſt.*) *Tabularum literarumque veterum Spicilegium. Tomus I.* 210
Juvencii (*Joſ.*) *ratio diſcendi & docendi:* 188
Martene (*Edmundi*) & *Urſini* Durandi *veterum Scriptorum & Monumentorum ampliſſima Collectio. Tom. I, II, III.* 145
Pietſchii (*Jo. Val.*) *Opera Poetica vernacula.* 382
Schannat (*Jo. Frid.*) *Vindemiæ Literariæ. Collectio II.* 207
Schelhornii (*Jo. Georgii*) *Amœnitates Literariæ. Tomus I.* 89
Tomus II. 428
Schurtzfleiſchii (*Conr. Sam.*) *Analecta ſtyli exemplis illuſtrata ex ed. Jo. Chriſt.* Knauth. 284
Spelmanni (*Henr.*) *Opera Anglicana.* 491
De Stoſch (*Phil.*) *Gemmæ antiquæ cælatæ &c.* 337
Thummigii (*Lud. Phil.*) *Inſtitutiones Philoſophiæ Wolfianæ. Tom. I.* 230
Vinholdi (*Ge. Andr.*) *Nucleus Juris Naturæ.* 424
Weiſii (*Chriſt. Henr.*) *de ſtylo Romano Libri V.* 286
Weismanni (*Chriſtiani*) *Schediaſmata Academica.* 503
Wockenii (*Franc.*) *Elementa Philoſophiæ principalis Theoreticæ ac Practicæ.* 234
Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *Anecdota ſacra & profana. Tom. IV.* 218

INDEX RERUM.

A.

L' Abbadie *laudatus.* 255
Abbatiale *ſigillum, num exſtet ante ſeculum XII.* 300
Abbonis *obſidio Pariſ. a Normannis facta A.* 886. 396
Abelæ (*Jo. Fr.*) *Melita Latine verſa.* 486
Academia *Italica Pythagoræ.* 58
Academiæ, *num memorentur in ſcriptura?* 342

Acade-

Academiæ *Baſſoræ, Damaſci & Cairi.* 454
eruditæ Italiæ deſcriptæ. 60.475
Academias, *num habuerint Judæi?* 342
Academicorum *Ital. Elogia.* 57
Acarnania *quid?* 315
Accolti (*Bened.*) *dial. de viris præſt. ſui ævi recuſus.* 203
Acta Sanctorum *Antwerpienſia ab Inquiſit. Hiſp. damnata.* 141
De Actionibus *Tractatus.* 372
Actionum *moralium indoles.* 426
forenſium fontes unde petendi. 373
De Actorum *judicial. uſu diſſ.* 373
Acus *magneticæ declinatio.* 109
S. Adalberonis *vita.* 385
Adamantis *Medicæi hiſtoria.* 243
Adami *filiæ.* 467
imago, ad quam Schetus genitus, quid? 476
Adamus (*Leonh.*) *laudatus.* 221
De Adamitica *hæreſi Tract.* 388
Admontenſis *Monaſterii Chr.* 386
Advocatiæ *Monaſticæ, quouſque inter Regalia relatæ?* 120
Aer *ſanguini in pulmonibus admiſcetur.* 450
num cogat an ſolvat ſanguinem in pulmonibus? 261
Ætas *noſtra literarum aurea.* 225
De Ætate *vergente Tr.* 23 ſq.
adulta Tr. 446
Ægagropilarum *origo.* 312
Ægidii *Viterb. Epiſtolæ.* 150
Romani de re milit. vet. liber editus. 215
de regim. Princ. liber. 215
Ægyptiaca *ſigilla ut in ſeptentrionem perlata?* 524
Ægyptiacæ *apud Boringos reliquiæ.* 522
Æquationum *determinatorum omnium graduum ſolutio.* 270
S. Agathæ *vitæ ſcriptores.* 481
Agrippæ (*H. C.*) *de vanit. ſcient. liber integritati reſtitutus.* 430
De Agrippæ (*H.C.*) *vita anal.* 430
Ahasverus *idem ac Cambyſes.* 167
Ahasveri *Epiſtola genuina.* 167
Albertus *Auſtr. ſuper dolium in Regem ſublimatus.* 208
Alberti II *D. Auſtr. Chr.* 387.389
Alberti *Sarthianenſis Epiſt.* 150
Albi *hæretici.* 14
Albizii (*Ant. Fr.*) *de paludibus & ſolo Piſano Diſp.* 20
Alcali *Salis Ammon. volatilius eſt, quam phlegma & ſpiritus vini.* 109
Alchymia *defenſa.* 525
Alchymiſtarum *impoſturæ.* 270
Alexander M. *cum Carolo XII. R. Su. comparatus.* 245
Alexandri V *R. P. epitaphium.* 12
Alexander *de geſtis Rogerii recuſus.* 437
S. Alexandri *Martyris tranſlatio.* 208
Alexandri III *R. P. inſcriptio in Laterano.* 132
Alexandri VI *R. P. pactum cum Carolo VIII R. G.* 56
Alexandri VII *R. P. ingenium & mores.* 141
Alexandri VIII *R. P. decretum contra peccatum Philoſ.* 141
Alexandrina *Schola Theol. prima.* 346
Alfani (*Thomaſii Mariæ*) *Hiſt. Conc. Neap. promiſſa.* 127

Aliptæ

Aliptæ *quid ſint!* 195
Almanni *ſeu* Altmanni *epitaph.* 55
Alpina *itinera.* 312
Altare *quo ſenſu dicatur Mediator?* 104
in Laterano idem, quo Petrus uſus. 133
Altaria *portatilia.* 55
Altenburgenſium *Abbat. Catal.* 386
Alvari (*Eman.*) *in regulis Grammaticis multiplicandis ſtudium.* 279
Amadeus *Sab. Com. a Vicariatu Imp. revocatus.* 210
Ambroſii *Epiſtola.* 149
Amiculum *quid?* 101
Amor *parentum major quam liberorum.* 3
Anachorciſmus. 158
Anaſtaſius *Bibl. defenſus.* 158
Anaſtaſii, *Patriarchæ Antioch. Orationes.* 532
Ancyrani *Concilii autoritas.* 127
Andreina (*Iſabella*) *laudata.* 476
Anevriſmatis *examen.* 332
Anglicæ *linguæ præſtantia.* 121
incrementa unde? 121
ſuavitas unde? 121
Anglicorum *hiſtoricorum Collectio nova.* 488 ſq.
Animæ *operationibus inſervientia organa.* 500
ſuperior pars quænam? 231. 232
inferior pars quænam? 331. 332
operationes a priori explicatæ. 231. 232
infuſio ut fiat? 178
De Anima *humana errores Patrum.* 252
Animalium *partium uſus.* 498
Animalis *œconomiæ ratio.* 452
Anna, *conjux Auguſti El. Sax. an & cur Auguſti gratia exciderit?* 152
Anni *temporum quatuor Genii.* 63
Sabbathici ratio ut inveſtiganda? 343
Annorum *computatio Græca ſingularis.* 240
De Annis *completis & non completis quæ regulæ in Chronol. S. adhibendæ?* 165
Anniverſaria *in Necrologiis cum diebus emortualibus non confundenda.* 388
Antichriſti *deſtructio quando futura?* 163
Antimonii *examen pharmaceuticum.* 70
Antinomorum *in Anglia hiſt.* 511
Antiochenam *ſedem quando conſtituerit Petrus?* 157
Antlia *argento vivo agitanda.* 229
Antliarum *variæ ſpecies.* 229. 543
Antlias *agitandi modi varii.* 543
Apoſtolicæ ſedis gratia, *formulæ Epiſcopis uſitatæ, origo.* 120
Apulejus *cum Marſ. Ficino comparatus.* 85
Aqua *fontana optima ubi?* 247
marina ut ſalubris evadat? 268
aſperſionis cur cum ſale mixta? 158
Aquæ *pluvialis A. 1720 quantitas.* 109
A. 1721. quantit. 268
fluentis menſura. 378
per foramen vaſis effluentis velocitas. 114. 315. 378
dulcis iterata corruptio. 268
corruptio ut impediatur? 268
uſus Medicus. 330
Aquarum *motus inveſtigatus.* 20
fluentium theoria univerſa

ſa hactenus inventa. 20
Arabici *Nummi explicati.* 452 ſq. 455 ſq.
Arborum *incrementum ut fiat?* 502
Archierei *quinam?* 409. 411
Archimedis *Tr. de iis, quæ inſiſtunt humidis.* 20
Archivum *ut Hebræis denotetur?* 342
Arenoſa *inundatio in Britannia minori.* 268
Areopagitæ *ſcripta vindicata.* 59
cur a Patribus non memorata? 59
Argenſonii (*Marci Renati de Voyer de Paulmy*) *Elogium.* 112 ſq.
Ariadne *in ſarcophago.* 67
Aribonis *vita S. Corbiniani.* 393
Ariſtodemi *contra Nobilitatem objecta.* 220
Arthritis *ſenibus ſalutaris.* 25
Aſchamus (*Rog.*) *Ciceroni comparatus.* 122
Aſini *cultus inter Judæos origo.* 103
Aſſchaffenburgenſe *chartularium editum.* 212
Aſſecurationis *origo.* 80
ſynonyma. 80
diviſio. 80
definitio. 80
jus ut præſcribatur apud Belgas? 81
De Aſſecurationum *jure Commentatio nova.* 79
ſcriptores varii. 79
De Aſte (*Fr. Mariæ*) *Eccl. Hydruntinæ Epitome recuſa.* 206
Aſtronomicæ *tabulæ recentiſſ.* 19
Atergatio *quid?* 104
Athanaſii *fragm. ineditum.* 218
Athei *cur dicti Pagani?* 344
De Atheiſmo *liber J. F. Buddei laudatus.* 510
Avanturiers, *militum genus.* 397
Auguſtæ Taurin. *Academia.* 476
Auguſtini (*Leonh.*) *Siciliæ Numiſmatica recuſa.* 289
S. Auguſtini *Civitas Dei quo fine ſcripta?* 253
Auguſtus *El. Sax. lapidem philoſ. inveniſſe dicitur.* 152
Avium *volatus.* 500
Aulifii (*Dominici*) *nativitas & mors.* 341
elogium. 341
Aureng-zeb, *Magni Mogulis, nummus explicatus.* 456
Aures *baptizatorum igne adurendi ritus.* 362
Auriæ (*Jo. Vinc.*) *Cephaledis antiquitates Latine verſæ.* 485
Aurora *Borealis obſervata.* 108
Auſtria *quando pervenerit ad Ferdinandum Caroli V fratrem?* 389
Auſtriaca *Chronica edita.* 385-390
Axis *incurvati in antliis uſus.* 543
Azarii (*Petri*) *Chron. editum.* 203

BAalzebub *quid?* 105
Bacchi *nuptiæ cum Ariadne in ſarcophago expreſſæ.* 64
Bacchinii (*Bened.*) *mors.* 434
Bælius (*Petr.*) *ad Eccl. Rom. tranſiturus tulit repulſam.* 142
a Leibnitio accurate refutatus. 255
In Bælium (*P.*) *acris cenſura.* 142
Bailleti (*Adr.*) *Acta Sanctorum notata.* 141
Balſacius *Apologiæ ſuæ autor.* 90
Bambergenſe *Necrologium.* 207
Barlovius *Catullo comparatus.* 122
Barnaboves *Mediolani præfectura dejectus.* 210
Baronius (*Caſ.*) *notatus.* 358. 359

Baronii

Baronii ac Manfredis (*Fr.*) *de Panormit. majeſt. liber recuſus.* 484
De Barreti (*Fr.*) *Relat. de Statu Chriſtianiſmi in Malabaria judicium.* 123.
Bæruffaldi (*Hier.*) *de Poetis Ferrarienſibus diſſ. recuſa.* 205
S. Baſilii M. *rationes ſyllogiſticæ &c.* 531
de ſancta & orthodoxa fide. 531
de adventu Chriſti. 531
Basnagius (*Jac.*) *notatus.* 343
laudatus. 509
Basnagii (*Jac.*) *in Caniſii antiqv. Lect. merita.* 530. 532
Bavariæ *Chronica edita.* 386. 387
familiæ nobiles illuſtr. 117
Begeri (*Laur.*) *vita.* 508
Belhommius (*Hub.*) *laudatus.* 67
Belli *omen quod ceperint Franci?* 396
Bellaſini (*Fr.*) *Bergomum recuſum.* 204
Benedicti XIII. *R.P. elogium.* 516
Bulla de concilio Later. 516
S. Benedicti *ordines.* 58
Beneventi *deſcriptio.* 172
natales. 127
Hiſtoria promiſſa. 127
Beneventana *nux.* 127
Pinacotheca. 519
Bernæ *hiſtoria.* 314
S. Bernardi *hiſtoria illuſtrata.* 147
S. Bertholdi *I Abb. Garſtenſ. vita* 386
Bertramus *Sec. IX an præſentiam Chriſti in S. Cœna negaverit?* 162
Bibliorum *Codices MSS.* 56
Bibliotheca *Harmon. Biblica.* 351
Bibliothecæ *Abbatiæ S. Galli.* 314
Bignonii (*Hier.*) *memoria ſtupenda.* 95
Bilii (*Andr.*) *Hiſt. Mediol. edita.* 203
Billingus (*Herm.*) *quam Saxoniæ partem obtinuerit?* 151
Blanchini (*Franc.*) *Diſſ. de antiquis Pontif. Rom. Catal. &c.* 154
Chronologia Pontificia, Cæſarea & Conſularis. 155
Bleau (*Jo.*) *Theatrum urbium Italiæ recuſum.* 336
Boccalinus (*Traj.*) *caſtigatus.* 128
Boccatius *quando floruerit?* 59
Bodmeria *quid ſint?* 81
Bohemiæ *Chronica edita.* 389. *ſq.*
Boilavii *Satyra in Alex. M. a Carolo XII R. Suec. cur lacerata?* 245
Bonanni (*Jac.*) *de antiquis Syracuſis liber Latine verſus.* 481 ſq.
De Bonanno (*Jac.*) *judicium.* 482
Bonfilii & Conſtantii (*Joſ.*) *Meſſana recuſa.* 291
S. Bonifacii *patrimonium deſcriptum.* 301
Borcholdi (*Jo.*) ἐπιτάφιος. 429
Borelli (*Jo. Alph.*) *diſc. ſuper Lacuna Veneta.* 21
de Stagno Piſano &c. 21
Boringi, *quondam pirata.* 521
De Boſc (*Nic.*) *Itinerarium.* 56
Boſchæ (*Petri Pauli*) *Bibl. Ambroſ. recuſa.* 203
Boſſueti, (*J. Ben.*) *matrimonium clandeſtinum.* 510
Boterejus *notatus.* 29
Bouhierii *notæ in Cic. Latine verſæ.* 198
Boxhornii (*M. Z.*) *elogium.* 285
Bracteolarum *apud Boringos effoſſarum explicatio.* 521
Braunius (*Jo.*) *notatus.* 344
Brayda, *Poetarum ferax.* 476
Brenneri (*Leop.*) *Hiſt. Maurbac.* 387
Breubergiorum *familia illuſtr.* 212
Bridgeſii (*Jo.*) *elogium.* 489

S. Brigidæ *vita.* 532
Britannia *olim tota monaſtica.* 160
Brovverus (*Chriſtoph.*) *notatus.* 300
Brixii (*Caſ.*) *Cæſena recuſa.* 205
Bruſchii (*Caſp.*) *Idyllion.* 387
Buchonia *deſcripta.* 301
unde dicta? ib.
in octo pagos diviſa. ib.
Buckinghamius *accuſatus.* 50
Buddeus (*Jo. Franc.*) *notatus.* 165
laudatus. 510
De Burenio (*Arn.*) *varia.* 29
Burgos (*Alex.*) *Terræ motus Siculus recuſus.* 292
Burmanni (*P.*) *notæ in Cunæi Epiſtolas.* 468
Burneti (*Gilb.*) *educatio.* 49
Buxtorfius (*Jo.*) *notatus.* 345
Buzinski (*Gabr.*) *Ruſſi, in literas merita.* 240
Ad Bynkershoekii *difficultates Julio Paulo motas reſponſio G. Noodtii.* 1

In CÆſarem (*Jul.*) *Comment. promiſſus.* 187
Cajetani (*Oct.*) *Hiſt. B. Conradi.* 483
Calamaria *theca veterum.* 197
Calamo *non penna ſcribebant veteres.* 197
Calculi *integralis problema Riccatianum ſolutum.* 473
De Calculo *differentiali controverſiæ fons & origo.* 407
Calendarii *Juliani fragm. in lapide.* 155
Calmucci *domicilia fixa non habent.* 248
Caloris *æſtivi cauſa generalis evoluta.* 108
Calvinus *cur moroſus?* 92
Calvinianorum *& Luther. in articulo de S. Cœna harmonia.* 28
Camphoram *exhibendi modus.* 72
Cancri *cura.* 332
Candidi (*Hug.*) *Hiſt. Burgenſ. edita.* 489
A Cane *rabido morſi ut curandi?* 55
Canes *venatici cum diplomatibus diſcurrunt.* 299
Cantoris (*Petri*) *epitaphium.* 55
Capella, *qualis veſtitus?* 398
Capellanus (*Jo.*) *ſordidus & avarus.* 91. 92
Capitaneus *generalis in Francia quis?* 397
Capitanei *definitio.* 260
Cappa *quid?* 398
Capreolus (*Helias*) *Guelphis addictus.* 204
ejus Chron. Brixienſe integrum. 204
Capuani (*Th.*) *Dictator editus.* 216
obitus. 217
Caput *Meduſæ in agro detectum.* 376
A Carabis *excluſæ ſoleæ.* 269
Caraccioli (*Ant.*) *Notæ in Chronologos vet. recuſæ.* 433
Caro *non tollit jejunium.* 91
Carolus M. *Imperator dictus ante A. 800, non ſemper poſt eundem annum ita dictus.* 297 ſq.
Caroli M. *donationis ſpecimen.* 154
Caroli I *R. A. peccata.* 50
Conjugis conſilia noxia. 50
ſupplicium quis procuraverit? 50
Carolus II *R. A. cujus conſiliis duxerit Principem Luſitan.* 51
divortium a conjuge parat. 51
ſacris Pontif. addictus. 52. 53
Caroli II *R. A. character.* 51
vaticinium de Jacobo fratre. 53

Caro-

Caroli II *R. A. in Angl. reditus.* 403
Caroli IV *Imp. cura de Italia & Regno Arelatenſi.* 209
diplomata varia. 209. 210
de moneta præceptum in Delphinatu & Sabaudia. 210
Caroli VI *Imp. Elogium.* 518
Carolus XII *R. S. cum Alex. M. comparatus.* 245
an amoris expers? 245
an ſui compos? 246
vini abſtinens fuit. 245
Caroli XII *R. Su. fortitudo & conſtantia.* 246
argute dictum. 246
fata ſingularia. 245
Caroli Ludov. *Pal. & Degenfeldiæ litera amatoria fictitia.* 86
Carpentarii (*Franc.*) *obitus.* 89
iconis inſcriptio. 94
Carraimi *quinam?* 345
Carrafæ (*Plac.*) *Motuca recuſa.* 483
Carreræ (*Petri*) *Ætna recuſa.* 292
Cataria recuſa. 292
Caruſii (*I. B.*) *Monum. Saracenico-Sicula.* 439
Caſalii (*Jo.*) *ἐπιτάφιος Jo. Borchol-di.* 429
Caſaubonus (*Iſ.*) *in religione inconſtans.* 28
cur obſcure verterit Polybium? 186
notatus. 342. 343
Caſpii *maris Tabulæ Geogr. nova.* 111. 248
S. Caſſianus *quando vixerit?* 63
ejus Acta MSS. 66
Caſſini (*Jo. Dom.*) *diſtributio aquarum Bonon. & Ferrar. &c.* 21
Caſtellus, *ſicarius, in Henr. IV R. G. a Jeſuitis emiſſus.* 27
Caſtelli (*Ben.*) *de menſura aquarum fluentium Tr.* 20
Catechiſmus *ad gentilium ſacra male applicatus.* 524
Aut Catholicus, *aut Deiſta, axioma num verum?* 507
Catullus *illuſtratus.* 294
Catulli, *Tibulli &c. editio rariſſima.* 429
Caulis *uſus.* 501
Cedrorum *reliquiæ unicæ.* 172
rami cur æſtate diffuſi, hyeme contracti? 172
Centri *gravitatis communis corporum in ſe mutuo impingentium theoria.* 112
Ceræ *nova ſpecies.* 268
Cerebri *cortex vaſculoſus.* 23
anatomia. 544 ſſ.
Certe-Partey *quid?* 81
Ceſpes *bituminoſus Tigurinus.* 314
Chalybis *præparatio.* 270
De Chaſtevil, *Eremitæ, vita.* 176
Chaucerus *Varroni comparatus.* 122
Cheecus (*Jo.*) *Demoſtheni comparatus.* 122
De Cheſnii (*Andr.*) *Script. Franc. recudendis conſilium irritum.* 145
Chiarandæ (*J. P.*) *Plutia Latine verſa.* 482
De Chiaranda (*J. P.*) *judic.* 482 ſq.
Chiliaſmus *quotuplex?* 252
Chiliaſmi *craſſi doctrina e Platone derivata.* 253
a Judæis derivanda. 253
Chiliaſmo *qui ex Patrib. dediti.* 252
Chiocci (*Andr.*) *Medici & Philoſophi Veron. recuſi.* 205
Chirurgorum *errores taxati.* 333
temeritas. 333
Chladenii (*Martini*) *elogium.* 528
In Cholera *an veratrum conducat?* 449

Chordæ *Achillis ruptura.* 269
Chriſtina *Reg. Su. androgyna.* 90
an cum religione etiam mores mutaverit? 141
Chriſtiani II *El. Sax. mors, Rudolpho II Imp. luctuoſa.* 152
Chriſtianismus *defenſus.* 256 ſſ.
Chriſtus *num novus Legislator?* 257
vere cruci affixus. 458
quo ſenſu primogenitus ex mortuis? 458
Chriſti *ſanguis in Italiæ variis locis aſſervatur.* 60
annus natalis. 167
dies natalis. 168
annus & dies emortualis. 168
anni miniſterii. 168
reſurrectio defenſa. 257
incarnatio quam dignitatem attulerit humano generi? 458
De Chriſti *nomine adorando lis unde orta?* 60
ſepulchro Diſſert. 458
generatione ut ortum præjudicium? 503
Chriſto *templa a paganis poſita.* 256
Chronologia *Sacra nova.* 163 ſſ.
Chryſippi *contra Nobilit. objecta.* 220
Chryſorrhœæ *fl. ortus & curſus.* 175
S. Chryſoſtomi (*Jo.*) *Interpretatio Evangelii S. Johannis.* 531
Chymica *principia ſunt ſpiritus, oleum & ſal.* 70
Ciacconii (*Alph.*) *Epiſtola.* 150
Ciccarelli (*Alph.*) *Clitumnus fl.* 206
ſupplicium. 206
Ciceronis *virtus præcipua.* 281
opera quæ in varia oratione commendanda? 285
liber ad Trebatium JCtis commendatus. 285
Cigalini (*Pauli*) *de patria C. Plinii Sec. liber recuſus.* 205
Circaſſi *filias exteris vendunt.* 248
ſunt forma elegantis. 247
Circuli *peripheria in fractionibus decimalibus ad loca centum definita.* 15
Clarendonius *Com. libertatis vindex.* 51
cur fata adverſa expertus? 52
De Clarendonii *Com. Hiſtor. judicium.* 161. 401
Claſſicorum *autorum qualis utilitas?* 465
Clavi *per nares adacti.* 269
De Clemangis (*Nic.*) *libri de corrupto Eccl. ſtatu argumenta.* 12
Clementis XI *P. R. numiſma.* 130
Clericus (*Jo.*) *notatus.* 100
Clerici (*Jo.*) *Medit. de Poetis & Poeſi Germanice verſæ.* 383
Clerus *in gradus diſtributus.* 158
Gallicanus a militia ægre prohibitus. 395
Cluverius (*Phil.*) *laudatus.* 293
Cluverii (*Phil.*) *Sardinia & Corſica recuſa.* 486
Clypei *quot in Speculo Sax. & Suev. memorati?* 259. 260
Cochlea *Archimedis.* 228. 543.
Cochleæ *Archimedeæ multiplicatio.* 543
Cochorellæ (*Ben.*) *Inſula Tremitana recuſa.* 485
Codex *pro perſona habitus.* 96
Cœli *color obſcurus obſervatus.* 108
Cœmeteriorum *prope Romam enarratio topographica.* 155
In Cœnaculis *plebs Rom. habitat.* 4
Cognomina *familiæ quando orta?* 436

Cohe-

Coheleth, *vocis explicatio nova.* 225
Cointius (*Car.*) *notatus.* 68
Colletet, *Poeta Gallus, trium ancillarum ſucceſſive maritus.* 92
a Richelio donatus. 92
De Colonia (*Dominici*) *liber de verit. rel. Chriſt. commendatus.* 510
Colonienſe *chartularium.* 211
Colonienſium *Archiep. ſyllabus.* 217
Columba *quid in lapide notet?* 118
Fabiani. 303
S. Columbani *ſermo editus.* 332
De Columna *bellica Tract.* 187
Combergenſes *Abbates &c.* 207
Comes *Stabuli apud Francos quis?* 397
Cometarum *reditus prædictus.* 408
L. Cominii *nomen in monum. frequens.* 366
Comitatus *liberi.* 211
Conceptio *tubaria.* 269
Concilii *Piſani hiſtoria.* 10
Neapolit. hiſtoria. 127
Baſil. acta ubi lateant? 55
Ancyrani autoritas. 127
Florentini hiſtoria. 222
Lateran. 1725 *habiti notitia.* 516
De Concilio *Piſano ſententia.* 213
De Conciliis *Germaniæ ſingularia.* 147
Conradus I *R. Germ. dictus Rom. & Francorum Rex.* 300
E Conradi *Philoſ. Catalogo Rom. Pont. & Imp. excerpta.* 387
Conrartius *Gr. & Lat. linguæ expers.* 94
ejus ſcripta. 94
Conſcientiæ *tenax obſervator.* 277
Copernicanum *Syſtema impugnatum.* 165
Corbeja *deſcripta.* 55
De S. Corbiniano *varia.* 392 ſſ.
Cordis *ſtructura & vires.* 450
ventriculorum capacitas. 450
Cornazzani (*Ant.*) *Vita Barth. Colei edita.* 204
Cornelius (*Petr.*) *cur librum de Imit. Chr. verſu Gallico expreſſerit?* 93
De Cornu *aureo Danico conjectura.* 524
Cornua *Ammonis cum nautilis comparata.* 267
Cornvvalliæ *conſpectus.* 120
Coronelli (*Vinc.*) *Eccleſia Bergom. recuſa.* 204
Corporis *depoſitio quid phraſi Biblica?* 361
humani partium uſus. 498 ſſ.
Correctores *quando præfuerint Italiæ?* 295
Corſicæ *ſitus Geographicus.* 272
Corſini (*Octav.*) *de aquis Bonon. & Ferrar. Tr.* 21
Corticis *uſus.* 501
Coslinius *laudatus.* 243
Coſmologiæ *generalis argumentum.* 231
Coſmus *Indicopleuſtes Neſtorianus.* 124
Coupleti (*Cl. Ant.*) *elogium.* 274
Cranii *ſtructura ſingularis.* 269
Cromvvellus (*Ol.*) *cur Regiam dignitatem detrectaverit?* 51
Judæis uſus in rimandis Principum conſiliis. 51
cur fœdus inierit cum Gallis? 51
Cromvvelli (*Ol.*) *conſilia propagandi relig. Prot. irrita.* 51
Cremifanenſ. *Abbatum catalogus.* 385
Cruciatarum *expeditionum hiſt.* 14
Cruris *luxatio.* 269

Digitized by Google

Cryſtallus *quid ſit?* 312. 313
Culinam *intrare Imp. non debet.* 414
Cumanus, *Poema, vulgatum.* 434
Cunæi (*Petri*) *Satyra impugnata.* 466
In Cunæum (*P.*) *Theologorum inſidiæ.* 466
Cuniculi *in lapide an Poetam notent?* 365
Cupiditas *quid apud Grammat. notet?* 199
Curionis (*Cælii Sec.*) *bellum Melit.* 486
Q. Curtii *locus reſtitutus.* 102
lectio Carolo XII R. Su. familiaris. 245
Curvæ *ſunt polygena infinitorum laterum.* 271
Cutanearum *papillarum vera textura.* 22
Cuticulæ *in ſeminibus uſus ſingularis.* 502
Cutis *corpus reticulare.* 23
De Abb. de S. Cyrano *varia.* 140
Cyri *expeditio mappa Geogr. illuſtrata.* 111
Cyropædia *Xenophontis num fabuloſa?* 94

Danicorum *Miſſionariorum relationes laudatæ.* 510
Daniel, *Poeta Anglus, Ovidio comparatus.* 122
Danorum *miſſio in Malabar. deſcripta.* 125
Dart (*Jo.*) *Weſtmonaſterium.* 143
Daviſius (*Jo.*) *Martiali comparatus.* 122
Decori *fundamentum.* 171
Degenfeldiæ *Epiſtolæ amatoriæ ſuppoſititiæ.* 86
Dei *extenſio immenſa.* 120
Dei *demonſtratio ex voce animalium.* 462
notitia inſita negata. 505
exiſtentiam probandi modum optimum jactat omnis ſecta. 507
voluntas cauſa Iuris Nat. 426
De Dei *providentia circa malum Diſſ.* 505
Aut Deiſta *aut* Catholicus, *axioma, num verum?* 507
Delphini *quid in lapide notent?* 118
Delphini (*Petri*) *Epiſtolæ.* 150
Demoſthenes *numerum in oratione primus excoluit.* 285
Deſiderii *Ep. Cadurc. Epiſtolæ.* 532
In Deſtillatione *dulcium cautela.* 71 ſſ.
Deſtillatorum *examen pharmaceuticum.* 71
Diaconi (*Pauli*) *fragmentum Hiſt. Longobardicæ recuſum.* 438
Diamperenſis *in India Synodi hiſtoria.* 124
Dicemanni *incuria.* 151
Dictator & dictamen *quid medio ævo?* 216
Didymi *contra Manichæos liber.* 531
Dienſtmanne, Dienſtherren, *quinam?* 259
Dignitas *naturalis, principium I.N.* 425
Diluvium *quo anno Noachi factum?* 165
Diodori Siculi *Epiſtolæ,* 292
De Diogenis *Cynici Dolio Diſſ.* 226
Diplomatum *olim neglectus.* 299
Diſæ, *deaſtræ, nomina varia.* 522
Diſcendi & *docendi ratio nova.* 188
Diſibodenburgenſe *chartularium.* 211
Diu *ſignificat per biennium.* 6
Dius *veteribus* divus, *ſeu* Deus 200

Divor-

Digitized by Google

Divortium *duplex.* 9
Doctores *an creari debeant Theologi?* 518
Doglioni (*Jo. Nic.*) *Bellunum recuſum.* 205
De Dolio *Diogenis Cyn. Diſſ.* 226
In Doliis *pauperes olim habitarunt.* 226
Domini *compellatio quando cœperit?* 436
Donizonis *vita Mathildis recuſa.* 434
Donnolæ (*Thaddæi*) *vaticinium.* 369
Dordracena *Synodus Eccleſiæ Rom. proficua.* 140
Draconitarum *hiſtoria.* 313
Draconum *hiſtoria.* 313
Druſi *ubi habitent?* 173
Dunquerca *quo autore Gallis vendita?* 52
Dupinii (*El.*) *Bibl. nova Script. Eccl. alium autorem habet.* 141

EBendorfferi de Haſelbach (*Th.*) *Chronicon Auſtriæ,* 389
Circa Eccleſiam *errores refut.* 507
Eclipſis *Sinica.* 166
in morte Chriſti univerſalis. 166.168
Lunaris A. 1722. 272.273
A. 1724. 74 ſſ.
Solaris A. 1724. 378.379
Eclipticæ *obliqualis mutabilitas confirmata.* 111
declinatio maxima. 272
Effectuum *purorum ratio.* 112
Egio, *Boringorum Apoſtolus.* 522
De Egker (*Fr. Sig. Ant.* L. B.) *laudatus.* 391
Ehingeri (*El.*) *vita.* 30
libri prope ſeptuaginta. 32
filiarum fama vindicata. 32
Ehingeri (*El.*) *de fide in citandis Autoribus adhibenda Diſſ.* 430
Elagabalus *num templum extruxerit Heliopoli?* 174
Eleutherus *fl. eſt Euphrat.* 103
non eſt Kaſemiech. 174
Elias *in cœlum ſublatus quid parabolice notet?* 95
Elocutio *pars præcipua in orat.* 280
In Emanuelem *Imp. Or. an transferri potuerit Imper. Rom.* 209
Emboli *in antliis emendatio.* 544
Encyclopædia *nova promiſſa.* 62
Engſtlanus, *fons mirabilis.* 313
Ex Enikelii (*Jo.*) *Chr. excerpta.* 388
Enim *recte ponitur initio.* 200
Ephemerides *Ghisleriana.* 408
Ephraim Syrus *num Gr. lingua ignarus?* 347
Epiſcopus, *vox officii.* 411.412
Epiſcopi *in Scotiam reducti, Regni pernicies.* 51
nomen an Principibus competat? 409
Epiſcopatuum *in Belgio erectio nova.* 42
Epiſtolæ *obſc. vir. medicina loco ſunt.* 286
Ad Epiſtolam *ſcribendam requiſita.* 287
Epocha *Impp. a J. Caſ. ad Henr. III.* 154
Eppenſteiniorum *familia illuſtrata.* 212
Eraſmus *prælectis Epiſt. Obſc. Vir. curatus.* 286
De Eraſmi *Edit.* 2 *N. T. varia.* 85
Erber, *titulus quibus olim datus?* 120
Ercke (*Jo. Chriſt.*) *refutatus.* 41
Erfordenſe *Necrologium.* 207
Erfordiæ *Cœnobii S. Petri Trad.* 207
Ex Eryſipelate *Sarcocele.* 495.496
Ethica *ſolis Poetis vindicata.* 284

Ettmullerus (*Mich.Ern.*) *Interpres Latinus libri Ridlejani.* 544
Evangeliorum *emendatio, ſub Anaſtaſii Imp. facta, qualis?* 256
Euclidis *Elementa, omnis Matheſeos fundamentum.* 15
Eugenii III *P. R. geſta.* 148
IV *P. R. hiſtoria.* 222
Egeſippii *Epiſtola.* 532
Eunomii *confuſio fidei.* 531
Apologia & Scholion. 531
Euphrat *ſt. idem ac Eleutherus.* 103
Euſebius *conciliatus.* 159
ab Arianiſmo vindicatus. 253
Eutychius *Alex. num autor Chronici Saracenico-Siculi?* 439
Exhæredatio *filii cur patri permiſſa?* 1,2
Exploratoris Turcici *autor.* 91
Extenſio *immenſa Deo tributa.* 170
Eynvvici *vita B. Wilbergis.* 386

F

Fabretti (*Raph.*) *vita.* 508
Fara (*Jo Frid.*) *de rebus Sardicis.* 486
Farinæ (*Barth.*) *Bergamum recuſum.* 204
Fauſti *Epiſtolæ.* 531
Febrile *ſymptoma ſingulare.* 277
Febrium *continuarum cura.* 329
intermittentium cura. 329
Fenelonius *notatus.* 507
Ferdons, *ruſticus, Poeta remuneratus.* 90
Ferioliii *fata acerba.* 244
Ferri *cuſi in chalybem converſio.* 270
fuſi emollitio. 270
examen pharmacevticum. 70
De Ferrerio (*Vinc.*) *varia.* 14
Ferroni (*Arn.*) *verſio Plutarchi pro Nobil. recuſa.* 219
Feſtucæ *abjectio quibus olim in uſu?* 298
Feudalis *Juris fata & uſus.* 417
cum Civili Rom. confuſio noxia. 421
Feudi *nomen quando innotuerit?* 421
Feudorum *in Germania origo.* 419
Fibrarum *in plant. cavitas.* 500. 501
Ficini (*Marſilii*) *vita.* 84
Apologia. 85
De S. Fide (*Hier.*) *diſſ. contra Judæos.* 14
Filias *ducere, Perſis licitum.* 283
Fiſtenportii (*Jo.*) *Contin. Chronici Herm. Januenſis.* 217
Fixarum *catalogus conſummatiſſimus.* 19
Fizvvilliam (*Jo.*) *laudatus.* 490
Flagellantium *fratrum figura.* 55
Flamſtedii *obſervat. enarratæ.* 18
Flemmingii *e Britannia in Pomeraniam translati.* 151
Fleury *liber de Meth. Stud. impugnatus.* 61
Florentini *jurant Car. IV Imp.* 210
Flori (*Ge.*) *de Ital. libri VI recuſi.* 203
Florentinii (*Fr. Aur.*) *vita Mathildis.* 434
Florum *uſus.* 502
Flos *terræ ſeu cæli num habeat radices?* 270
Fœminis *ſacerdotii dignitas negata.* 157
Fœrtſchii (*Mich.*) *elogium.* 477
Foliorum *uſus in plantis.* 501
Fontes *periodici.* 313
Fontium *ſcaturigines inveſtigare, quis docuerit?* 274
Forcipes *aquis elevandis inſervientes.* 229
Formatio *hominis ut fiat?* 178
Formulæ *fori veteres.* 444

Digitized by Google

De Formulis & *diplom. Tract.* 491
Fornices *ſubterr. CPli laudati.* 244
Fornicum *ſoliditas determinata.* 279
Fortuna *cur dicta Luna?* 104
De Fortunæ varietate *Hiſt. Poggii.* 220
Foſſæ *caſtrenſes, veteribus notæ.* 186
Franciæ *monumenta vetera promiſſa.* 431
Francus (*Nic.*) *cur ſuſpenſus?* 91
Literatus infelix. 520
De Franzola (*Rob.*) *Apologia Conc. Piſani.* 13
Friderici I *Imp. conventus in Burgo Tremonio memorabilis.* 208
Friderici II *Imp. Epiſtola recuſa.* 149
Fridericus III *Imp. Viennæ obſeſſus.* 387
ejus in Urbem ingreſſus. 388
Fridericus Pulcher *Imp. poſt captivitatem dictus Rex Rom.* 390
Fridericus *Admorſus num fidem fefellerit?* 151
Fridericus *Sapiens El. Sax. non fuit Vicarius Imp. ſed Locumtenens.* 151
Germ. Linguam primus in Cancellaria invexit. 151
primus inter Princ. Sax. literis incubuit. 151
De Frieſen (*Henr. L.B.*) *cum P. Cunæo commercium epiſtolicum.* 467
Frigoris *hiberni cauſa gener. evoluta.* 108
In Friſiam *Or. jus exſpectativa Saxonibus conceſſum.* 152
Friſingenſis *Hiſtoria nova.* 390
Fructus *arborum in ſceleta redacti.* 23
Fulco *Benevent. Chronologus.* 433
Fulcra *rotæ in machina Hydraul.* 543
Fuldenſis *Eccleſiæ ambitus.* 297
Hiſtoria promiſſa. 300
Scholæ Theol. doctores. 347
Fuldenſes *Traditiones editæ.* 296
Abbates quibus jurisdictionem olim commiſerint? 301
Fulmina *litteraria.* 226
De Fulminum *natalibus Diſſ.* 235
De Fulminibus *politicis Diſſ.* 226
Funditores *Sclopetariis prælati.* 400
Fureterius *cur a Carpentario ſugillatus?* 94
Furta *Spartanis licita.* 283
Furtum *ſola reſtitutione punitur.* 247
Fuſcus (*Pallad.*) *de ſitu oræ Illyr.* 485

G Ad *quid notet?* 104
Gale (*Thomas*) *refutatus.* 356
Galileus *Romæ bis damnatus.* 140
Galilei *de iis, quæ aquis innatant.* 20
Epiſt. de Biſentio fl. 20
S. Galli *Abbatiæ Bibliotheca.* 314
Gangrenæ *cura.* 333
E Garſtenſi *Chronico excerpta.* 386
Gaufredi *num duo fuerint ſcriptores?* 436
Geddeſii (*Mich.*) *Hiſt. eccl. Malabar.* 122
Gemmæ *ſcalptorum nominibus inſignes.* 337
arborum quid ſint? 501
Gemmarum *ex medulla eruptio ſtabilita.* 502
Genealogiæ *in populo Dei ratio duplex.* 167
Generatio *prolis numeroſæ ut fiat?* 179
Generationi *deſtinata organa.* 500
Genius *Socratis quid?* 535. 537
Genii *anni temporum quatuor.* 63. 64

Geometria *ſubterranea promiſſa.* 469
Georgius (*Dominicus*) *laudatus.* 221
Gerdeſius (*Ph. Balth.*) *refutat.* 424
Gerhardi (*Jo.*) *vita.* 33 ſſ.
utero incluſi fata. 33
virtutes. 38
Bibliotb. inſcriptio. 39 ſſ.
Germani *olim an ignoraverint literas?* 227
Germaniæ *provinciarum diviſiones.* 541
De Germaniæ *potentia, forma, juribus & prætenſion. tract.* 541
In Germaniam *prætenſiones Principum.* 542
Germanicæ *linguæ ſtudioſi.* 512
cum Tartarica affinitas. 247
De Germanorum *eruditione judicium.* 467
Gerodenſis *cœnobii ſtatus & privil.* 213
Geyerianæ *ſtirpis Stemmatogr.* 118
De Geyersberg *Comitum Stemmatographia.* 118
Giardæ (*Chriſtoph.*) *Bibl. Alex. icones recuſa.* 203
Gladii *in introitu Legati Poloni CPli evaginati.* 244
Glandularum *Cuperi inventor quis?* 276
Glaronenſis *Cantonis deſcript.* 314
Glaſeri (*Caſp.*) *vita.* 214
Gluniacenſ. *Abbatum Catalog.* 387
Goldaſtus (*Melch.*) *partium ſtudii accuſatus.* 148
Goltzii (*Hub.*) *Sicilia Numiſm. recuſa.* 289
Gottvvicenſ. *Abbatum Catalog.* 386
De Gozze (*Gauges*) *Diſſ. de inſcriptione Columnæ roſtratæ.* 206
De Gradibus *matrimon. Diſſ.* 373
Græcæ *linguæ fata.* 59
vocalium Syr. figuræ unde ortæ? 454
Grammaticorum *lites notatæ.* 279
Grammondus *notatus.* 28
Grandi (*Guil.*) *de motu aquarum &c.* 21
De S. Grano *Abb. libri* Queſtion Royale *raritas eximia.* 518
Gratia *vel bona vel mala.* 199
De Gratia *Dei univ. præjudicium ut ortum?* 504
S. Gregorii *Thaumaturgi* 12 *Anathematiſmi, it. de Fide capita.* 530 ſſ.
Gregorii VII *R. P. ad Rudolphum Anti-Caſ. Epiſtola.* 216
Gregorii *Caſin. Chronicon.* 154
Nyſſeni de Incarnat. 551
Theologi de S. & orthodoxa fide. 531
Greylii *machina incendium exſtinguens.* 267
Grillo-Borromææ (*Cleliæ*) *fœminæ doctæ, elogium.* 58
Academia. 477
De Gronovii (*Jo. Frid.*) *notis in Cicer. judicium.* 197
De Groſſis (*J. B.*) *Catanenſe Decachordum.* 292
plagii inſimulatus. 292
Grotius (*H.*) *quos in ſtylo imitatus?* 286
De Grotii (*H.*) *libro de ver. rel. chr. judicium.* 254
Gruterus (*Sam.*) *emendatus.* 296
Gruteri (*Jani*) *vita.* 508
Gryphonia (*Anna Mar.*) *in marem transformata.* 63
Gualtheri (*Ge.*) *Tabb. Siciliæ recuſa.* 289
fata adverſa. 291
De Gualthero (*Ge.*) *judicium.* 291

Guar-

Digitized by Google

Guarnerii (*J.B.*) *Diſſ.Catanenſ. recuſa.* 481
Gudii (*Marqv.*) *Inſcript. promiſſa.* 485
Guilielmi Apuli *Poema de rebus Norm.* 434
Guillim (*Jo.*) *Heraldica auctius recuſa.* 142
Gundackerus *de fundat. monaſterii Seittenſtetenſis.* 386

HAdriani *Imp. inſcriptio.* 119
Hadriani IV *R. P. invectiva in Frider. I. Imp.* 216
Hædui (*J. Qu.*) *Melita recuſa.* 486
Haiſtulfus *quis fuerit?* 298
De Hallis (*Burch.*) *Chron. Wimpin.* 208
Hamalunburc *urbs quænam?* 298
Hammondus *a Sim. Epiſcopio multa mutuatus.* 302
Von der Hardt (*Herm.*) *notatus.* 504
Harmonia *præſtabilita notata.* 463
Harmoniarum *Biblic. recenſio.* 351
Haſæus (*Jac.*) *laudatus.* 226
Havercampii (*Sigeb.*) *merita in Theſaurum Italiæ Burmann.* 289. 291. 482
Hebrææ *literæ num res, quas exprimunt, referant?* 345
num primitivæ? 345
vocales quando textui adjectæ? 345
Hebræorum *ſtyli & membranæ.* 345
Hebraismi *in N. T. num dentur?* 348
Hecate *dicta Miphlezeth.* 105
Hector *cur Epiſcopus dictus Homero?* 412
Heinſii (*Dan.*) *in P. Cunæum odium.* 466
Gratulatio de fœdere inter Venetes & Belgas notata. 467
Heliopolis *urbis ſitus & rudera.* 173
nummi & fata. 174
Helleniſtæ *quinam?* 343
De Helmeſtedt (*Diet.*) *Chron. Wimpinenſ. continuatio.* 208
Helotius, *autor libri* Ecolle des Fille. 91
Henricus I *R. Germ. Rex & Advocatus Rom. Auguſtus dictus.* 300
Henrici IV *R.G. cædes a Mornæo prædicta.* 27
ſtatuæ in Laterano poſitæ inſcriptio. 131
Imp. hiſtoria illuſtrata. 147
Henricus Pius *D. Sax. defenſus.* 152
Heraldica *ad Philologiam relata.* 188
Herbipolenſia *jura confirmata.* 209
Heremperti *Langob. Chron.* 453
Hermannus (*J. Jac.*) *laudatus.* 313
Hermes *Triſmegiſtus in bracteola.* 523
Herniarum *examen.* 338
Heſychii *Gloſſarium emendatum.* 219
loca multa emendata. 308
Heumannus (*C.A.*) *notatus.* 120. 460
de Curtio bene meruit. 120. 121
Van Heuſſen (*Hugo Franc.*) *refutatus.* 41
S. Hidulfi *vita.* 67
patria & ætas. 68
S. Hieronymus *refutatus.* 353. 356
Hieronymi *in Jerem. Comm. MS.* 55
Ad S. Hildegardem *Epiſtolæ variæ.* 149
Hippocrates *explicatus.* 25
Hippocrati *de Hæmorrhoid. liber falſo adſcriptus.* 449
E S. Hippolyti *libro de Theol. & in-*

incarnatione excerpta. 530
Sand-Hippolytenſe *Necrologium.* 116
Hiſtoria *Philoſ. commendata.* 281
Hiſtoriæ *amor homini natural.* 283
uſus in omni ſcientia. 283
In Hiſtoriam *liter. Introductio.* 508
Hiſtoricus *character.* 285
Hobhanius *laudatus.* 510
Holometri *obſervatio ſingularis.* 108
Hoffmanni (*Chriſtoph.*) *Chron. Bohemiæ.* 390
Hohenauer (*Leonh.*) *laudatus.* 392
Hollandi (*Jo.*) *Rhythmi de famil. nobil. Bavaricis.* 117
Homerus *vindicatus.* 281
Homicidii *pœna jure divino unde?* 426
Hominis *formatio ut fiat?* 178
De Homodeis (*A. P.*) *Ætna recuſa.* 292
Honeſti *fundamentum.* 170 ſſ.
Horatius *notatus.* 94
Hortæ *Antiquitates.* 62 ſſ.
Hoſpitalitas *Tartarorum Nogajenſium.* 247
Hoſtiæ *euchar. forma in Gallia Sec. XII.* 55
De Huetio (*P. D.*) *judicium.* 255
Huſſi & *Huſſitarum hiſtoria.* 13
Huttenus (*Huldr.*) *ubi mortuus?* 314
ejus epitaphium. 314
Hydatides *in viſceribus infimi ventris.* 269
Hydraulicæ *machina.* 228 ſſ. 542 ſſ.

JAcere, *notat negligi.* 199
Jacobus I *R. A. cur Pontificiis faverit?* 50
toxico ſublatus. 50
Jacobi II *R. A. character.* 52
acta. 53
Jægeri *Theologia fœderalis editio nova promiſſa.* 462
Janſeniana *controverſia.* 140
Janua *num ancillam notet?* 295
S. Janarius *an Beneventanus?* 519
Janus *an Noachus?* 58
Jani (*Jo. Guil.*) *elogium.* 526
Jcon Regia, *libri, autor.* 50. 161
Jejunium *quadrageſimale.* 158
Jerichontis *mœnium deſtructio an ex vi vocis?* 463
Jeſuitæ *in Galliam revocati.* 139
Contra Jeſuitas *in Turcia mandatum.* 250
Ignavia *Sybaritis permiſſa.* 283
Ignis *cœleſtis in ſepulcro Chriſti exceptus.* 244
in agitandis antliis uſus. 543
I. H. S. *in inſigni Jeſuit. origo.* 60
Illuſtratorum *Caſalis ſymbolum.* 476
Imaginationis *matris in fœtum effectus.* 109
De Imitatione Chriſti *libellus Thomæ Kempenſi aſſertus.* 414 ſſ.
Imperator *culinam intrare non debet.* 414
Imperatoris *Rom. & Græci appellatio quando cœperit?* 436
dignitas olim qualis? 419. 542
Imperatores *Rom. quo ſenſu dicti Pontifices?* 409
num recte dicti Diaconi? 413
De Imperatoris *Rom. electione varia.* 542
Imperſonalia *num dentur?* 280
Inadvertentia *nec ſummis viris ignominioſa.* 471
Incendia *exſtinguendi inventum novum.* 181
Inceſtus *in linea transverſa cur Roma-*

Romanis prohibitus? 9
Inceſtum *quæ gentes admittant?* 8
Indorum *Chriſtianiſmi Hiſt.* 122
Infallibilitas *Papæ defenſa.* 308 ſſ.
Inflammationis *cura.* 333
Innocentii X *P.R. numiſma.* 130
imago. 141
XI *P.R. imago.* 141
Intellectus *actus tres.* 137
vitia. 137
virtutes. 138
Inteſtinorum *tenuium deſcr.* 404
tunica deſcripta. ib.
ſtructura. 109
crypta Barhaviana. 23
Inveges (*Auguſtini*) *Carthago Sicula recuſa.* 483
Panormus antiqua Latine verſa. 484
Inventa *Italorum.* 61
Inundatio *arenoſa.* 268
Job *liber ipſi Jobo aſſertus.* 166
De Jobi *libro varia.* 346
In Jobum *Commentarius.* 431
De Jodoci *Imp. electione varia.* 210
Jofredi (*Petri*) *Nicæa recuſa.* 203
dictio improbata. 203
De Johanna *Papiſſa varia.* 85
Johannes *Theologus a Johanne Evang. non diverſus.* 460
Johannes Frid. I *El. Sax. artis militaris parum gnarus.* 151
non invitus libertatem obtinuit a Cæſare. 151
Johannis *Evang. temperamentum.* 460
In Johannem *Evang. Comment.* 460
De Johanne *Evang. varia.* 460
Johannis XXIII *P.R. mores & acta.* 13
De Jongelini *Notitia Abbatiarum Ciſtertienſium Diſſ.* 518
Jordani *fontes.* 173
Joſephi *teſtimonium de Chriſto vindicatum.* 256
De Joſepho *hiſtor. judicium.* 165 ſſ.
Irmenſula *Saxonica.* 55
S. Irminæ *teſtamentum.* 148
Iſochroniſmus *cycloidis a difficultate liberatus.* 271
Itali *in fabulis fingendis felices.* 370
Italia, *mater ſcientiarum.* 59
Italiæ *Hiſtoria litteraria nova.* 57
Academiæ deſcriptæ. 60. 415
deſcriptiones variæ medii ævi recuſæ. 295
Theatrum novum editum. 336
Theſaurus Burmann. commendatus. 486 ſſ.
diviſio varia ab Impp. facta. 295
Italorum *inventa.* 61
Judæi *Eccl. Fuldenſi ſubjecti.* 300
num Academias habuerint? 342
Judæorum *cæcitas.* 514
Judas *Iſchariot verit. Evang. teſtis.* 458
Jureconſultorum *autoritas exploſa.* 373
Jurejurandum *quid Ciceroni?* 4
Juris *Romani ortus & progreſſus.* 59
publici Germ. origines. 82
Nat. principium, amor Dei. 335
nucleus novus. 424
autorum notitia. 426
principium novum. 425
ſtudium Critic. faſtiditum. 2
Longobardici receptio quando & quatenus facta in Camera Imp. 423
Juriſprudentiæ *privatæ in Germania facies corrupta.* 424
Juſtelli (*Chr.*) *Codex eccl. Afr. correctus.* 219
Jutia, *Saxonum patria.* 87
Juvenci (*Joſ.*) *ſcripta varia.* 188

Kam-

Digitized by Google

KAmmerſtok, *mons Helvetiæ, cur Ægagropolis deſtitutus?* 312
Keill (*Jo.*) *opera.* 406.407
A Kempis (*Th.*) *de imit. Chr. Codices MS.* 55
quando natus & mortuus? 415
Knechte *quinam?* 261
Kohlreiffii (*Gottfr.*) *Coſmotheorum Biblicum promiſſum.* 165
Krauſe (*Jo. Gottlieb*) *laudatus.* 476

LAbbe (*Phil.*) *inſtitutum de recudendis Caniſii Lectionibus irritum.* 530
Lactantii *ed. vetuſta examinata.* 86
Lambacenſium *Abbatum Catalogus.* 385
S. Lamberti *vita.* 208
Lanckmanni *de Valckenſtein* (*Nic.*) *Hiſt. deſponſ. & coron. Frid. III Imp.* 388
Landulphi *Jun. Hiſt. Mediol. edita.* 435
Lanzoni (*Joſ.*) *de Iatrophyſicis Ferrarienſ. Diſſ. recuſa.* 205
Lapidum *communium geneſis.* 108
Lapidum *figuratorum dives Würtembergia.* 376
Lapponum *character.* 249
religio. 249
magia qualis? 250
Lares *in bracteolis Boringicis.* 521
Lateranenſis *templi ſtatus præſens.* 129
inſcriptiones. 130 ſſ.
appellationes variæ. 131
De Laterano *Diſſertatio.* 518
Latinæ *linguæ fata.* 59.284
Launoji (*Jo.*) *elogium.* 91
Lauredani (*Leonh.*) *literæ ad Remp. Memmingenſem.* 85

Lectionum *variarum in N. T. ratio.* 348
Leges *Romanæ ceteris præſtant.* 283
Longob. juſto ordine editæ. 437
Leges *illuſtratæ aut explicatæ:*
L. 12 §. 1 *ff. de bon. poſſ. contr. tabb.* 2
13 *eod.* 3
29 *C. ad L. Jul. de adult.* 4
4 §. 3 *ff. de Condict. ob turp.* 5
56 *ff. Locati cond.* 10
23 *ff. de R. J.* 468
Legum *Longob. origo & autoritas.* 443
editiones variæ. 443
vetuſtium Codex. 445
Leibnitius (*G.G.*) *notatus.* 463
refutatus. 506
Leibnitii (*G.G.*) *elogium.* 169
refutatio Balii laud. 255
Leonini *verſus quando invaluerint?* 435 436
Leontii *libri III contra Eutych. & Neſt.* 532
Levidenſis, *vocabulum vix Latinum.* 201
De Leunclavii *Annal. Turc. judicium.* 90
Leydeckerus (*Melch.*) *notatus.* 344
Leyſerianæ *ſtirpis ſtemmatographia.* 118
Ad Libanum *montem iter.* 172
Libri *Chriſtianorum cur in India a Jeſuitis combuſti?* 124
Maronitarum cur combuſti? 176
Proteſtantium Ruſſis commendati. 240
ſub auſpiciis Typogr. editi. 429
publice ſuppreſſi. 429
Ægyptiorum cur combuſti? 525

De

Digitized by Google

De Librorum *raritate Diſſ.* 428
Liddones *quinam?* 301
Lienis *textura.* 22
Lightfood (*Jo.*) *notatus.* 344
Lignorum *proventus cura.* 109
De Limiers *Hiſt. ſui temporis promiſſa.* 384
Linguarum *Orient. peritia ad Scripturæ S. interpretationem neceſſaria.* 282
Lipſius (*J.*) *rei milit. ignarus.* 186
Liquida *omnia habent motum inteſtinum.* 450
Liti *quinam?* 301
Littara (*Vinc.*) *de rebus Netinis.* 483
Litterarum *ætas noſtra aurea.* 225
forma quadrata multo antiquior oblonga. 366
De Litteratorum *infelicitate Volumina VI in Bibl. Regia Pariſ. exſtant.* 93
Livius *emendatus.* 294
Logica *eclectica nova.* 136
Logicæ *Hiſtor. definitio, diviſio.* 136
uſus. 230
natur. & artif. differentia. 230
Londini *deſcriptio vetus.* 490
Le Long (*Jac.*) *examinatus.* 352
Longitudinis *maris explicatio.* 272
Longobardicæ *leges, vide* Leges.
De Longolii (*Chr.*) *latinitate judicium.* 285
Loſtelneau, *plagiarius.* 185
Lotharii *Imp. ſigillum ſingulare.* 299
Lucani (*M. A.*) *Ed. nova promiſſa.* 239
Editio rariſſima. 429
Lucani *jurant Carolo IV Imp.* 210
jus monetæ accipiunt ab Imp. 210
Lucii (*Jo.*) *quædam recuſa.* 485
Lucretii *editio nova promiſſa.* 190
De Ludlovii *Comm. judicium.* 401
Ludovici *Germanici anni unde numerandi?* 299
IV Imp. Chronicon. 387
In Ludovici III *diplomate annus Chriſti.* 299
Ludovici XII *R. G. artes.* 85
Ludovicus XIV *R. G. cum Conſtantino M. comparatus.* 142
Ludovici XIV *R. G. in Condæum odii cauſa.* 53
XV *edictum contra Proteſtantes.* 516
Luna *cur Fortuna dicta?* 104
veteribus Venus. 104
Lunæ *cultus in Oriente frequens.* 104
librationis cauſa. 110. 111
Lunulæ *circulares.* 114. 115
Lupi *Protoſpathæ Chronologia.* 433
Luſtrationum *aqua fluviali tantum facta?* 196
Lutherus *vindicatus.* 59
Lutherani *traducti.* 61
Lycophronis *contra Nobilit. objecta.* 220
Lydii (*Balth.*) *ſcriptum contra P. Cunæum.* 466
Lyræ (*Nic.*) *Opera MS.* 54

MAbillonii (*Jo.*) *liber de re diplom. unde augendus?* 146
Macanei (*Dom.*) *Lacus Verbani.* 203
Machiavellus, *plagiarius.* 185
Machina *parallactica obſervationibus nocturnis inſerviens.* 110
hydraulica Gallica ſtupenda. 543
Perraltiana. 544
cochlea Archimedis vicem ſubiens. 228. 229

Machinæ *ad aquas elevandas utiles.* 228. 542 ſſ.
Maffejus (*Scipio*) *refutatus.* 293
Magi *orientis quibus nominibus veniant in Vet. Teſtam.* 105 ſſ.
Mahhadis *in doctos liberalitas.* 454
Majerus (*Marc.*) *ruditatis accuſatus.* 290
ejus Neapolis Numiſm. nuper edita. 290
Maji (*J.H.*) *de lingua Punica Diſſ.* 486
Malaterræ (*Gaufr.*) *Hiſt. Sicula recuſa.* 436
Mali *origo.* 505
Mammæ *cancroſæ cura.* 332
Manetti (*Jannotii*) *vita.* 206
Manfredi (*Mart.*) *Monumenta Lucæ.* 206
Mangana *quid & unde dicatur?* 396
Manzonis (*Fr. Bern.*) *Caſenæ Chronol.* 205
Mappæ *Geogr. de expeditione Cyri.* 111
Mapparum *nauticarum deſcriptio, correctio & uſus.* 16
Marana (*Jo. Paul.*) *autor libri* Explor. Turc. 91
Marcheſii (*Ge.*) *Forolivium recuſum.* 206
Mare *Indiæ olim totam Europam obtexit.* 267
De Mareſchallo *Franciæ varia.* 399
Mareſii (*Sam.*) *ſcripta.* 510
Pro B. Mariæ *concept. immacul. votum Academiæ Colon.* 60
Maris *longitudo explicata.* 272
Maronitæ *unde dicti?* 175
cur Mardaitæ dicti? 175
e Libano deducti. 176
Maronitarum *Patriarchæ Petri nomen adſciſcunt.* 172
ſedes. 172
libri plerique cur combuſti? 176
eruditorum Catalogus. 175
Marſigli (*Al. Ferd. Conc.*) *opus Danubiale promiſſum.* 288
De Martialis *verſione Gallica Marolli judicium.* 91
Martini *Senatorium.* 389
Martini V *R. P. epitaphium.* 129
Martini (*Raym.*) *Pugio fidei.* 254
Martis *parallaxis.* 272
Marucini (*Laur.*) *Baſſanum recuſum.* 205
De Matrimonio *clandeſtino Diſſ.* 169
Maturinus, *ſtultorum patronus.* 95
De Maximiliani I *captivitate Brugenſi narratio.* 388
Maximiliani II *decretum contra G. Ederum.* 517
MCCCCLX, *literæ, quid notent?* 95
Medi (*Rich.*) *elogium.* 488
Mediani *in monte Voſago monaſterii Hiſtoria.* 67
Medicamentum *præbent Epiſtolæ obſc. vir.* 286
Medicamentorum *collectio & conſervatio.* 70
ſigna bonitatis & ſuccedanea. 70
odoratorum præparationes. 73
compoſitio ſit ſimplex. 333
De Medicamentorum *compoſitione regulæ.* 70
Mediolanenſes *Academiæ.* 476. 477
Medullæ *arborum uſus.* 501
ſubſtantia qualis? 502
Megapolitani *quando nexum Imperii Germ. agnoverint?* 419
Melanchthonis *poſt fata combuſtio*
Monachii

Digitized by Google

Monachii facta, urbi fatalis. 27
Mellini (*Dominici*) *vita Marſ. Ficini rara.* 84
Memoriæ *ſanctæ, beatæ &c. elogium etiam viventibus conceſſum.* 436
Mendacia *quando Philoſophis probata?* 362
De Menezes (*Alexii*) *artes in Chriſtianis Indis jugo Pontificio ſubmittendis.* 124
Meni *quid notet?* 104
Menſtrua *pro infuſionibus ut eligenda?* 73
De Mercatura *varia.* 80
Mercede *magna, id eſt, gravi damno.* 196
Mercurii *vivi examen pharmaceuticum.* 70
In Meretriciam *artem profeſſas impune admiſſum ſtuprum.* 5
Meridianorum *variorum differentia.* 16.17
Mervvan, *Poeta, remuneratus.* 454
Mery (*Jo.*) *Elogium.* 275
Meſenterii *vaſa ſanguinea.* 22
Metallorum *tranſmutatio an detur?* 270
Metropoles *præter Romam num plures dentur in Italia?* 293 ſſ.
De Mevſſen, *familia Auſtr. illuſtrata.* 386
Mezeræus *unde dictus?* 90
parvus & infelici vultu. 90
De Mezeræi *Hiſt. Gallica judicium.* 90
Michaelis (*M. Ant.*) *Bergamum recuſum.* 204
Michelini (*Franc.*) *de fluminum directione Tr.* 21
De Militia *veterum Diſſ.* 184
Militia *veterum cum nova comparata.* 399
Græca ut a Romana differat? 400
Militiæ *Francicæ hiſtoria.* 394
Militum *Imp. nobilium ſecundi gradus jura.* 260.261
Miniſteriales *quotuplicis generis?* 258.259
Miniſterialium *nobil. aſſerta.* 259
officium & jura. 260
De Miniſterialibus *Diſſ.* 258
Miphlezeth *quid?* 105
Mirabellæ (*Vinc.*) *de antiquis Syracuſis liber Latine verſus.* 481
ignorantia & plagium. 482
Miſſæ *ſupra ſepulcris Martyrum celebratæ.* 158
Moguntiæ *Judæos collectandi jus conceſſum.* 213
Moguntinenſium *privil. ſingulare.* 208
Mohammedes *unde religionem conſtipaverit?* 106
Legatus Dei dictus in nummis. 453
Antichriſtus Orient. 163
De Mohammediſmo *ante Mohammedum Diſſ.* 106
Monachi *ſugillati.* 95.96
Monachorum *Græcorum fraudes.* 244
Monaldeſchi *cædes ut patrata?* 90
Monaſteria *Gallica quid in bellum quondam contulerint?* 395
De Moneta *in Delph. & Sabaudia præceptum Caroli IV Imp.* 210
Mongitoris (*Ant.*) *S. domus Manſionis &c. Panormi monum. recuſa.* 484
Moniales *ſuis bonis libere olim uſa.* 298

Monckius, *Dux bellicus, notatus.* 51
ejusdem vita. 401 ſſ.
De Monckio *variorum judicia.* 401
De Monſterolio (*Johannis*) *Epiſtolæ.* 149
Montanari (*Geminii*) *Mare Adriaticum &c.* 21
Montes *glaciales Grindeliani.* 313
De Montfaucon (*B.*) *novum opus promiſſum.* 431
Montjoye S. Denis, *clamor militaris, quid notet?* 398
Morbillorum *natura.* 330
Morinus (*Steph.*) *refutatus.* 345
Mornæus (*Phil.*) *defenſus.* 28
Mornæi de Pleſſis (*Phil.*) *vita.* 27
de Conjugio inter diverſæ rel. Princ. 28
de Patriarcha CPtano, num œcumenicus? 29
De Mornæi *Myſterio Iniqu. cenſura.* 140
libro de verit. rel. Chr. judicium. 254
Moſes *Ægyptiacus refutatus.* 344
Mosheim (*Jo. Laur.*) *de Theſ. Italiæ merita.* 292. 481. 482. 484
Motrajus (*Aubr.*) *notatus,* 242. 243
Motus *ejusdem in univerſo quantitatis conſervatio vindicata.* 112
leges demonſtratæ. 231
muſcularis aeri debetur. 450. 451
convulſivi unde? 451
Motui *locali deſtinata organa.* 500
Moyſis *Magiſtri Carmen de Laudibus Bergami recuſum.* 435
Muciæ *gentis antiquitas fruſtra aſſerta.* 435 ſſ.
Mucius (*Marius*) *fraudis convictus.* 435
Mulier *cur velato capite Eccleſiam ingredi debeat?* 157
Mulierum *Valetudinarium.* 177
Mundus *quo anni tempore conditus?* 165
noſter num melior priori? 458
Muratorii (*Lud. Ant.*) *elogium.* 204
Muſcarum *Deus averruncus.* 105
Muſculorum *oculi mechaniſmus.* 109
Muſica *militaris antiqua.* 398
Muſicæ *vis in commovendis animis.* 463

NAldii (*Naldi*) *vita Jannotii Manetti edita.* 206
Nannetenſis *edicti Hiſtor. autor.* 28
Narducci (*Th.*) *de motu aquarum &c.* 21
Natatus *piſcium.* 500
Naudæi (*Gabr.*) *Tabularium majus templi Reatini recuſum.* 206
Navigationi *inſervientia problemata ſoluta.* 16
theoria demonſtrata. 15
Navis *capacitas ut determinanda?* 110
Nauſea (*Frid.*) *commendatus.* 213
Nauticarum *mapparum deſcriptio, correctio & uſus.* 16
Nautilorum *ſpecies.* 267
Neapolis *numiſmatica M. Majeri.* 290
Ceſ. Ant. Vergara. 291
Necrologium *Sand-Hippolytenſe.* 116
Necrologia *varia edita.* 207. 208
In Necrologiis *anniverſaria cum diebus emortualibus non confundenda.* 388
Neplachonis *Chronicon Boh.* 390

Neptu-

Neptuno *poſita inſcriptio.* 118
monumentum poſitum Ettlingæ. 213
Nervorum *ſyſt. præparatum.* 275
munia. 499
Neſtorianiſmi *hiſtoria.* 124
Le Neve(*J.*)*Monum.Anglicana.*144
De Nicaſtro (*Jo.*) *Hiſt. Beneventi promiſſa.* 127
*S.*Nicolai *hiſtoria illuſtrata.* 147
A Niem(*Theod.*)*fides aſſerta.* 14
Nimptſchiorum *epitaphia.* 118
Nimrodi *origo.* 166
Nisbet (*Alex.*)*ſyſtema herald. Scotiæ.* 143
Noachus *an Janus?* 58
Noallius *notatus.* 142
Nobiles *qua ætate ſigillis uti cœperint?* 120
Nobilium *in Tartaria prærog.* 247
Nobilitatis *amittendæ modi varii.* 261
Contra Nobilitatem *objecta.* 220
De Nobilitate *liber Plutarchi.* 219
Nogajenſes *Tartari duplices.* 247
Nomina *Romanis a corporis defectibus indita.* 121
Nominis *mutatio Paulo II ſuſpecta.* 60
Noodt (*Gerh.*)*octuagenario proximus.* 1
Norici (*Bern.*) *Catal. Abb. Cremiſan.* 385
Nota *non idem eſt ac adnotatio.* 284
Novelli (*Malateſtæ*) *numiſma.* 118
Numerum *in orat. quis primus excoluerit?* 285
Numerorum, *quorum conſtantes ſunt differentiæ prima, ſecunda &c. ſummatio.* 114
Numiſma *Malat. Novelli.* 118
Innocentii X. 130
Clementis XI. 130
Nummi *explicati.* 119
Nummi *Heliopolit.* 174
Neapolitani. 290.291
memorabilis deſcr. 398
Arabici illuſtr. 452.455 ſſ.
Nuptiarum *definitio.* 7.8
Nuptii(*Ferd.*)*Card. vita & elog.*64
Diſſ. de cultura agri Rom. commode ſuſcipienda. 67
Nutritioni *dicata organa.* 499
Nux *Beneventana.* 127
putredine abſumta vegetat & fructus edit. 501
OBſervatorii *Regio-Pariſ. & Grenovic. differentia meridianorum.* 16
Obſtetricandi *ars explicata.* 177
artis utilitas & neceſſitas. 179.180
Obſtetricum *requiſita.* 180
Oculi *tunicæ corneæ poroſitas.* 109
De Oculi *Iride obſervationes.* 109
Oculorum *defectus ex imaginatione matris.* 109
*muſculorum mechan.*109
De Oculorum *ſuffuſione obſerv.* 269
Odoratorum *medicam. præparationes.* 73
Oeconomiæ *animalis idea generalis.* 269
Oedematoſorum *pedum cura.* 332
Officiales *ſimplic. dicti quinam?* 259
Olearius (*Gottfr.*) *vindicat.* 573.539
Olearii (*Gottfr.*) *in conferendis ſacris & profanis autor. ſtudium.* 536
Oleum *eſſentiale plantarum in veſiculis concluditur.* 109
Oliva (*Jo.*) *laudatus.* 221
Ontologiæ *argumentum.* 230.231
Oratoria *ars quid ſit Iſocrati?* 281
Hebræorum quando cœperint in Ægypto? 343
L' Oreſice (*Cæl.*)*nummi Maced. explicati.* 119

Digitized by Google

Organa *ſenſoria.* 500
Orgia *in ſarcophago expreſſa.* 64
Origenes *notatus.* 166
Orontis *fl. fontes & curſus.* 174
S. Oroſius *de ſix cogitat. Sanct.* 531
Oſſium *carnificatio.* 268. 269
S. Otilia *ubi baptizata?* 68
Otto M. *Imp. an in Fioniam venerit?* 152
an primus Epiſcopis jura ſecularia conceſſerit? 152
Otto II *Imp. quo die mortuus?* 300
De Ottone *Friſingenſi varia.* 393
Ovidius *notatus.* 94
PAce (*Marii*) *Antiquitates Caltagironis Latine verſæ.* 483
Pacis *inſtrumentum inter Cantones Tigur. & Bern. atque S. Galli Abbatem.* 314
Packii (*Ott.*) *Epiſtola ad Lutherum de fœdere commentitio.* 213
Pagani *cur dicti athei & idolol.* 344
Palatini *Principes cur ad Reformatos acceſſerint?* 50
Palatinorum *Sociorum Symb.* 476
Palermi (*Polyc.*) *de patria C. Plinii Sec. liber recuſus.* 205
Palmæ (*Lælii*) *Comm. de Imp. Rom. & Germ. conjunctione promiſſ.* 144
Pamphiliæ (*Thereſiæ*) *eruditio.* 477
Papæ *infallibilitas impugn.* 161. 310
defenſa. 308 ff.
primatus impugnatus. 161
autoritas a S. Cypriano & S. Auguſt. in diſcrimen vocata. 310
Papatus *hiſtoria.* 160
De Pſeudo-Paracletis *Diſſ.* 457
Paradiſi *locus.* 173
Parallactica *machina obſervationibus diurnis inſerviens.* 110
Parcæ *icuncula.* 118
Parhelii *tres.* 268
Parheliorum *obſervat. genuinæ.* 108
ſyſtema Hugen. probatum. 108
Partus *terminus quis?* 178
Parvi (*Jo.*) *doctrina Pariſiis damnata.* 44
Paruta (*Ph.*) *Sicilia numiſm. recuſa.* 289
ex ed. M. Mayeri cur tam caro vendita? 290
De Paſcalio *judicium.* 254
De Paſchaſii *Literis provinc. judicium.* 141
Paſchatis *die Domin. celebratio.* 158
Pathologia *nova.* 171
Patinæ *vitreæ portandæ officium* 158
S. Patrum *loca caute adducenda* 160
S. Paulus *dictus* Mons. Saint Paul. 12
S. Pauli *caput ubi aſſervetur?* 133
Pauli V *P. R. epitaphium.* 134
cum Venetis lites. 139
Pax *Paſſav. conſilio Auguſti El. Sax. promota.* 152
inter Cantones Tigur. & Bern. atque Abbatem S. Galli. 314
Peccatum *Adami num felix?* 459
De Peccato *originis præjudicium ut ortum?* 504
Peculium *quis habeat?* 303
Peliſſonius, *deformis.* 91
Penates *in bracteolis Boringicis.* 521
Pendulum *tempus verum indicans.* 274
Penis *monſtroſus.* 494
Peregrini (*Camilli*) *Notæ in Chronologos Vet.* 433
Diſſ. de Ducatu Benev. 434
Series Abb. Caſinenſ. 434
Perelli (*Mariani*) *Antiq. Scicli.* 483
Pereyra (*Jſ.*) *notatus.* 166
Perpetuum *mobile ſophiſticum.* 543
Perronii *artes in fallendo Mornæo.* 28
Perſæ *prohibent nupt. inceſtas.* 8. 9
Petre-

Petrefacta *in Gallia inventa.* 107
S. Petrus *quando poſtremum Paſcha celebraverit?* 156
S. Petri *caput ubi aſſervetur?* 133
& Pauli transl. prima. 158
prærogativa. 309
De Petri *Apoſtoli ſecretis liber, ubi exſtet?* 244
S. Petro *quando Primatus traditus a Chriſto?* 156
Contra Pfalburgeros *edicta.* 301
Phalanx *quid apud Græcos?* 400
Pharmacevticæ *Prælectiones.* 69
Pharmacum *quid ſenſu gramm.* 362
Philippi Auguſti *R. Germ. Chartarium notabile.* 146
Philoſophia *ſcholaſtica quos habeat defectus?* 276
adoleſcentibus diſſuadenda. 281
Wolfiana commendata. 230
ut differat ab alia? 234
hermetica rejecta. 270
Philoſophorum *ſectæ pleræque ex Italia prodiere.* 61
vita. 169
fortuna. 221
Philoſophiæ *definitio.* 136
diviſio. 136
hiſtoria nova. 169
commendata. 281
ad Poetarum lectionem utilis. 281
experimentalis argumenta. 232 ſſ.
Phyſicæ *argumentum.* 233
Picardi *Tr. de libellatione.* 21
Picinell. *Lumina reflexa laud.* 350
Pilatus *veritatis Evang. teſtis.* 458
Pingonii (*Philib.*) *Aug. Taurin.* 202
Pipinus *quando regnare cœperit?* 297
dictus Imperator. 297
Pirrus (*Rocchus*) *refutatus.* 434
defenſus. 485
Piſcium *natatus.* 500
Plantationis *inverſa ratio.* 501
Plantarum *nova ſpecies.* 110.270
finis. 500
partium uſus. 500.501
trachea. 501
In Plantis *fibrillarum cavitas.* 500
Plaſticæ *natura explicata.* 170
C. Plinius *Secundus notatus.* 174
De Plœnnies (*Joach. Ge.*) *refut.* 258
Plutarchi *lib. pro Nobilit. nunc demum vulgatus.* 219
num genuinus? 219
character. 219.220
Pluto, *Dominus mortis.* 105
Poetæ *Boruſſi.* 382
Ad Poetarum *lectionem utilis Hiſt. Philoſophica.* 281
Poggii *Flor. librorum hiſtoria.* 221
Epiſtolæ. 222
contra avaritiam Dialogus cur non editus? 222
India recognita, liber IV Hiſtoriæ de variet. fort. 221
Polizza *quid?* 80
Polus (*Matth.*) *continuatus.* 350
Polybius *Julio Caſ. prælatus.* 185
Polybii *verſio nova Gallica.* 186
In Polybium *Diſſertatio.* 184
Comment. promiſſus. 185.186
Pontificatus *quantum profuerit Imperatoribus?* 410
dignitas mere politica. 411
Pontificis *Rom. titulus ridiculus.* 95
ſummi poteſtas qualis? 409
reſtricta. 410

Digitized by Google

Pontificum *variorum Epiſt.* 149.153
Rom. Catalog. 154
origo. 409
Pontificii *via autoritatis, quam examinis magis aſſueti.* 255
Pontificiorum *cum Proteſtantibus Controverſia.* 159
Porchettus *Salvaticus, plagiarius.* 354
Portatilis *Epiſcopus quis?* 392
Præceptor *quales preces ad B. Mariam dirigere debeat?* 189
Præjudicia *in Theol. ut orta?* 503 ſſ.
Præputii *tumor ſingularis.* 496
ſubſtantia lanuginoſa 496
Praſſeri (*Dan.*) *Chron. Waldecc.* 218
Prateolus *notatus.* 244
Precopiæ *domus quales?* 246
dominus & reditus. 247
Priapus *a Slavis cultus.* 146
Primatus *Papæ impugnatus.* 161
Principes *an dici poſſint Epiſc.* 490
Principia *chymica quænam?* 70
Pripegala *Slavis fuit Priapus.* 146
Priſcianus *Grammat. notatus.* 280
(*Peregrinus*) *laudat.* 443
De Probabilitate *tractatio.* 170
Probationis *per facta natura.* 256
S. Procopii *Martyrium.* 440
Progreſſionum *arithmeticarum doctrina inſigniter promota.* 270
Projectionum *ſtereographicarum in ſolvendis problematis primi mobilis uſus.* 17
Propertii *monumentum illuſtr.* 363
elogium. 363 368
patria. 364.371
fata iniqua. 370
Proſperi *Aquit.* (*Tironis*) *Chronica.* 531.533
Proteſtantes *num doctrinas ſuas acceperint ab Indis?* 123
Proteſtantium *perſecutiones quinq; cum Pontificiis lites.* 159
libri Ruſſis commendati. 240
In Proverbia *Salom. Comment.* 431
Pſalmi XCII *quis autor?* 346
in Pſalmos *Commentarius.* 431
Pſychologiæ *empirica & rationalis argumentum.* 231.232
Ptolemæi *canon ſuſpectus.* 166
Pueri *iidem ac ſervi.* 301
quibus claſſibus diviſi? 301
Pufendorfii (*Sam.*) *Introd. ad Hiſt. univ. Ruſſice verſa.* 240
In Pulmonibus *aer num cogat an ſolvat ſanguinem?* 261
Purgantium *examen.* 70
Pütrich (*Jacobi*) *carmen*, der Ehren-Brief. 117
Pyxidis *nautica inventio Italis vindicata.* 61
QUesnellius *refutatus.* 41
Queſnelliana *controverſia.* 141
Quilletus (*Claud.*) *fuit Medicus.* 90
RAbani *parentes quinam?* 298
Rabbanimi *quinam?* 315
Racanus, *primus poeta Lyricus Gallicus, Latinæ linguæ ignarus.* 92
Radicis *in planta uſus.* 501
Radicularum *ex ramis radicum eruptio.* 502
Radulphi *Cadom. geſta Tancredi.* 434
Raggi (*Laur.*) *ſtultitia & ignorantia.* 96
Raguſæ (*Hier.*) *Elogia Sicula.* 485
Raperſvvillenſis *urbis forma.* 314
De Raritate *librorum Diſſ.* 428
Reflexio *corporum in planum immotum impingentium.* 273
luminis unde fiat? 273
Refractionis *effectus.* 277
Regionarius *Epiſcopus quis?* 392

 Regi-

Digitized by Google

Regiſtrum honoris de Richmond, *liber curioſus.* 144
Reineſius (*Thomas*) *notatus.* 518
Religio *quid Nonio?* 5
Rom. multiplicationi generis humani obeſt. 95
Chriſtiana e factis probata. 251
Religione obſtringere &c. *quid?* 196
De Religione *Rom. judicium.* 95
Religionum *ſcrutinium.* 512
Reticulata *fœminæ figura quid notet?* 522
Reyna (*Placidi*) *Meſſana recuſa.* 292
Rhedæ *perfectio.* 112
Rheni *origo & deſcriptio.* 313
Rhodani *fl. ſcaturigines.* 313
Richerii (*Edm.*) *mortis cauſa.* 140
liber de poteſt. eccl. ſub cenſuram vocatus. 140
Richey (*Mich.*) *laudatus.* 476
Romæ *regionum deſcriptio.* 155
Romanæ *urbis & Imperii occaſus deploratus.* 221
Roſæ *aureæ Pontificum origo.* 14
Roſcii (*Jul.*) *narratio de inſtaurando monte Auguſti.* 66
Epigramm. in Xyſtum V. 66
De Roſenthalii (*Henr.*) *Epitome Juris Feudalis judicium.* 418
Rota *Bremenſis.* 228
Rotæ *aquam elevantes.* 543
Lotharii *R. Long. legis exord.* 444
Rudigeri (*Andr.*) *vita.* 508
Phyſ. divina commend. 170
Rudolphus *Habſp. num ſponte abſtinuerit a titulo Imperatoris?* 9
Ruperti *Pal. nobilitas aſſerta.* 213
Rupertus *Tuitienſ. quando mortuus?* 55
Ruricii *Epiſtolæ.* 531
Rusdorffii (*Joach.*) *Epiſtolæ arcanæ.* 218
Ruſſorum *Monarchæ munificentia in ſcientias.* 498
SAbellicus (*M. A.*) *imitator Livii.* 286
Sabini (*Georgii*) *vita.* 29
Sacerdos *cur quisque Chriſtianus audiat?* 413
Sacerdotis *functio Regi incongrua.* 413
Sachſen-Lauenburgiſcher Anfall, *libri, autor quis?* 152
Sack *quid Anglis notet?* 87
Sagarum *volatus aſſertus.* 127
Salia *plantarum eſſentialia ubi lateant & quando extrahantur?* 109
Cum Sale *cur mixta aqua aſperſionis?* 158
Salianus (*Jac.*) *notatus.* 343
Salis *Ammon. examen pharmac.* 70
Salisburgenſe *Chronicon.* 387
Salivalium *ductuum ſublingualium inventor quis?* 326
Salium *alcali volatilium volatilitas quando minuatur?* 109
Salomonis *R. operum rudera.* 174
Saltatio *Gall. & Hung. in veteri bracteola.* 523
Saltzungæ *donatio.* 299
De Sancta Fide (*Hier.*) *laudatus.* 254
Sanguini *in pulmonibus admiſcetur aer.* 450
Sanguinis *menſtrui ob fœtum tubarium defectus.* 269
circulatio P. Sarpio vindicata. 61
color rutilus unde? 264
arterioſi & venoſi differentia. 266
conditiones. 450
quantitas & velocitas quæ? 450
Sapientia *ſtylo Eccl. quid?* 356

Digitized by Google

Saraynæ (*Torelli*) *Verona recuſa.* 204.205
Sarcocele *rara.* 492
ex eryſipelate. 495.496
Sarcophagi *duo illuſtrati.* 63
Sardanapalus *a Jona converſus* 166
Sarpius (P.) *autor circulationis ſanguinis.* 61
Satellitum *Jovis eclipſes.* 78
Savanarolæ (*Hier.*) *fata.* 60
Saxe, *vox, quid priſcis Germanis?* 87
Saxoniæ *hiſtoria nova.* 150
Electoratus Rudolpho collatus. 209
In Saxonia *cur major hominum copia quam in tota Germania?* 95
Saxonic. *rerum ſcript. promiſſi.* 335
Saxonum *patria.* 87
nomen unde? 87.88
quis primus meminerit? 151
De Saxonum *origine Diſſ.* 86
Saxonii (*Jo.*) *Notæ in Cicer.* 196
Scaligeri (*J.C.*) *epiſtolæ duæ.* 86
(*J.J.*) *de vetuſt. gentis Scalig. Epiſtola recuſa.* 205
Scalptores *qua fraude in ſervandis nominibus ſuis uſi?* 338
Scapa *quid?* 398
Scarronii *epitaphium.* 93
Sceptorum *Regum Galliæ forma antiqua.* 55
De Schefferi *Lapponia judicium.* 249
Schelhornius (*Jo.Ge.*) *laudatus.* 83
A Schelſtraten (*Em.*) *diſſ. de antiquis Rom. Pontificum Catalogis.* 154
Scholæ *ſacræ Hebr. & Gr. deſcriptæ.* 341
Scientiæ *ab Italis ad alias nationes propagatæ.* 59
Scioppius (*Caſp.*) *caſtigatus.* 280
Scirrhi *ſcroti, penis, crurum & pedum.* 492
Scirrhi *cura.* 3:2
Scopuli *e terra motu orti.* 109
In Scotiam *reducti Epiſcopi, Regni pernicies.* 51
Scotorum *privilegia perierunt.* 51
Scriptura *S. eſt θεόπνευςος.* 506 ff.
an e profanis ſcriptoribus illuſtranda? 539
Scripturæ *veteris e ſingulis Sæculis ſpecimina.* 107
Scripturæ *S. loca explicata:*
Geneſ. XV. 18. 103
XXX, 11. 105
XLIX, 8. 257
Exod. XII, 37, 40, 41. 166
XXXII. 103
Levit. II. 13. 158
Deut. XXII, 5. 106
Joſ. XIII, 3. 103
LXV, 11. 104
1 *Reg. I.* 105
VI, 1. 164.167
2 *Reg. V.* 175
Jeſ. LXVI, 17. 104
Jer. XLIX, 7. 342
Dan. IX. 24. 167.257
XII, 10. 164
Matth. III, 11. 302
IV, 5. 303
V, 17, 19. 537
VI, 11. 303
IX, 6. 539
XII. 20. 303
XIII, 11. 537
15. 537.539
52. 537
XVI, 18. 303
XVI, 28. 303 ff
XVIII, 6. 539
XX, 23. 304
XXIV, 13. 539

Matth.

Matth.XXVI,24. 304
Marc. III.21. 304
VI,5. 305
XI,13. 305
XII,4. 306
Luc. II,14. 306
19. 306
Job. I, 3. 307
18. 307
III,11. 536
IX;23. 307
XVII,3 307
XX,19. 162
Actor.II,23. 458
XII,25. 227
XIII,34. 458
XXVI,24. 227
Philipp. IV,12. 539
2 Theſſal. II. 163
1 Petr. II,19. 411
Apoc. I. 163
XVII,13-16. 160
Scuderius *cur carceri mandatus?* 93
Super Scutum *ſublimandi Reges mos in Germania.* 208
Secundi, *tertii &c. appellatione quando diſtingui cœperint Pontif. & Impp.* 435
Seligenſtedt *non eſt urbs Imperii* 213
In Semine *plantarum cuticula uſus.* 502
De Seneca *judicium.* 95
Senectutis *terminus quis?* 24
præſidia. 24
Seneſcallus *Franciæ quis?* 397
De Senili *ætate liber.* 23
Septuagintaviralis *verſio ab invidis Judæis ſuſcepta.* 165
verſionis beneficium. 165
Sepulcra *an Chriſtianis culta?* 538
De Sepulcro *Chriſti Diſſ.* 458
Sepultura *Martyrum.* 158
Serapionis *liber contra Manichæos.* 531
Series *infinitæ ad uſum trigonometricum tranſlatæ.* 15
Sermonis *vis in concitandis animis.* 463
Servi *dicti pueri.* 301
Sexti *nomen ut exprimatur in monumentis?* 368
Shakeſpear *Catullo comparatus* 122
De Sibyllinis *oraculis doctrina Chriſtiana demonſtrata.* 253
Sibylliſtæ *e Patribus quinam?* 253
Siderum *influxus manifeſtus deſenſus.* 408
Sidney *(Phil.) elogium.* 122
Sigillum *Abbat. an exſtet ante ſec. XII?* 300
Sigillis *qua ætate uti cœperint Nobiles?* 120
Sigismundus *Imp. Diaconi habitu Papæ ſervivit.* 413
Sileſ. *rerum ſcriptores promiſſi.* 335
Silicis *geneſis.* 108
Simonis *Magi volatus an verus?* 252
Sipho *Würtenbergicus.* 228
Situlæ *aquis elevandis deſtinatæ* 543
Sixtus II *R. P. cujas fuerit?* 354
Sixti II *hiſtoria evoluta.* 354. 359 ſſ.
ſentent. editio Hilleſſemiana, 519
Sixto II. *vindicatum Enchirid.* 353
E Sixti IV *P. R. Regiſtro excerpta.* 149
Sleidani *(Jo.) elogium.* 286
De Sliteſe *(Sim.) epitaphium.* 300
Smith *(Th.) Platoni comparatus.* 122
Sobernheim, *villa, jus civit. datum.* 213
Sociniani, *rabulæ exegetici.* 504
Socinianos *qui refutaverint?* 255

Socratis *genius quid?* 535.537
Sol *abſque radiis inſtar lunæ viſus.* 108
Soldat, *vox, unde orta?* 397
Solares *tabulæ novæ.* 17
Solarium *tabularum Caſſini cum cælo conſenſus.* 272
Solearum *geneſis.* 269
Solis *motus elementa.* 17
obſcuratio extraordinaria. 108
parallaxis horizontalis. 272
Solium *trium phænom. ſingulare.* 268
Sorores *ducere in matrimonium Athenienſibus permiſſum.* 283
Sors *œconomi in ludo Pharaon per calculum determinata.* 114
Sparke (*Joſ.*) *notatus.* 490
Spencerus *Lucano comparatus.* 122
Sphaceli *cauſa.* 332.333
cura. 333
Spingeri (*Balth.*) *iter maritimum.* 56
Squadroni (*Al.*) *Reg. Lepidum.* 204
Stabulenſes *Abbates fuere ſimul Epiſcopi.* 148
A Stade (*Theodorici*) *vita.* 511 ſſ.
Stadii *quantitas.* 111
Stamſenſe *Chronicon.* 387
De Steinbergia *arce ſingularia.* 216
Stella *marina in lapide fiſſili.* 337
Stephanidis (*W.*) *vita S. Thomæ Cantuar.* 490
Still-Gerichte *quid?* 211
Stipulæ *objectio quibus olim in uſu?* 298
Stockii (*Chr.*) *vita.* 508
Stollius (*Gottlieb*) *laudatus.* 509
ejus promiſſa. 509
Stratemanni (*Wilh.*) *Theatrum hiſt. Ruſſice verſum.* 240
Strauchius, *ruſticus, quem fructum tulerit proditionis?* 151 ſſ.
Ex Studiorum *intemperantia morbus.* 277
Stultorum *patronus quis?* 95
Sturmius (*L. Chr.*) *laudatus.* 278
notatus. 543
De Stylo *Rom. Diſſertatio.* 286
De Styra (*Wolfg.*) *Itinerarium.* 387
Succini *examen pharmaceut.* 70
hiſtoria. 374
depuratio. 375
Succus *nutritius in plantis ubi præparetur?* 501
Suctoris & *preſſoris rotatilis variæ ſpecies.* 229
Suavis (*Petri*) *Hiſt. nova promiſſa.* 29
Subdiaconi *officium ſingulare.* 158
Subſtantiæ *definitio.* 170
Succi *lapidifici notio diſtincta.* 108
nutritii in plantis diſtributio. 501
Sueciæ *Hiſt. pragm. ſeu Jus Publ. promiſſum.* 287
De Superſtitione *tractatio.* 170
De Surry, *Comes, Virgilio comparatus.* 122
De Svvapham (*Rob.*) *Hiſt. Burgenſis.* 489
Sylvii (*Æn.*) *amores Euriali & Lucretiæ quorſum ſpectent?* 217
De Synagoga *Diſſertatio.* 342 ſſ.
Synodici *Magni Beveregii Collectio.* 218
In Syriam *iter.* 172 ſſ.
TAbernaculi *Fæderis imago.* 343
Tacitus *illuſtratus.* 227
Tactica *Græca perfectior Rom.* 186
De Tamerlane *ſingularia.* 221
Tancredi *familia illuſtrata.* 434
Tartari *Nogajenſes, duplices.* 247
Tartarorum *nobilium prærogativa.* 247

Tarta-

Digitized by Google

Tartarorum *Nogajenſ. hoſpitalitas.* 247
De Tartaribus *ſingularia.* 246ſſ.
Tartaricæ *linguæ cum Germanica affinitas unde?* 247
Tendinis *ruptura.* 269
Tentorium *legis diverſum a Tabernaculo Fœderis.* 343
Terræ *motus cauſa.* 109
Ex Terræ *motu nova inſula.* 268
Terraquei *globi hiſtoria deperdita unde reſtituenda?* 107
Territoria *Imperii ſecundaria.* 540
Teſtamenti *V. & N. editio nova.* 381
Teſticuli *tophus.* 494
Teſtimonium *in propria cauſa admiſſ.* 299
Theodoſii *Monachi Epiſtola de Expugnatione Syracuſ.* 439
Theologi *non niſi pii ſunto.* 281 ſſ.
Theologia *Patrum melior Scholaſtica.* 346
ubi in artis formam redacta? 346
quando doceri cæperit in Anglia, Gallia & Fulda? 347
Theologiæ *inſtitutio unde incipienda?* 347
theticæ fundamenta. 461
naturalis argumentum. 232
Theologica *Bibliotheca nova.* 515
Theophili *Edeſſeni ætas, ſcr. inventum* 454
Thermæ *unde calorem contrahant?* 314
Thermarum *fabariarum in Helvetia uſus.* 313
Theurgia *Platonica refutata.* 253
S. Thomæ *elogium enorme.* 59
in Chriſt. relig. merita. 253
Cantuarienſis vita. 490
Thomaſii (*Chriſt.*) *elogium.* 169
Thomaſii (*Godofr.*) *Apologia filiarum El. Ebingeri.* 32
De Thuani *hiſtoriæ judicium.* 140
Thuillerius, *novus Polybii interpres.* 186
Thumermuth (*Wernh.*) *notatus.* 208
Thümmigius (*Lud. Phil.*) *quod ſtudium in Philoſ. Wolfiana poſuerit?* 233
cur Inſtit. Philoſ. Wolfianæ ediderit? 234
in conjectando felix. 267ſſ.
De van Thynen (*Theodori*) *Chronologiæ S. judicium.* 164
Ticini *fl. ſcaturigines.* 313
Tincturæ *ex medicamentis odoratis ut parandæ?* 73
Tirnſtainiorum *inſignia.* 118
Titi *Boſtrenſ. contra Manichæos libri.* 531
Titius (*G. G.*) *notatus.* 82
Tœkelius *ad Pontificios non acceſſit.* 244
Toggicus *Comitatus deſcriptus.* 314
Tollenonum *utilitas & varia applicatio.* 229
ad antlias agitandas applicatio. 543
Tonſura *clericorum.* 158
Torneamenta *explicata.* 397
Tracheæ *in ligno obſervatæ.* 501
Trajani (*M. Ulpii*) *arcus Beneventani deſcriptio.* 126
patria quænam? 128
ſtatuæ. 128
Pro Trajani *ſalute num Gregorius M. interceſſerit apud Deum?* 128
Trajectoriæ *reciprocæ inter omnes Algebraicas poſſibiles ſimpliciſſimæ demonſtratio.* 378
Transſubſtantiatio *invalide impugnata.* 161
Treviriæ (*Genevræ*) *eruditio.* 477
Trigonometria *novis inventis illuſtrata* 15
Trigonometriæ *ſphæricæ problemata ſtereographice ſoluta.* 17
Trithemius (*Jo.*) *num magus?* 518
Trugi (*Statii*) *de Ameno liber.* 204
Turcici *hiſtorici in R. Bibl. Pariſ.* 90
De Turri *Babylonica ſingularia.* 166
Turundarum *uſus taxatus.* 333
Tylich (*Jo.*) *Chron. Miſnenſe.* 208
Typho *quis apud Ægyptios?* 103
qua forma cultus? 103
Typographicæ *artis inventio.* 55
ſpecimen vetuſtiſſimum. 84
Tyriorum *Epiſtola in lapide.* 155
VAgnillæ *hiſtoria naturalis.* 270
Valetæ (*Jo.*) *Epiſt. de bello Mediol.* 486
Valletus, *diminutivum Vaſalli.* 397
Valguarnerii (*Mariæ*) *Antiqu. Panormitanæ Latine verſæ.* 484
de eo judicium. 484
Vallæ (*Laur.*) *epitaphium.* 135
Elegantiæ inelegantes. 280
Vallisnerius (*Ant.*) *Moderator Academiæ Phyſ. exper.* 477
Valvulæ *Euſtachii inventor.* 276
Varicum *cauſa & cura.* 332
Varillaſius *ſtylo emendando viginti annos impendit.* 93
Varignonii (*Petri*) *elogium.* 276

Digitized by Google

Variolarum *cura.* 330
inoculatio ut fiat? 330
Varro, *literarum parens dictus.* 280
Ubietatis *diviſio rejecta.* 170
Vectis *ad antlias agitandas applicatio.* 543
Vegetatio *plantarum ut fiat?* 501
Vegetationes *artificiales.* 269.270
Vegetius *laudatus.* 185
Venæ *Portæ ramorum conſtitutio.* 22
& Cavæ diverſitas. 22
Venæſectionis *legitima adminiſtratio.* 331
Venti *vis in antliis.* 544
Venus *eadem cum Luna.* 104
a Luna eclipſata. 110
Veneris *parallaxis.* 272
a terra occultatio. 272
Vergaræ (*C. A.*) *Neapolis numiſm.* 291
Veritates *duplices, geometricæ & phyſ.* 255
quænam adverſentur Theol. 255
Verona *num a Cenomanis inſeſſa?* 294
Veſtium *utriusque ſexus mutatio num in S. Scriptura prohibita?* 106
Vicarius *Italiæ & Romæ quibus præſit?* 295
De S. Victore (*Hug.*) *epitaphium.* 55
De Vignola (*Barozzius*) *laudatus.* 278
Vignolius *notatus.* 164
Vindemiale *feſtum in ſarcophago expreſſum.* 63
Intra Vineas *quid notet J. Ceſari?* 186
Vini *uſus Medicus & Chirurg.* 331
A Vino *abſtinentiam cur Mohammedes præceperit?* 107
Virdunenſ. *Epiſc. ſeries chronol.* 208
Virgilii *Ecloga X illuſtrata.* 225
Virium *menſura Leibnitiana oppugnata & vindicata.* 111
ratio in motu æquabili. 112
centralium theorema generale 407
Vitæ *conſervandæ deſtinata organa.* 499
Vitulus *aureus Iſraelitarum an ad Apidis formam effictus?* 103
fuit figura Typhonis. 103
monſtroſus. 269
De Vives (*Ludovico*) *judicium.* 254
Viviani (*Vinc.*) *modus impediendi Fluviorum oppletiones &c.* 21
Uladimerus, *Ruſſiæ Apoſtolus.* 413
Ultrajectinæ *Eccl. Hiſtoria.* 41
Unio *naturalis in ſyſtemate harm. præſtab. idea non caret.* 232
Unreſti (*Jac.*) *Chron. Ca[illegible]* 217
Annal. Auſtriæ. 217
Vita Frider. III Imp. 217
Vocis *humanæ uſus in valetudine ſerv.* 463
natura & formatio. 462
Ex Voce *demonſtratio Dei.* 462 ſſ.
De Voce *varia.* 462 ſſ.
Vollæi (*Th.*) *Epiſtolæ.* 150
Vomitus *ſtato tempore rediens.* 269
Voſſius (*G. J.*) *notatus.* 436.437
Vox, *genius Socratis, qualis?* 538
Urbani VI *P. R. electio.* 11
Urlæ *fl. ſcaturigo.* 313
Urſini (*Fulvii*) *epitaphium.* 134
In Vulcanii (*Bonav.*) *obitum Or.* 468
Vulturnenſe *Chronicon.* 441
cœnobium illuſtre. 441
Uxores *olim cœlibatus ſtudio dimiſſæ.* 361
Uxorum *communio quibus permiſſa?* 283
Wagenſeilii (*Chriſt.*) *de Joanna Papiſſa Diſſ.* 85
Waldeccenſe *Chronicon.* 218
Walliæ *Principis nativitas num. genuina?* 53.54
Waltheri (*Mich.*) *Harmonia Biblica auctior promiſſa.* 352
Wappenknecht *quinam?* 261
Whigg, *vox Anglica, unde?* 50
Whiſtonus *notatus.* 164
B. Wilbirgis *vita.* 386
Wilhelmus III *R. A. cur Anglis minus acceptus?* 54
cur venationi deditus? 54
Wilhelmi III *R. A. amores clandeſtini.* 54
Wimpinæ (*Jo.*) *de vita Alberti Animoſi Carmen.* 152
Wimpinenſe *Chronicon.* 208
De Wit, *autor globulorum concatenatorum.* 52
De Witekindi *familia judicium.* 151
Wolfii (*Chr.*) *adverſarii quo fundamento utantur?* 233
ut eum oppugnarint? 234
Wolfiana *ſcripta qua attentione legenda?* 234.235
recuſa. 502
Würtenbergenſe *Chronicon.* 207
Xenophontis *Cyropædia non fabuloſa.* 94
Zabæorum *idololatria qua lege prohibita?* 106
Zenus (*Apoſt.*) *laudatus.* 203.204.206

KAISERLICHE KÖNIGLICHE HOFBIBLIOTHEK

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

…sche Nationalbibliothek
+Z171843306
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

zed by Google

Digitized by Google